Dicamus ergo primum quid sit uentus, & est, iuxta Philosophum, (secundo Metheororum, capite quarto) multitudo exhalationis siccæ motæ circa terram: Sed nos dicimus hanc non esse illius diffinitionem, quandoquidem non omni uentorum generi conueniat, sed hanc potius. uentus est motus concitatior multitudinis aeris. Quod quia contra tantum Philosophum est, certis argumentis est demonstrandum. Dicimus ergo aerem perpetuò moueri ab oriente in occidentem non totum, sed quancunque partem ut pars parti succedat motu non admodum uelo ci, totus tamen aer circumuertitur, quod his ostendo rationibus. Prima, quoniam aer est contiguus cœlo lunæ, & cœlum lunæ quotidie circumuoluit totum, igitur trahit non reluctantem aerem secum. Et si dicas quod ignis adsit intermedius, etiam quod hoc admitteret, adhuc sequitur nihilosecius intentum. cum enim liquidum quiescens mouetur secundum totam superficiem, & uelociter, & nihil est quod retineat, necesse est totum moueri. uel ergo est aer motus, & habeo intentum, uel est natura immobilis, & cum sit non solum liquidus, sed liquidissimus, & moueatur secundum totam superficiem superiorem à cœlo lunæ, nec habeat quod illum retineat, sequitur planè ipsum totum moueri eo circuitu. Indicium est etiam, quoniam & cometæ, & trabes ignei, & quæcunque talia, ut etiam Aristoteles affirmat, (primo Metheororum capite quarto) mouentur ab oriente in occidentem eoque uisu tardiores, cursu autem celeriores quo altiores fuerint, ut cometæ: contrà tardiores quo humiliores, specie autem uelociores ut trabes & globi ignei. Id autem non nisi ob aerem in quo sunt qui sic mouetur, & quæ in eo sunt leuiora necessariò mouet. Sed & motus aquarum in Oceano, idem declarat cum fluxus ac refluxus in eo, tum in sinu Hadriatico manifestè appareat, & magis in Nortico iuxta Pariam, & propè æquinoctij circuitum à latere Boreali decursus aquarum ex oriente in occidentem, quos ambos ignorasse uisus est Aristoteles, (secundo libro de Subtilitate) cuius rei indicio est, quod neque Scotus, qui de hoc agit, ut qui eo habitaret in loco, ubi maximè uiget hic motus, adeò insignis non meminit Aristotelis, (14.) quamuis Author libri de Mundo meminerit eius. Sed alterius quidem nil mirum est: hi autem fluxus, qui etiam in Italia & in Africa notus erat, fit enim in Africæ littoribus, mirum est latuisse Aristotelem. Quòd si aqua maris mouetur ad motum lunæ, palam est etiam solis motum aerem sequi. est enim sol potentior luna, & aer facilius mouetur quàm aqua. Si igitur hæc nouisset Aristoteles, credidisset aerem perpetuò moueri, nec quiescere. Videant igitur Aristotelici ne nimia defendendi Aristotelem cupiditate ueritatem omnium rerum dulcissimam relinquant, & ingratis me oderint. Est & quartum ad hoc argumentum, quòd in congressibus & oppositionibus Iouis & Mercurij, ut hoc mense prope diem decimam, & sequenti anno prope quintam Iunij uenti apparebunt, & ideo signum est hoc, quòd etiam ex sola intensione motus naturalis uenti suboriuntur, ut sint præcipuæ uentorum causæ quinque, iuxta hoc, celeritas, motus austri, commistio cum alio, transitus, tempus medium, & ut per angusta loca. Et quoniam, ut dixi, hic motus est similis, motui aquæ fit per par-

tes ita quod nulla pars aeris circumdat totam terram, sed quælibet mouetur per certũ spatium, uelut per uiginti millia passuum, & alia eodem modo ab oriente in occidentem, & ita circuit qualibet die totus aer totam terram: ita dico de uento, pars enim partem pellit, non quod idem aer transeat ab oriente in occidentem, uel à meridie in septentrionem. Nam si ubi est æstus maris ex quauis lunæ ad solem quadrata configuratione, fiunt maximi æstus, & maria ualde intumescunt, adeò ut qui timidi sunt, & parum mari assueti, existiment mare tempestuosum esse, cur etiam in aere semper mobili ex diuersis configurationibus idem non accidet? Quintum indicium est, quòd in rimis semper perflat uentus, etiam si cubiculum, ex quo flat, esset conclusum. Adest & illud ab Aristotele (uigesimasexta Problemat. 25.) quod casus stellarum uentos indicant, quia dicit ex alto & loco illo uenti flare incipiunt.

Sed ne uideamur potius uelle oppugnare Aristotelem, & prodere ueritatem, quàm rem ipsam docere, uideamus quæ pro Aristotele dici possunt. (26. Problem. 37.) is, inquam, primùm ostendit austrum & aquilonem esse ualidissimos uentos, non orientalem aut occidentalem: oportebat autem orientalem esse hac ratione ualidissimum, occidentalem nullum, ut qui esset naturali aeris motui contrarius, Borealem & Australem mediocres, qui transuersim contingant. Secundo, quod omnes uenti ualidi mutant corpus tanquam exhalatione calefaciant aut refrigerent, aut siccent, aut humectent: & ideo non possunt fieri ex puro aere. Et istud expreßè etiam fatetur Hippocrates tertia Aphorismorum: (5.) Austri auditum hebetantes caliginosi, caput grauantes. hæc non possunt fieri ex puro aere. Illud idem etiam de Euro testatur Aristoteles in eadem particula Problematum. (55.) dum quærit cur flante orientali uento res apparent maiores? Tertio, quòd in sublimibus montibus nulli sunt uenti, dicebat Philosophus. (38.) Vnde neque in Atho, inditio esse, quod cineres relicti ex sacrificio præcedentis anni immoti maneant, dicit tamen quod antea pro confesso assumpsimus, quòd aer ibi assiduè mouetur, scilicet leni motu, oportebat autem ibi maximè uigere uentos, si à cœli motu orirentur. Contraria ratione quia in locis maritimis sæpius flant uenti, quos tropæos uocare solet quasi reciprocos, uult enim quod etiam illi ex terra prodeant, sed à mari resiliant, ut in Problematibus. (8.) Quarta ratio sumitur ex hoc, quod aliqui tales sunt, qui manifestè ex uapore à terra prodeunte fiunt, quos etiam apogæos uocat, igitur omnes eiusmodi erant. Quinta, quoniam duæ sunt exhalationes, una quidem humida alia sicca, sed ex humida palam est fieri imbres (& innuit eam secundo Metheororum) igitur ex sicco fiunt uenti. Dum etiam quærit (capite quarto) cur Fauonius post meridiem spiret, dicit quod sol exoriens excitat Eurum, ut occidens Fauonium, quia dissoluendo concretum humidum spiritum gignit: igitur spiritus à uapore fit. (34.) Idem ex hoc quod imbre superueniente cessant uenti, qui dicit originem ex illis sumunt. Præterea ubi quærit, cur austri magis quouis tempore quàm æstate spirent, reddit rationem, quia sol propinquus resoluit uaporem, atque ita uentos sedat: igitur uapores causa uentorum. Multa huiusmodi essent, sed ad idem tendunt. causæ enim huius differentiæ sunt tres, una quæ dicta est, Aristotelem nesciuisse æstum maris illum quo reciprocat multoque minus causam: secundum quòd non fecit differentiam inter fieri ex uaporibus & cum illis esse. Est enim omnis uentus cum uaporibus, quia cum transeat uelociter siccat & uertit quod humidum est in uaporem, hoc enim quærit ille & rationem adducit, cur siccet conuerso humido in uaporem. (30. & 31.) Sic enim adducendo humidum siccat, & si per loca sicca transeat uaporem siccum secum rapit, ergo omnis uentus est plenus uaporibus, non tamen reddiderunt causam qui scripserunt, cur cum frigidus etiam uentus humidum transmutet in uaporem: nam hoc duabus de causis contingit, una quòd frigiditate exteriore contrahitur calor in superficie terræ, & ita factus ualidior magis resoluit: secunda, quod motu comminuit illud humidum & comminutum eodem impetu aufert. Quoniam ergo uenti sunt semper cum uapore, ideo eodem modo pleraque ex adductis ab Aristotele dissoluuntur, perinde ac si concederemus uentos fieri à uaporibus, seu ab exhalatione. Tertium est quòd errant in interpretando illius dicta: nam ipsi putant quod uelit uentum solum esse exhalationis motionem seu materiæ humidæ uel siccæ, at ille dicit ibidem (Problemat. 35.) quod uentus est commotio aeris, uel redundantis humoris. Idem etiam fassus est in sublimibus locis moueri aerem ipsum. unde in uigesimaquinta Particula dicit, Probl. 22.) altis in ædibus, quod uerũ est, aerem

perpetuò

perpetuò uentilari. Idem etiam fatetur uentos excitari à sole cum exoriente tum occidente: tum etiam a luna. Vnde cũ satis propositũ pateat duorum quæ ille problematum. (34) soluit aut non plenè aut saltem obscurius, solutionem addere decreui. Primum cur ante defectus lunæ per sex pene horas uenti excitentur? alterum cur uenti in fine ualidius moueantur cum lentius id facere deberent? Ad primum enim respondet Philosophus, quòd calor lunæ hebetatur, quia cursus iam proximè est quo defectus exultet. At uerò hoc difficilimum est cùm defectus nihil agat neq; impediat, cum nondum sit, sex enim horæ tribus partibus satisfaciunt, ut luna procul sit à defectus loco. quare uel non tradita plene est ratio, uel omnino superuacua. cum enim experimentum doceat partes umbræ proximiores nihilo remotis esse obscuriores, quid refert quod luna ibi sit. Verum ratio eiusmodi est, luna cum in opposito solis est defectui non obnoxia, nunquam potest esse proxima eclipticæ, sic enim deficeret. Cum uerò defectura est, & iam soli opposita iam eclipticæ, necessario est proxima, duorum autem circulorum se inuicem secantium æquales arcus à sectione semper maiorem obtinent latitudinem inter se portione sub eadem, utpote & in ecliptica cum æquinoctij circulo, & in ecliptica cum circulo capitis draconis decem partes, ultimæ non nisi duas ex quinq; portiones obtinent latitudinis, præterea circa sectionem necesse est semper lunam moueri ex meridie ad boream, aut ex borea ad meridiem. cum ergo luna subitura eclipsim necessaria sit plena lumnibus & mutatura situm secundum latitudinem, & celerrime feratur propter circulorum inclinationem, quæ licet exigua sit, quia tamen in maximo motu est, & quæ circa ultima sunt semper plurimum possunt, his tribus causis necesse est, ut ante eclipsim lunæ facilius generentur uenti, & magni quam alio tempore. Quod autem translatio ex septentrione in meridiem, & ex meridie in septentrionem uentos gignat, & magis ea quæ est ad boream, quam quæ ad austrum, ostendit uer cum sol transit ex austro in boream per æquinoctij circulum, eandem uerò rationem habet æquinoctij circulus in sole, quam ecliptica in luna, utriq; enim maximi sunt circuli suorum motuum: eandem quoq; rationem habet sol cum circulo ecliptice, quam luna cum circulo draconus, sicut enim sol nunquam extra eclipticam progreditur, ita neque luna extra draconis circulum exit, eadem est ergo ratio transitus solis per æquinoctij circulum, quæ lunæ per ecliptice sectionem, & sol quidem propter tarditatem motus obseruatur in pariendo uentos, iuxta diurnam reuolutionem etenim æquinoctij tempore in circulo maximo uertitur, ideoque uelocissimè, ita & luna in ecliptice circulo proprio motu, quoniam celer est, uelocissimè mouetur iuxta intersectionem motu proprio. quæ autem feruntur uelocissimè, uibrant, & quæ uibrant mouent aerem uelut uirgæ, & quæ magna sunt dum multum uibrant aerem, uentos generant. Ex hoc igitur luna sub tempore eclipsis uentos maximos eo modo, quo dictum est, scilicet per sex horas ante excitare solet. Ex quibus patet, quod cum eclipsis uno & eodem tempore uerè fiat, licet apud diuersas gentes ob longitudinis situm diuersis horis uentos eodem tempore in uniuerso orbe generari, at quæ nã exhalatio posset sufficere ad concitandos uentos in toto orbe? Manifestum est igitur ex his quæ scripta sunt, uentos excitari commoto aere, non autem exhalationibus etiam secundum Aristotelis sententiam. Aliud quæsitum sic dissoluit Aristoteles, quod ex longo flatu refrigeratur aer, unde in fine uehementissimus motus existit. Alibi refert ipsum colligi in fine, atque ob id uehementius moueri, at si refrigeratur, quiescere potius deberet non ocius moueri. quomodo autem colligatur quod iam effluxit non uideo. Verius forsan ex rebus ipsis causam discemus, quoniam in huiusmodi motibus fit attractio atque expulsio, uelut in sufflationibus & utres inflantibus, impellunt enim atque attrahunt, quo fit ut motus impulsus debilitetur. Alia uerò quæ non sic protruduntur, sed ut contraria cum finis aduenit ultimo conatu se exonerat quod impellit, atque ita uehementissimus impulsus, atque uentus increbrescit ualidusq; flat.

LECTIO V. SVPER EODEM TEX. II.

Ventorum autem genera sunt quinque, principales qui & propriè duo sunt, Boreas & Auster, quanquam his soleant adijci duo alij, Fauonius & Eurus. Et ob uim magnam Cæcias, hic enim famosus est imbres adducens, & Trascias ac Libanotus, alij non adeò. Secundum est Apogeorum, qui ex terra ueniunt, tertium Reciprocorum, qui ex mari: quartum anniuersariorum, qui peculiares sunt regioni & flatis

ſtatis temporibus redeunt,è quibus ſunt proprij non anniuerſarij & anniuerſarij non proprij, hoc tamen rarum eſt ut ſub anniuerſarijs contineantur,& anniuerſarij in eos & communes diuidantur. Vltimo loco ſunt fortuiti & caſu quodam geniti. Et de his omnibus ultimo loco recitatis,non de primo intellexit Philoſophus. Iam uerò & primi omnes uno nomine continentur, et uocantur communes potius, ego regulares ſeu conſuetos appellarem. Anniuerſarij etiam quandoq; ſunt ex conſuetis, unde Philoſophus quærit uigeſima ſexta Problematum, cur Aquilones anniuerſarij fiant, Auſtri non fiant? Ex quo perſpicuum eſt quòd non omnes anniuerſarij uenti ſunt proprij. Primum igitur uidendum eſt de communibus,& conſtat quod uenti nauigantium non diriguntur ad Polum Arcticum neq; Antarcticum,ſed iuxta acum pyxidis quæ inclinatur,ad orientem, à Borea per nouem partes,id eſt per quadrageſimam totius ambitus terræ, uelut qui ab eis uocatur Auſter ad occidentem,à Polo Antarctico. Et iuxta id habenda eſt ratio omnium uentorum. Secundo ſcire eſt neceſſarium,uentos ſingulos maxime communes amplecti magnum ſpacium terræ, dirigunt tamen ſlabella ad unam lineam ſi ſint ſimplices, & hæc eſt linea æquidiſtans mediæ per quam defertur uentus. Tertio aduertendum eſt quòd rarò uentus eſt ſimplex ſed uel eſt copulatus cum alio,uel miſtus propter ſinus & obliquitates uallium per quas tranſit & cacumina montium quæ eregione poſitæ nõ ſunt, ſed anguſtiæ illæ & fauces incuruantur,ortus autem eorum eſt per longum ſpacium,non ut exiſtimemus ex ſubterraneo ſpecu exire, ſemper enim præcederet terræ motus. Et ideo terræ motum aliquando uenti maximi antecedunt. ijdem ſi repente ſileant terræ motum indicant: nam ob frigus aut aliam cauſam ſuppreſſa exhalatione terræ motus ſubſequitur, ob id etiam uenti poſt terræ motum pernitioſi: quod poſt multa ſecula retentus uapor et aer letheus effundatur. Fiunt & uenti ex ſpecubus iam factis perpetui,nam uapor ille frigore expreſſus pellit aerem & uentum gignit, prope locum: cum uerò à frigore cogitur exhalatio aut occurrit anguſtijs montium quaſi in ordinem & ſemitam redactus uentum gignit. Non ergo uenti qui Cardinales appellantur prodeunt ex certa regione principali,diuidendo orbem terrarum ut iſti faciunt ad lineas rectas & angulos æquales: tum, ut dixi,ob inclinationem lineæ indicis tum ob faucium montium ſitum, flumina magna,maria,lacus & huiuſmodi. Venti tamen potentiſſimi uidentur eſſe prope polos & ad angulos tranſuerſos. prope Arcticum quidem quia linea à ſitu cuiuſq; loci ad Arcticum breuiſſima eſt ex Tertio Elementorum (Propoſ. 7.) Ad Antarticum autem quia procul ideò potens eſt & mollius flat. Orientalis autem iuuatur motu ſolis occidentalis aut proprio motu Lunæ ab occidente ad orientẽ atq; ideo leniſſimus eſt. Valde enim tardus eſt motus Lunæ in ſignifero comparatione rapidi motus. Exoriuntur ergo uenti ſinguli uel ex concitatione aeris uel ex ſpecubus montium uel cum exhalatio fuerit maior,uel retinetur & maximè à frigore,aut cum noua exoritur ſpelunca. Et poſt pluuias maximè,nam aqua,à Solis calore uertitur in uaporem. Indicio eſt his omnibus quòd in faucibus montium & circa uerticem maximè perflant uenti, ut præter has cauſas non ſit diſcrimen communium à proprijs. Borealis ob uehementiam inſalubris repletis cacochymis,imbecillibus maximè pectore, cæteris ſalutaris, cubiculis autem ſi perflata ſint ab oppoſita parte utiliſsimus, ſecus pernitioſus. Auſter nulli bonus. Proprij autem uenti cuilibet regioni ſunt,qui oriuntur prope illum locum ex montibus non ualde magnis nec longo tractu uallis & faux extenditur, ut in machinis quæ breues ſunt non procul iaciunt ideo quia anguſtè uentum efficiunt in illa regione, ut Phaſidi, Conchron, & Athenienſibus ſciron. neque enim retrò propter ſitum obliquum montium flecti poſſunt: nec ad latera ob montes nec longius progredi ob breuitatẽ faucium. Vnde qui ex anguſta & breui fauce prodeunt ualidi ſunt ſed prope ſolum flant: qui ex lata & longa lenti & imbecilles ſed procul: & ita ſi ex longa & anguſta,hi maximè ualidi atque frigidi,& tenues. An uerò reflectatur exhalatio à frigida aeris regione, quemadmodum putat Ariſtoteles, dubitationem non leuem habet,comparata diſtantia ortus qua maxima eſt ad altitudinem regionis frigidæ,& nubium quæ minima eſt. Et etiam quia uidetur in quouis ſitu deſcendere uentus quaſi per parallelas.

De Anniuerſarijs ergo ut Fauonij apud inter Nonas Februarias & Idus,& Eteſiæ omnibus fermè cum ſuis Prodromis caniculæ temporibus,corus cum Arcturo exoriente incipit, ut eurus Vergiliarum. Cauſam ſtatorum temporum Ariſtoteles (26. Prob. 2.) eſſe refert uim Solis ad unumquemq; locũ & regionem totam cõparatam, ubi enim liquefacere incipit nives,uenti excitantur:

hoc

hoc autem diuersis in locis, diuerso tempore accidit. Generaliter autem his qui ad Boream positi sunt post uernum Aequinoctium. Et maxime est euidens hoc in Borea magis quam austro iuxta illius sententiam. Venti autem Apogæi maximè conspicui sunt, ut Plinius refert (libro secundo, capite 45.) in Dalmatia loco qui Senta uocatur. Et in Cyrenaica regione rupes quædam, nec desunt exempla in tam frequenti experimento. His contrarij sunt reciproci qui ab aquis orti, cum à terra initium habeant, ab aquis autem remittantur. Alij autem casu quodam ac quasi extra ordinem oriuntur & fiunt: è quorum numero sex sunt præcipui ab eodem connumerati, (Cap. 48. & 49.) Typhon omnium ualidissimus, id est, uibrata procella, non uibrata autem Eonephias dicitur: qui tamen quòd uertigine longa trahat ad se quicquid inuenerit, nauigantibus maximè formidolosus est: trahit autem dum resilit. Quòd si tenuior eruperit uiolentior est, sed rectius fertur ideoq; prosternit cuncta, & uocatur turbo. Sed si cum igne uel saltem feruidus adueniat dicitur prester. Procella dicitur cum lata est eruptio & uortex reflexus turbo. Ex horum genere penè immobiles caligo, quæ obtenebrare solet naues, & columna à forma ita uocata, qua aquæ ad nubes assumi creduntur. Causa horum omnium est specus sub terra forma torcularis uisis unde exit, redit, retrosilit: fiunt etiam huiusmodi uortices aliquando ex pugna duorum aut plurium uentorum, ut in gyrum uertantur. An autem uenti omnes siccent, quemadmodum uidetur uelle Aristoteles, uide decimo Contradicentium (68). Humectant solum animata & intus uenti humidi: uel etiam inanimata abdita, uel cum cessauerint quia motus non adest. Sed ut finem faciamus, scire melius est in unaquaque regione quas singuli uenti uires habeant. Plinius de Italia docuit (libro secundo, cap. 47.) sed hæc in executione tradentur. Hanc autem necessitatem cognitionis uentorum Hippocrates etiam declarauit in sexto Epidemiorum (Par. 8. Tex. 7.) de quo, ut dixi, agemus infrà cum ad uentorum declarationem perueniemus. Illud non pigebit adiecisse, quod etiam ex parte adnotatum est ab Hippocrate (Parte prima, Com. ult. propriè) morbos recurrentes quales sunt, comitialis, uertigo, asthma, dolores, fluxiones, insaniæ seu mentis alienationes, quas lunares uocat insultus. Pluraque huiusmodi (libro de Sacro morbo, pag. 8.) qualia etiam uigiliæ, hæmorrhoides, omnia talia per uentos redire consuesse: aut si perpetua sint, exacerbari. Ob hæc igitur scire uentorum uim ac reditum in unaquaque regione optimum est. Plura alia etiam longè sublimiora atque utiliora de hoc dici possunt, quæ in sequentibus explicabo. Manifestum etiam est, quod quatuor cardinales proueniunt à quatuor motibus principalibus, seu potius mutationibus situum duobus in longitudine, & uno in latitudine, ex quo fiunt duæ mutationes.

LECTIO VI. SVPER TEX. III.

NEque uerò negligentiorem se circa aquarum facultates cognoscẽdas exhibere cõuenit. Quemadmodum enim gustu differunt, & pondere & statione, sic quoque uirtute aliæ alijs præstant.

Aquæ usum & utilitatem breuiter attingere decreui: quæ quinque clauduntur differentijs: prima est necessitatis uitæ causa, secunda commodi, tertia auxilij, quarta usus, quinta uoluptatis. Et necessitatis quidem ob potum, aut simplicem, aut ut uino misceatur: esse autem aquam uitæ potum, & corporum salutem, declarat Moses in Genesi (Cap. 6. & 9.) cum ante Noë Gigantes statuerit, & uitam propè mille annorum, inuenta uite & uino cessarunt & Gigantes, & hominem non uicturum plus centum uiginti annis affirmat. Hoc uerò ab experientia habetur. nam & Gentiles hodie in India quòd uino, carnibus, & his quæ ex carne fiunt, prorsus abstineant, quemadmodum ouis, lacte, caseo, butyro, piscibus, propè centum quinquaginta annos uiuunt. Tertium indicium est, quòd nostri Semnitæ neque tamdiu uiuunt, nec miracula edunt, cum tamen sanctè uiuant: nec uolunt quicquam habere, sed non abstinent à uino, nec ab his quæ carnea sunt, duntaxat è Chartusianorum genere à carne ipsa, sed edunt pisces, & oua, & butyrum, & uina etiam austera & odorata bibunt. Vixisse autem monachos plurimùm in Eremo, Antonium annis centum quinque, Eliam & Chronium centum decem: quosdam etiam superasse, certum est ex D. Hieronymo grauissimo authore, tum Palladio, sed & Nicephorus hoc idem generaliter affirmat (libro undecimo, capite 41.) & non me latet eum referre in causam, ut fides & religio nostra martyrum militia parta, horum sanctitate, exemplo, authoritate, signis atque uitæ diuturnitate firmaretur. Ergo necessitas est

potus

potus aquæ, non simpliciter ad uitam, sed uitæ longitudinem. nam in omni genere operationis est aliquid necessarium, ad uitam, cibus & potus, ad longam autem panis & aqua. Apparent ergo duo ex hoc, & necessitas potus aquæ, & quòd cum potu uini longa uita esse non potest. Si quis dicat, Gentiles excedere centum uiginti annos contra Dei dictum in Genesi? Respondeo quòd hoc intelligitur generaliter: nam aliqui ex speciali uita tandiu uixerunt ad numerum quatuor seculorum, ut iam docui, alia de Ioanne & Richardo uocatis de Temporibus. Astrologi & maxime Galeotus Narniensis reddit rationem satis euidentem, coniunctionem Aphetæ cum stella fixa benigna. Cum ergo dicti Eremitæ hac ratione uictus (cum concedam factum fuisse, à Deo hoc ut à causa, quæ est finis confirmandæ religionis causa) inchoata propè uigesimum annum ad centum, & amplius annos perdurauerint, & demonstratum sit à nobis in libro de Proportionibus (Proport. 183.) quòd ratio uictus tota ad eam quæ incipit uigesimo anno, habeat proportionẽ 515 ad 279, igitur multo magis ad 280. quare ut 103 ad 56: si ergo uixit 105, uixisset ab initio inchoando centum nonagimta tribus annis. Et si fuisset ex genere uiuentium centum annis communi uitæ, uiueret annis trecentis triginta nouem, ut ibi docuimus. Ad rationem accedamus, Elephas uiuit ducentis saltem annis, multaq; alia animalia feruntur diutius uiuere homine: quæ omnia aquam bibunt, & à carnibus abstinent, ut de camelo & cerauo pro comperto habetur: natura igitur optimum potum illis parauit: neque enim defecisset si quid esset melius. Aquæ etiam ad summam perfectionem deueniunt uarijs imbutæ uiribus, quod de uino non inuenitur. aliæ enim curant aquam intercutem, aliæ resolutos, aliæ diuturnos dolores, quæ nos omnia adijcientes Hippocratis doctrinæ, trademus in processu, ut his qui etiam artem exercitaturi sunt non desit commodum. Præterea potus, ut uult Oribasius (lib. 5. Collect. cap. 1.) non est nisi causa distributionis cibi, sed sola aqua hac uirtute prædita est ut nil aliud agat, igitur aquæ solus potus conuenit. Id etiam ex incommodis uini patet, lædit enim cerebrum, neruos, uentriculum maximè: grauem facit odorem spiritus, ebrietatem parit: uana insomnia, exurit humores, accendit febres, melancholiam gignit, & humorem dico & morbum: acesit in uentriculo, amarum redditur, impedit incrementum corporis. Admittitur ergo solum ut reliqua noxia ob longam consuetudinem, ubi homo est in tyr malleum & incudem, sartaginem & ignem. Secundò cum aquæ praue sunt et corruptæ. Tertiò medicamenti causa ut in syncopi, nam in hypothymia noxium est: In doloribus frigidis uiscerum absq; materia: cum materia autem mediocriter cocta etiam: ego tamen magis laudo aquam in qua cocta sint aromata plerunq; ut utiliorem, semper autem ut tutiorem. In senibus dulce & tenue, flauum ad edulcandum humores atros & crudates educendas, ut nil edant præterquàm panem, tum non multum & amygdalas amaras, aut persicorum nucleos. Et hoc per intervalla. Demum habentibus imbecille iecur, modicum & astringens ex usu est ac rubrum, illius enim substantiam reficit, simile quippe illi est. Sic & in cardiacis, timidis, mœstis, confirmat enim cor propriè cum boragine & croco.

De commodo, ubi aquæ bonæ sunt, sata, herbæ, fructus, omnia bona sunt. quod enim alitur alimento simile fit, secunda Aphorismorum (Com. 36.) Et libro de cibis boni & mali succi (Cap. 1.) & in tertio de Alimentis, (Cap. 25.) ubi docet quod pisces sunt quales aquæ & herbæ, in quibus degunt & nutriuntur. hocq; adeò clarum est, & ab Hippocrate in secunda de Diæta (Pag. 6.) ut nil tritius. Multo magis autem patiuntur pisces hanc mutationem, quam cætera animalia: reliqua respirãt aerem, pisces eandem aquam ex qua nutriuntur, aer autem adeò non potest corrumpi ut aqua, tum quia non retinet corpora crassa adeò, tum quia semper mouetur, & si malus sit prorsus aer statim interficit: ideo hæc mutatio in piscium genere manifestior quàm in quadrupedibus, & media in amphibijs, cochleis, astacis, quos cancros uocare soletis, cum cancri nõ sint caudati, ranis, testudinibus. Et testudinum caro cum duplex sit, illarum genus quæ nemorosa est, alitur herbis, & melior multo est cœnosa, quæ autem in Africa oritur, longè grauioris est alimenti, & durissima cum terra sæpè & arena illi cibus sit, nihilominus medicamentum planè pretiosum aduersus elephantiasim, ut cochlea Africana aduersus uentriculi dolores. Quodcũq; enim membrum est, ut ita dicam, ἐπώδυνον in animali, ad eundem affectum confert: ut Gallinæ uentriculi aduersus cruditates, sed eo perperam utuntur medici & etiam plebs, & iecur lupinum aduersus malum habitum & scirrhum, & cor leonis contra uanos pauores, & ita cochlea Africana aduersus dolores uentriculi, cum arena persæpè uescatur & arido

aridò Sole torreatur. Hæc igitur, ut ita dicam, impassibilitas oritur ex alimento & proprio calore, & quatenus ab alimento oritur habet pars illa animalis uim alimenti & medicamenti ad illam, sed non quatenus est calore prædita. neque enim omnino arena in eo qui usus est carne cochleæ Africanæ diu non nocet assumpta, ut in cochlea, aut nutrit sed expertem illum facit doloris & in longo tempore, & non in duobus diebus, ut in hac ciuitate ubi dum promptã sanitatem exigunt, à medicis, ab his quidem qui Deum uerentur uoto frustrantur, ab alijs occasione ex hoc sumpta id impetrant ut eo nomine medicamenta offerant dictim, fitq; ita morbus longior semper, plerunq; insanabilis, sæpenumero mortem festinam et præcipitem sibi accersunt, unde præsentem spe rauerant sanitatem. Minus præterea quadrupedibus afficiuntur aues, præterquã illæ quæ in aquis degunt & ex eis alimentum sumunt: nam quadrupedia quasi in medio earum sint. Vnde corruptis aquis aut crudis, sunt enim hæc duo mala, stantes enim aut calidæ corrumpuntur ut etiam mistæ: terreæ autem & à Sole intactæ & ex montibus lapidosis ortæ crudæ sunt. hæ potu primum locum obtinent. Secundum herbæ quæ in eis oriuntur, adeò ut non sint ueneni expertes, quanquam specie haud tales sint. Tertio loco sunt pisces. adeò ut inuenti sint uenenosi: præsertim stantes nigri & non squamosi, afferunt enim aliqui mortem statim, accedit detrimentum si capiantur esca uenenosa: hoc enim solo interimunt aliquando, periculosum enim est admodum tales edere. Velut & oua piscis fluuialis quem uocant balbum, credo quia barbatus est præsertim tempore maij, cum flores populearum arborum, quæ ripis fluuiorum insidere solent, ederint. Mouent choleram affectum non sine uitæ discrimine, ut ellebrus albus. Quare non tam curandum est quales specie pisces eligas, quàm quo in loco captos: melior est enim tinea & anguilla magno & rapido claroq; flumine capta & recens, quàm Lucius aut trotta in palude sordida & iam diu ex aquis extracta, color autem & odor & uiscera & caro spectanda maxime sunt. ut sint splendidi, mundis uisceribus, carne cãdida & obliqui ac duri Quarto loco sunt amphibia. Quinto aues aquis incumbentes atque in eis uersantes, sexto quadrupedia, Vltimo aues cæteræ. Cum ergo aquæ tot modis sex siquidem, nam primus ad necessitatem refertur hominibus commodæ sint aut incommodæ, liquet quod dicit Hippocrates, non omittam quod potest haberi pro septimo loco necessitatis incommodo, quod multæ plantæ aridis locis, ut thymelea & lathyrides omnes, aut iuxta thermas, ut etiam colocynthis, ueneni loco. Auxilij autem loco sunt, de medico auxilio nunc loquor, non mercatura, quod aquæ si bonæ sint iura fiunt bona, legumina coquuntur. imò illud indicium est aquæ leuis, ut legumina facilè coquantur, panes pinsuntur. animalia pinguia redduntur, prata florent & pascua redduntur bona, unde carnes pingues & candido adipe & suauissimæ Aqua etiam bona aerem efficit bonum, & etiam signum est bonitatis aeris.

Vsus autem est in omnibus, copia enim aquarum bonarum Mediolanum gaudet, unde Romæ ut audio, & etiam hîc, magna incommoda patimur, nec adeò bene purgantur, Lintea aqua enim loco saponis quæ optima est habetur, coguntur sarcire detrimentum multis impensis. Demum est uoluptas, adeò ut Mutinæ sola aquarũ præstantia nõ incommodum sit degere fontes pellucidi, aqua suauis potu, æstate frigida. Illud non præteribo bonarũ aquarum generale signũ esse Piscium & aeris bonitatẽ. nam reliqua signa propria suo loco narrabuntur. importunè enim cum etiã imperfectè hic illa ascripsit Alemanus.

LECTIO VII. SVPER EOdem Tex. III. & IIII. & V.

Quæri igitur iure merito potest ac debet, an maiora sint detrimenta aeris an aquarum? Hîc uocandus est ad partes ille author adeò prudens ut nil ignorasse uideatur: cum potius fuisset officium Galeni ac medicorum. is igitur prima Problematum particula quærit primum, cur mutationem aquarum grauem esse affirment, aeris autem non? reddit rationes duas (Probl. 13. 14. 15. & 16.) Prima quod aqua transeat in alimentum, aer non: secunda quod aquæ breui spatio terræ magnas recipiunt mutationes, aer autem non nisi longinquis ex regionibus. Ex quibus etiã concluditur quod tum aquæ etiam magis mutantur. Addo tertium quod aqua densior est quàm aer, ideò magis imprimit in corpora nostra. Post quærit, cur magis grauis sit mutatio aquarum quàm cibi. Et respondet quoniam aquæ plus sumimus & per se, & cibos omnes præparando. Tertio quærit, cur ciborum & aquæ mutatio grauis sit? Et ibi uidetur uelle quod mutatio aquarum sit causa quòd mutatio ciborum grauis sit, adeò ut uideatur hoc problema priori annexũ & unum.

Deinde quærit, cur aquæ generent pediculos? & respondet, quod commutatio aquarum generat cruditates, præcipuè in parte humidiore, cerebrum autem humidius est cæteris partibus corporis, & quòd pediculi ab humore fiant colligitur experimento puerilis ætatis quæ talibus redundat animalibus, ex quibus omnibus colligitur, quòd aquarum mutatio plus affert iacturæ, quàm aeris. Galenus in primo de Tuenda sanitate (cap. 11.) tam probat utriusque Elementi bonitatem quàm improbat malitiam. uelut & secundo De Natura humana (com. 3.) Et Princeps secunda Primi (doc. prima cap. 16.) dum enumerat aquarum malarum incommoda, plura adducit diuturniora & minus periculosa ac magis ad facultatem naturalem pertinentia quàm aeris. Aer autem magis nocet facultati animali & uitali, & celerius interficit. Et constat ex narratione Galeni, & his quæ uisa sunt nostra ætate dum Galli in regnum Apuliæ peruenissent, non minus fermè omnes perijsse quàm ex aere corrupto. Curtium tamen referunt maius censuisse damnum ex aqua quàm ex aere, rationem tamen non addidere qui referebant: sed credo quòd quia sit corpulentior. Vitari tamen iactura aquæ potest, aeris non potest. Si quis enim perpetuò utatur carnibus assatis & bibat uinum, omnino fugiet noxam aquæ, at aeris non licet, nisi fiat piscis.

[a] Tex. 3.

Tex. 2. **Quare si quis ad urbem sibi incognitam peruenerit, circumspicere oportet eius situm, quomodo scilicet ad uentos & Solis exortum iaceat. Non enim æquales uires sunt ad septentrionem sitæ, & uergentis ad austrum: neq; eius quæ Solem exorientem, & quæ eundem occidentem spectat.**

Declarat quod superius dixit, & duo præcipua docet spectanda in urbium ac locorum situ, quomodo scilicet detegantur uentis & ad Solis partes spectent. In Sole quidem explicat ortum & occasum, meridiem septentrionem: nam sub ortu occasus comprehenditur, sed de uentis hoc non docet, quærenda ergo sunt duo, primum, quid sit illud κεῖσθαι, quod est iacere ad Solem, & quid ad uentos. Si enim intelligamus quòd sit contecta ab alijs partibus, dubium non est quod paucæ erunt imò ferè nullæ, nisi in profundis uallibus. Alemanus intelligit de monte oppositio. Sed si urbs quæ montem habet ad orientem positum, occidentalis dicitur, quare etiam non meridionalis ac borealis? Velut Bononia quæ montem ab austro habet, ab oriente tamen detecta est. Et uerè non solum hoc intelligit Hippocrates, sed inclinationem soli, uelut cùm tota iacet inclinata ad orientem, ab occidentis autem parte in colle posita, istud autem est ualde consideratione dignum, quandoquidem fieri uix potest ut solum non ad aliquam partem inclinet. & ita redditur dictum generale & artificiosum ac pulchrum, cum conueniat omni ciuitati. Vix enim solum adeò æquale esse potest. Dignoscitur libella. Atq; huiusmodi etiam inclinationes ad uentos seu communes seu proprios. Hæc igitur sunt spectanda.

[a] **Hæc itaq; diligenter oportet perscrutari, ac simul quomodo circa eam habeant aquæ, num'ne palustribus utantur uel mollibus uel duris ex sublimi loco prolabentibus, & scaturientibus ex petris siue salsis & crudis?**

Declarat quod superius dixit, & deuenit ad aquarum cõsiderationem in quibus nos admonet de septem aquarum differentijs, opponens unam alteri: molles & duras, palustres & ex sublimi loco natas & scaturientes, salsas & crudas. Et circa has differentias immorari oportet, nam in his consideranda est natura rei, inde causa. Demum dignotio: nam de operationibus suo loco agetur. Ergo salsam aquã dicimus qualis est in mari. Estq; una alia magis salsa: quæ enim in mari Sodomorum seu lacus Asphaltites, ut Galenus refert (quarto de simplic. cap. 20.) adeò salsa est, ut etiam amara non parum sit. Sed & sublimibus locis natas atque defluentes appellat quæ à uertice montium descendunt, ut Tigris fluuius & ex Pindo Achelous (Strabo lib. 11.) & in Hyrcania nonnulli, quos ferunt ictu sagittæ ferri adeò uelociter: idq; indicium est altioris ortus quo magis præceps ruit, impetum enim originis retinent. Alij tamen ob anguſtias locorum & uallium ueloces efficiuntur, ut in Armenia Araxes. Sed qui oriuntur & scaturiunt quales Arethusa in Sicilia & plerique alij fontes qui à terra palam oriuntur. Ex petris nullæ exoriuntur aquæ nisi uel inter illas uel ex specubus, tales dicuntur ergo ex petris. Molles, duras, crudas, si per molles coctas intelligamus & crudas in suo significato, proculdubio duris nullus erit locus. intelligit ergo molles suaues quomodocunque, quibus contingit certè ut etiam sint coctæ. Sed plus est cocta quam mollis, coctæ enim raræ sunt & nullibi in frigidis regionibus,

suauesq;

ſuaues autem multæ & maximè in regionibus non multum frigidis, præterea non omnis cocta aqua eſt ſuauis, ut Nili, ſcilicet cũ impura fuerit. Dixit ergo molles ut optimas quaſq; exprimeret in ſingulis regionibus, quæ non ſunt admodum frigidæ: ut Mutinæ profunda fontana, Bononiæ ciſternarum, Mediolani puteorum, at duræ dicuntur inſuaues. Cum ergo dixit crudæ, intellexit impuras omnino & quæ ſunt uelut aqua maris: ſed tamen impuritas illa ſalſa non eſt, uerùm à ſabulo, cœno, luto, quæ omnino cruda eſt & praua admodum, adeò ut crudum & ſalſum opponantur, non ut liberalis & auarus, ſcilicet uirtus & uitium, ſed ut prodigus & auarus, ſcilicet duo uitia,

De cauſis autem incipiendo ab his quæ à uertice montium deſcendunt, duplex eſt genus, ſcaturiens, de qua dixi modum in libri de Subtilitate Apologia contra Scaligerum: alia uerò fit ex collectitia, quæ eſt triplex, à niue, à pluuia, & grandine & à rore. Differunt hæ omnes ab ea quæ ſcaturit toto genere, quia ſola quæ ſcaturit ex cauſa ibi enarrata perpetua eſt: & hæc etiam immutabilis, ut contrà ea quæ deſcendit ab aere, in uere ſemper peßima eſt, cum fiat ex colliquatione niuium. Quæ uerò deſcendit æſtate & autumno cum tonitru ſed ſine grandine, bona eſt, quæ cum grandine deterior quàm ſine, melior quàm niualis. Quæ autem ſiccis temporibus & eſt modica colligitur ex rore, et eſt pauca admodum, hæc adhuc bona eſt ſed impura tamen. Cauſa autem earum quæ ſcaturiunt in plano non eſt eadem quæ in montibus, tum quia non incaleſcunt uiſcera terræ ut in montibus, tum quia non colligitur aqua in montibus, ut in plano, tum etiam quoniam non eſt adeò cauernoſa ut in montibus: demum quia denuo defflueret & condereiur, niſi multa eſſet: Erumpit ergo ex uiſceribus terræ deſcendens è loco altiore. Et plurima de hoc diximus in Paralipomenis. Nunc deuenio ad eas quæ ex petris oriuntur: et ſunt multorum generum, aliæ autem colliguntur ex niuibus & glacie & aqua in locum aliàs influxa ex altiore loco. Secundò cum ob frigiditatem lapidum calor intrò coactus aquam reſoluit in uapores. Tertiò cum aqua ex lapidibus cogitur uaporibus in unum coactis: ut uidemus in parietibus & hæc peſsima eſt, ut etiam quæ ex niuibus & glacie, ſed hæc aliquanto minus. Salſa autem eſt exuſtio terrei non ſimpliciter ſed aquæ miſti, ob id omne ſal tenue eſt, & maximè aqueum. Si autem non eſſet aqueum fieret amarum. Ergo ſal aqueæ ac terreæ ſubſtantiæ eſt, & tenue. Et licet ſit ſal lapideũ, tamẽ habet aquæ partem. Mollis aũt aqua fit tum calore concoquente, tum ſubſtantia luti tenerioris ſubiecta, ex qua duo commoda ſubſequuntur, puritas & mollities, à ſimilitudine tenues enim partes quæ ſunt in aqua adherent terræ glutinoſæ & lentæ. Et contraria ratione fiunt crudæ, ubi ſolum ſit aſperum uel limoſum ualde: ab hoc enim defædatur, ab illo non repurgatur, & ita fiunt crudæ, duræ autem ut in Germania, ubi à ſole non concoquuntur. Dignotio ortus eſt partim ex uiſu, partim ex uelocitate, ut iamdictum eſt, partim ex quantitate: riuuli enim deſcendunt ex collibus aut montibus, niſi ſint in foßis. At duræ aquæ, molles, crudæ, difficilius dignoſcuntur: ſalſa enim facile guſtu deprehenditur ſicut cruda quoniam turbida (eam intelligendo quæ à dura diſtinguitur) & lutulenta uel arenoſa uel animalculis plena. Fieri enim non poteſt ut aqua cocta & bona animal gignat. Mollem igitur, à dura dignoſcere licet, primum quod omnia coquuntur facile in molli, non licet in dura, maximè ciceres. Secundò quia mollis guſtu ſentitur facilè, non tamen oleoſum quiddam refert. eſſet enim impura, ſed quoniam iucunda eſt & ſuauis, dura uerò aſpera & inſuauis. colore etiam dura glaciei magis aßimilatur, et quòd euidentius, digitus ex aduerſo poſitus conſpicitur, & minor apparet: contrà in dura maior, & minus euidenter. ſtrepit etiam magis dura effuſa quàm mollis. Vltimum ſignum eſt, quod dura tardè caleſcit & tardè refrigeratur, mollis citò utrunq; adipiſcitur. Epota etiam tardè deſcendit dura, grauat præcordia, & urinas non cit, multo minus ſudores, cum mollis utrunq; efficiat. Hic autem omittit genus aquarum à cœlo deſcendentium quod opponitur ortis, & eſt ſexcuplex, pluuia, nimboſa, grandinoſa, niuea, pruinoſa, & rorida.

LECTIO VIII. SVPER TEX. VI.

TErra etiam ipſa conſideranda, nuda ne ſit, & aquis carens, aut denſa & aquoſa, & an concaua ſit, & æſtuoſa, uel alta & frigida?

Quatuor proponit terræ differentias, duas ac duas inuicem oppoſitas, prima ergo terræ differentia eſt, quòd terra ſit nuda ſine aquis, id eſt ſine

plantis ullis: nam ubi plantæ ibi necesse est aquas adesse uel profundas, ut illis attenuatis submini-stretur alimentum plantis: uel in terræ superficie, & sic non deerunt etiam aquæ, ut fontes, flumina torrentia, lacus: uel ut à cœlo terra irroretur: & sic erit aquosa in superficie. Vnde in locis aridis si uideamus plantas aliquas esse, certi simus non longius abesse aquas. Sed dices, Theophrastus narrat, in Hemo quondam non fuisse aquas, Cassandro autem ut Gallos obsideret succidente syluas, obortos passim fontes, quòd alimentum à plantis non absumeretur. Idem ait circa Magnesiam accidisse. Adeò ut defectus plantarum aquas non adesse haud ostendat (3. Natur Q. capite 11.) Dicitq; ad hæc Seneca uerum in profundo, ut uult Theophrastus.

Aut densa & aquosa] Hoc est secundum diuisionis membrũ: quæ enim densa est & aquosa sit necesse est: quæ autem aquosa, densa. nam cum regiones aliæ calidæ sint, aliæ frigidæ: calidis in locis concocto humore necesse est generari plantas, mimores herbas scilicet. quod si ualidior sit calor concoquitur etiam terra, et tunc arbores generantur. Si autem adhuc calidior, generantur animalia exanguia, uermes ac pisces: sin uerò calor adeò potens fuerit, ut pinguem reddat terram, & humidum aquarum tenue, ut in Aegypto generantur etiam animalia perfecta ut lepores ac mures. At ex his omnibus status hominum uariatur. Vbi enim terra arida est & nuda, homines sunt exiles, sicci atq; inepti: ubi etiam humida & plantis referta molles, et qui facilè soluãtur à calore laboribusq;. Dicit Adrianus, terram rubrã significare bonum aerem. Huiusmodi sanè consecutio est ut terra, aqua & aer in idem tandem concurrant quoad salutem & morbos hominum attinet. Diuersa tamen est ratio aquarum & terrarum in hoc quod solum siccum cum aquis currentibus salubritatem aeris efficiunt: solum humidum uel aquæ stagnantes corrumpunt ipsum. Terra etiam humida & aqua stans diuerso modo aerem inquinant. Etsi contingat quòd aqua multa sit in frigida regione, tunc solum bituminosum est, ideò necesse est generari plantas. Ideò Thales & multi alij Philosophi dixerunt, aquam esse principium rerum: quia seu regio sit calida seu frigida, ubi aquarum copia adsit, abundant plantæ, & ubi plantæ, animalia. nam omnis planta est cibus alicuius animalis etiam si sit uenenosa: Ideoq; ubi serpentes ibi plantæ uenenosæ & ubi plantæ uenenosæ ibi serpentes: Si uerò non sint uenenosæ, ibi multa animalia quæ illis uescũtur: & rursus animalia quæ illis animalibus, utita dicam, innoxijs uescantur, & homines abundent, quòd homo coœquetur uniuerso generi animalium. copia igitur aquarum & abundantia plantarum & animalium semper se consequuntur.

Quomodo autem huiusmodi loca fiant, causæ sunt (nam de decretis suo loco tractabit) nunc docere par fuerit. Clarum est terram sua natura siccam esse, ut in fine Metheororum scripsit Philosophus, eandem autem aliquando aquis irrigari, nonnunquã esse siccã ut in primo Metheororum ait (tex. 28.) & rursus in Problematibus dicit, quod madet ubertim (cap. ult. in prin.) ut ergo sic ca sit, expers sit aquarum oportet, hoc autem contingit quadrifariam uel nimio æstu solis (23. Probl. 34) ut in desertis, arenosis sub torrida plaga: aut ob nimium frigus cuncta arefaciens: ut sub polo & in Timarchia. Vnde etiam Hippocrates nudam terram uocat, niuibus tamen contectam. Vnde ex fine libri De Aere & Aquis inquit Galenus in libro (cap. 8.) quod Animi mores corporis sequantur temperaturam. At ubi nuda regio fuerit niuibusq; contecta hyeme uel æstate solis ardoribus: ubi in Hippocratis textu qui cum Galeni libris (cap. 12.) habetur (niuibus) deest, nec in ullo alio codice habetur: nudam ibi sub alio sensu accipere oportet, licet φιλόπτε uocabulo utrobiq; utatur, ut hic nudam, id est plantis carentem, ibi nudam, id est nullibi contectam & ob altitudinem expositam cœli iniurijs. Aut hic etiam sub illo sensu: sed tunc coniunctim legere oportebit nudam & aquis carentem. ostenditq; rationes tres simul, imò forsan quatuor, scilicet omnes, ut eminens sit & ob id solis ardoribus exposita, ut dixi, uel à frigoribus exusta uel à uentis siccata, uel ab aquis ob altitudinem destituta.

Et an concaua sit] Hic proponit tertiam differentiam terræ, quæ cum caua sit æstuosa, cuius etiam meminit inferius (cap. 12.) & similiter Galenus libro (cap. 8.) quod Animi mores corporis sequantur temperaturã, ubi semicommentum in hoc opus reliquit. necesse est autẽ cauas regiones æstuosas, non tamen calidas: differt enim æstuosum à calido: æstuosum enim immoderatum est & suffocat: calidum autem bonum persæpe, etsi etiam moderatum sit, & ob id malum, modò non suffocet malũ non est, aut saltẽ non ualde malum. Calor. n. malus est uel quia urit, uel quia suffocat. Inde sequitur uel alta & frigida, hoc est quartum

membrum notatu dignum, quoniam uult quod regio alta sit frigida, & hoc est uerissimum, adeò ut etiam sub Aequinoctij circulo montes niuibus integantur, sed nobis pugna est cum Aristotele. nos enim dicimus, aerem per se esse frigidissimum, nec incalescere nisi ob radios solis, Aristoteles calidissimum, sed à uaporibus refrigerari. Vter nostrûm uerior a dicat, uos dijudicabitis. Aristotelis fundamenta sunt, quòd duo sunt elementa frigida, igitur totidem sunt calida, nam si unum contrarium est in natura, etiam est reliquum, frigida autem sunt terra & aqua, igitur calidus aer & ignis. Secundo quia coniugationes qualitatum non seruarentur, est enim frigidum & siccum terra, frigidum & humidum aqua, calidum & siccum ignis, ergo aer calidus & humidus. tertiò quia tempora anni sunt quatuor, & ipsa conseruant elementa & singula singulis referuntur, ergo ueri assimilabitur aer, eritq; calidus & humidus, præterea uidemus quod aerea, qualia sunt oleum & adeps, calida sunt, igitur et aer calidus. accedit etiam illud quod omnia leuia uidemus esse calida, ut ignis, fumus, sulphur, aqua ardens, & quæcunq; sursum feruntur, ob caliditatem ferri uidentur, aer leuissimus est ergo calidus. Demum tenuia sunt calida, etenim tenuitatem caliditate acquirunt: Etsi aer frigidus esset, iam æterno in tempore condensatus necessariò foret, & hæc ratio est ualidissima. Cum constet aerem esse tenuissimum & non posse conseruare substantiam suam nisi ob principium naturale quod est caliditas ipsa. Quòd si quis dicat aerem hic uideri frigidissimum, ego longè melius respondebo pro Aristotele quàm faciant Aristotelici qui dicunt hoc contingere propter uapores eleuatos à terra & aqua, & non animaduertunt quòd illi uapores non possunt esse primum potentiores aere, secundò quòd aer quanto magis est serenus & clarus eo frigidior est, & præcipuà in hyeme, tertiò quoniam in excelsis montibus est frigidissimus, & tamen ibi pauci sunt uapores, & etiam si frigidissimus est, ergo non eleuat uapores, igitur non est frigidus propter uapores. Propterea respondeo pro Aristotele quod aer est frigidus prope terram propter duas alias causas, si uultis dicere quod propter uapores ita quod adiuuent, ego non contendã, sed illa non est causa principalis neq; etiam euidẽs, sed euidens est motus, motus enim in his quæ dissoluuntur, uelut in aere aqua manifestè refrigerat, quia dissoluit partes nisi sit coniunctus siccæ materiæ, aer autem est in perpetuo motu, & istud cõfirmatur experimento, quia omnis uentus ualidus immoderatè refrigerat, sed hæc ratio multas habet dubitationes, propterea reddo rationem principalem quæ est, quòd terra & aqua frigida non per uapores sed per continuitatem manifestè refrigerant iuxta proportionem densitatis & raritatis, quod uidemus in ferro mediocriter calido quod accendit sulphur, paleam, stuppam, arundinem, siccam cartam, quia calor ille qui in ea materia densa diuisus, non erat intensus nisi ad secundum gradum, in materia tenuissima acquirit gradum igneum, idem de frigore, & ideò aer hic fit frigidissimus, à terra & aqua, quia proportio terræ & aquæ ad aerem est ualde magna, quorum materiæ multitudinem. & do uobis exemplum, si uos accendatis ignem ex palea, aer superpositus fit flamma & ignis & urit statim, si superponatis ferrum aut laterem aut aquam, manebit per unam horam antequam fiant tepida, & hoc est quia gradus definitur penes qualitatem diuisam in materia, uelut si unus homo haberet centum millia coronatorum, procul dubio esset diues. si autem decies centeni mille uiri haberent centum millia coronatorum & nil aliud, profectò essent pauperrimi. Venio modò ad rationes nostras, & dico quod aer est frigidissimus sua natura, quia quotiescunq; non incalescit ab igne uel sole uel exhalatione, statim redit in extremã frigiditatem, nunquam autem in caliditatem. ergo cùm omne ens relabatur in suam naturam, clarum est quod aer est frigidus. Et si dicas, quod aqua sit feruens quamuis natura sit frigidissima, respondeo quod nihil potest mutari in contrarium extremum, nisi corrumpatur: quod etiam aquæ accidit cum feruet. cum ergo aer maneat, palam est eum non posse esse natura calidum. Secundò, aer est factus refrigerandi causa corpora animalium, ergo est per se frigidus: aliter bifariam errasset natura & faciendo aerem per accidens frigidum quo uti uellet per se ad refrigerationem, nihil enim per accidens debet præponi in ordine causarum per se: & etiam, quia ille aer quanto purior esset tanto esset deterior, & quanto deterior tanto melior, quia magis refrigeraret. tertiò quia essent plura agentia sub eodem generatione, utpotè calor ignis, calor aeris, & calor cœlestis, in quo miror de Aristotele, quod uoluerit esse tria efficentia non coordinata in eodem genere & in eadem operatione. Quarto, quia si aer calidus esset, concurreret in generatione ut agens & ut materia, & ita idem esset agens ratione

ne qua calidus & patiens quatenus elementum.

Præterea quæro, quodnam genus caloris sit? aut enim est uiolentus? & ita non esset idoneus nisi ad corruptionem? uel esset cœlestis, & ita non esset proprius ei: uel esset naturalis? & ita consumeret substantiam, sicut uidemus de calore plantarum & animalium. Vbi etiam est calor naturalis, ibi est lux aut lumen, sicut uidemus in animalibus & uita, aer autem per se obscurissimus est. Cessaret etiam oppositio uera quæ est inter cœlestia & sublunaria, quia cœlestia habent rationem habitus, & est calor, sublunaria priuationis, & est frigus, & sicut oportet recipiens esse denudatum ab omni natura recepti, ita elementa sunt priuata omni calore per se, sed recipiunt calorem cœlestem ad generationem, calorem putredinis ad corruptionem, calorem uiolentum ad attenuationem. Pro solutione ergo dico, quod aer sui natura est frigidissimus, id est priuatus omni calore, & ita hæc frigiditas est priuatiua, natura autem propria est temperatus, id est, quia non est neque frigidus neque calidus, quoad qualitates, comparatione tamen hominis est frigidus, quia natura humana est calida non parum. dico quartò, quod aer facilè transmutatur ad summum calorem, ut in flamma & frigus, ut in glacie, & ideò aer in cacumimibus montium est frigidissimus trifariam, & ratione propriæ naturæ priuatiuè ut dicunt, & ratione quia destituitur à calore radiorum Solis maximè refractorum, qui non est contemnendus, ut in speculo concauo, & in uallibus, sicut diximus alibi in libris de Subtilitate, & hic docet de æstuosis locis cauis. Tertiò, propter refrigerationem saxorum qui sunt in montibus adeò, ut dixi, ut etiam sub æquinoctiali niues & glacies generentur.

Porrò, Hippocratis sententia secundum, quod colligitur à Galeno in libro (Capite 8.) Quod Animi mores corporis sequantur temperaturam est quod situs locorum tria maximè significet temperamentum corporis & compositionem, morbos quibus sunt obnoxij, & mores animi, duo prima pertinent ad medicum per se, tertium quoquomodo.

LECTIO IX. SVPER TEX. VII.

HOminum insuper diæta perquirenda, qua maximè capiantur: an bibuli sint & lurcones, & ocio dediti, aut exercitijs uarijs utentes, & tolerantes laborum, ciborumq; plus appetentes quàm poculorum.

Transit ad secundum genus rerum non naturalium (sunt autem hæ sex ut habet libro Artis medicæ, capite 85.) Nam superiora omnia ad aerem pertinent, ut etiam aquæ: sed aquæ ut sunt ad aerem pertinent, ut bibuntur ad potum: & ideò habent duplicem locum. hîc uerò propriè de cibo & potu ac motibus & quiete tractat, per eadem tamen intelligit somnum & uigiliam, uenerea: per uerbum aũt lurcones, seu ἀργισπλαι ab ἀργιστάω, quod est prandeo, eos qui se ingurgitãt, intelligit. Horum nihil discere possumus, quamdiu ignorauerimus quorsum hæc tendant, finis autem propositus est ab eo initio, hic scilicet ut medicus possit exercere artem perfectè, nec, ut puto, intelligentibus dubium est de hac necessitate scientiæ temporum & uictus, quæ omni ægro conuenit. Verum dicet quispiam, quorsum scire regiones, aquas, uentos, si uoluero manere in mea regione, sufficit enim quæ ad regionem meam pertinent dignoscere situm loci, uentos, poli altitudinem, aeris naturam, aquam, consuetudines, temperaturas, uictus rationem, et si uelis addere etiam mores tum plantas quæ melius ibi proueniunt, quæq; facultates habent præclaras: at ut debeam uagari, cum nulla mihi causa sit præter id quod nulla utilitate id facturus sim, & magno dispendio multisq; periculis etiam studere non potero, neque artem exercere: quis enim est medicus qui prorsus incognitus ad curam ægrorum, relictis suis familiaribus medicis aduocetur? Narrat Galenus (10. de Simplic. med. cap. 1. in fine.) de duobus medicis, qui inscij consuetudinis gustato melle, quod ille uendere uelle simulabat, paucas post horas abierunt. & Romæ quod ex insidijs iuuenis medicus perierit. Ad hoc responderi posset, quòd Hippocrates hoc in libro (De Prænotione ad Porth. cap. 4.) unum docet & aliud uult. Docet quidem quomodo in Africa & Asia & Europa & Scythia, quæ ut uidebitur quarta est orbis pars & magnitudine & situ locum dignum habitura unusquisq; medicus possit dignoscere quæ sunt necessaria: non uult tamen quod adeat omnes illas partes, sed ut hæc eadem contempletur in propria regione, & ut sciat etiam antequam adeat, si fortuna contingat ut eò se conferat, mores naturam gentis proprios, morbos, leges, corporum qualitatem, situm aquas, uentos, tempora anni, atque huiusmodi. Possumus & dicere, quòd uelit medicum uagari in iuuẽta perdiscereq;, hæc omnia ut fiat glorioſus. reuersi enim in patri.. os alijs sublimire solent & magnum

nomen

nomen obtinere, quod nostra ætate profitendo solent adipisci. Ad incommoda respondeo, pericula facere cautum, expensas paucas esse si quis alijs adhærens hoc agat aut priuata sub persona, sine autem utilitate nulla peregrinatio esse potest sapienti uiro. Memini me uidisse Græcum, seu qui Græciam inuiserat, qui tot tantaq; didicerat, ut nisi cruris lupa (genus est cancrenæ seu carcinomatis) miserè perpetuò detentus esset, se suorumq; familiam etiam numerosam tot secretis sustentare potuisset: & erat uir prorsus ignarus literarum. Quod uerò opponitur de temporis dispendio, hei mihi, quoniam quotquot libros bonos parua arca concludere potest. Vis esse mathematicus, quinq; aut sex libri sufficiunt Euclides, Archimedes, Pergeus, Ptolemæus. Vis esse Philosophus, quid desideres præter Aristotelem, Plotinum & Theophrastum. unam ego Arithmeticam, unam Dialecticam ego scripsi. uis medicus fieri, sufficit Hippocrates, Galenus, Oribasius, Princeps. Melius est paucis benè incumbere quàm pluribus malè, ac si plures legas, malè ut incumbas necesse est. Volo Grammaticam & Rhetoricam, Cicero & Quintilianus ac Virgilius cum Seruij commento sufficiunt. Tunc dicitote alijs indigere uel hæc non sufficere cùm ea optimè callueritis. Sed quis est hic? nos magnam partem laboris uobis laboribus nostris sustulimus. Quis ergo dicat peregrinationem impedimento esse studijs, maximè hac ætate, cum ubiq; beneficio Typographicæ artis uenales paruo libri prostent & apud indomitos Turcas, iam mundus factus est ut homo unus, cuius etsi membra dissideant, tamen omnia in unum consentiunt.

Sed modò transeamus ad Hippocratis uerba explicanda, inquit, necesse esse consuetudinem scire, ut si sint bibaces & lurcones & ocio dediti, an potius exercitati & laborum patientes, & cibo potius quàm potui dediti. Planum est singula singulis opponi. bibaces inquit huic opponimus plus appetentes ciborum quàm poculorum. ocio deditis eos qui assiduè exercentur, & laborum sunt patientes. unde id quod est lurcones seu aristeti, pro his intelligantur, qui potu potius quàm cibo gaudent, eos appellamus qui prandent, id est, comedunt ut bibant, qui mos est apud Gallos, uocantq; sua lingua, Vn petit morseo, id est, parum comedere panis ut uini non parum hauriant. Memini me dum essem in Gallia, & inuisissem quendam nobilem, in lectum attulerũt frustulum panis, uini autem satis pro quatuor temulentis, eram autem solus cum duobus pueris seu adolescentibus in cubiculo: rogaui quid hoc? erat autem mihi nouum: responderunt id consuetum esse: risi & renui, illi tamen reliquerunt uinum & panem. alij ergo bibunt quia comederunt, atq; hic mos probatus est, & naturæ & saluti consentaneus. at comedere ut bibas lurconis est. Suntq; hæc satis cognita ex Athenæo (lib. 1. cap. 4.) ubi de prandio & ientaculo agit. Sunt ergo duo genera corporum ex consuetudine è regione opposita firma & fluxa. Vnde quærebat Philosophus prima Problematum (47.) cur cibum subtrahere, laborem uerò augere ad ualetudinem conferat, & est sumptum ab Hippocrate in sexto Epidemiorum (Par. 4. Tex. 20.) sanitatis studium non faciari cibis & impigrum esse ad labores atq; hæc quoad naturæ rationem. namque trifariam robusti fiunt, & magnitudine caloris qui benè concoquit, & cibi paucitate qui benè concoquitur, oportet autem esse solidum & boni alimenti, qualis est panis & fructus è nucum genere, & quia membra solidiora redduntur. circa operationem uerò medici qui tales sunt sustinent inædiam facilè & purgationem, sectionem tamen uenæ magis intemperati: Si ergo medicus hæc nouerit quæ noscere oportere, docet Hippocrates in eo Aphorismo sextæ Particulæ Epidemiorum, uictus ex repletione inanitioneq; cibariorum ac potuum: Et ibi labores, ocia, somni, uigiliæ. Sed & in lib. de Flatib. hoc docet (à Tex. 20. ad 23.) quanquam non facilè sit ut concedamus legitimum esse Hippocratis librum. Sed & in libro de Humana natura. Quomodo autem fiant morbi ex mala diæta, dicam opinionem authoris libri de Flatibus: & est quod ex pluribus cibis generantur flatus: quod declaratur ex eructuatione, & ab illo flatu refrigeratur sanguis, & cor tanquam primum principium, & indicium huius est, dicit, quod febres incipiunt cum rigore & frigore. ideò existimat causam omnium morborum esse flatum. Demiror itaq; cùm tot libros reijciat ab Hippocrate, qui ne minimam cõtinent partem absurdorum, quæ liber hic continet, hũc qui adeò à sua opinione aliena cõtinet: quiq; solem spiritu ferri contendit, credere ipsum esse illius Hippocratis. Nam præter id quod multi corrumpunt cibos absq; eructuatione, etiã multæ febres absq; rigore incipiunt. Causa igitur quod cruditas morbos gignat est, quia ubi cibus crudus est, nõ est in potestate animæ illius, sed animæ mũdi, ideò fertur si leuis sit surs ũ, et si grauis deorsum, et non quò oportet: et cõfertim et nõ diuisus ad minima: Et afficit refrè

gerando uel calefaciendo partes: & obstruit & impedit: demum corrumpit illarum nutrimẽtum, & ita quinq; his modis præcipuis morbos gignit.

Illud etiam considerandum est, Hippocratem indicare nobis duplicem noxam diætæ præter rationem, unam in sanis, ut sint procliues ad morbos, aliam in ægris, ut impediatur sanitas: Et circa hoc obseruandum quod diximus in opere de Dentibus, (libro 2.47.) res has non naturales quandoq; iungi morbis ut causas quæ illos creârunt, & tunc morbi illi difficillimè sanantur. Ex-
[a]Tex.2.et 4 posuimus autem quæ non possunt auelli, & con-
[b]Tex.3.et 5 numerantur inter causas morborum, & quæ non.
[c]Tex.6. Et est alia ratio, quia non solum sunt considerandæ ut impedimentum curationis morbi, sed ut in-
[d]Tex.7. dicant morbos futuros in sanis & præsentes in ægris, uelut Galenus docet (lib.8.) in opere Artis Medicæ. Tertiò considerandæ sunt hæc ut inducunt consuetudinem, quam dum possmodum uiolant, parit morbos. Atq; Gallis plusquam bis etiam dabimus cibum in die: & Germanis facilius concedemus unum. Ergo ratio uictus tripliciter indicat, uel ut manet & procreat morbum, aut adauget, aut ut significat morbum, aut indicat de consuetudine à qua abdendo in periculũ deuenimus.

Porrò malæ rationis uictus multiplex est iactura: prima per se, ut nimia repletio cibi mali. Secunda comparatione naturæ, ætatis, loci, temporis, consuetudinis: hæc enim quinq; sunt principalia, & in ægris sextum morbus, & quicquid cum eo coniungitur. Tertia ratione ordinis, moderatus labor, moderatus cibus, sed ante laborem cibus peruerit hominem. ut quidam iuuenes qui à prandio statim se dedũt pilæ paruæ ludo, alioquin ociosi, quos constat ad talem se præparare, ut in libro de Cibis boni & mali succi. Quarta, cum non inter se congruunt res præter naturam. Et ut generaliter ad methodum traducam, peccatur in sanis quadrupliciter in illis, in ægris etiam comparando ad res contra naturam seu affectus. Simpliciter, comparatione ad naturam, comparatione ad reliquas inter se, & ratione modi.

LECTIO X. SVPER TEX. VIII.

ATq; ex his singula sunt inuestiganda. Nã qui hæc omnia probè quantum fieri potest, cognouerit, aut horum plurima, eum non latere possunt, cum in urbem etiã ignotam sibi peruenerit, neque morbi regioni peculiares & propriꝰ, neque communis regionis natura quæcunque tandem ea fuerit, ut non possit in cognoscendis morbis dubius hęrere, aut errare, sic ubi ad morborum medicationem adhibeatur: quæ ambo illis euenire solent, qui non prius prouidi hæc diligenter cognouerunt.

Nunc proponit Hippocrates utilitatem huius doctrinæ quomodo se habeat, quoniam antea in genere quatuor, quæ præcipuè medicum inspicere oporteret edocuit.[a] Primum, situm loci quo ad uentos, & quo ad solem.[b] Secundum, aquas quales essent iuxta illas septẽ differentias. [c] Tertium, terras nudas & siccas, aut densas & aquosas, aut concauas & æstuosas, aut altas & frigidas. [d] Quartum, diætam intelligendo per diætam res quinque reliquas ab aere omnes, sed præcipuè illas quæ commutant homines generaliter, & sunt duæ labor & ignauia, cibus & potus, nam cura & uigilia & euacuationes non sunt adeò generales, ut illa duo, quia illa duo sunt per se necessaria ad salutem & secundum frequentem usum comedere, bibere, laborare. At dormire non est in nostra facultate adeò, & purgatio non est nisi stolidorum hominum aut auarorum medicorum, et curæ paucis accidũt, nisi frustra se macerent. iracundi enim uitio laborant. dicit ergo quod talia sunt inuestiganda, scilicet secundum genera, & etiam secundum quantitatem, nam magni excessus magnos pariunt effectus, & parui paruos. dicit ergo, quod ubi quis hæc probè cognouerit, id est exactè, tunc cognoscet morbos familiares illi regioni, & naturam communem ipsius regionis, adeò ut cum offertur æger, neque errare debeat in cognoscendo, neq; etiam in curãdo. Et hæc sunt illa duo de quibus ait, & propterea posset dicere aliquis, ergo omnes morbi essent similes, quia si dignoscuntur ex his quatuor, & hæc quatuor sunt communia, igitur omnes morbi illius regionis erunt similes, quod est falsum. Et quamuis Alemanus multa dicat præclara inter quæ distinctionẽ illam quadruplicem morborum communium in simplices uelut febres & alui profluuia, & in Epidemios, uelut diſenteriæ, sanguinis eruptiones, tusses, peripneumoniæ, morbi laterales & in pestilentes, ut febris pestilẽs, carbonculus, bubones exitiales, sudor Anglicus, angina, phrenitides aliosq;. Et in Endemios, ut phthisis Lusitanis, Aruma Hispanis hydrocele, Galliæ Narbonensi podagræ, Mediolanensibus elephantiasis, Scotis & maximè Hibernis, non tamen

men dissoluit difficultatẽ, quoniam nõ ob hoc scimus naturam morborum. conatur aũt sic euadere quod postquàm nescimus temperaturã propriam bonum est & necessarium, saltem scire cõmunem quæ dignoscitur ex quatuor illis supradictis, atq; ita uidetur effugere difficultatẽ, nã dicit, peregrinus homo non potest cognoscere temperaturam propriam: sed hoc nõ satisfacit de morbis et causis morborum: esset enim stultum non solum inhumanũ mederi quenq;, non cognito morbo nisi per coniecturas uniuersales. Propterea possumus respondere, interpretãdo uerba Hippocratis trifariã, uel de generalib. tantũ morbis, uel sporadibus, ut sunt ijdẽ generalibus, uel ut possunt intelligi sine his generalibus. Quod ad primam expositionem attinet dico, quod Hippocrates intelligat de morbis uulgaribus, sicut explicat in sequentibus, ad hos enim morbos solẽt uocari præclari medici, ut ipse uocatus est in Asiam. & ad Pæonas ad quos noluit ire tanquã inimicos Græcorũ: & ad Athenienses propter pestẽ, ad quos misit Thessalũ filiũ, ipse ire nõ potuit. Et Curtius ætate mea Vincẽtiã, quãuis male fortunatus fuerit in curando. Igitur hæc expositio est satis cõgrua: quoniã uocantur tales medici, quia propriè nesciunt curare morbũ illũ, eò quòd nõ cognoscũt causas, & curatio fit à mouendo causas, & per cõtraria causarũ: & etiã quia nõ possunt perfectè cognoscere uim illius morbi. Exemplũ cõtingit, quod in aliqua ciuitate sicut sæpè euenit quod multi moriũtur ex morbo laterali cõtracto ex pluuia collecta, sicut fuit tempore Thucydidis, ut refert Diodorus Siculus in fossis iuxta Athenas, inde succedẽte æstate et uentis, ægri oẽs moriuntur: medici patriæ putant illud contingere (nescientes hãc causam) uel quia abscessus in illis magni, uel quia sectio uenæ nõ fiat in loco cõuenienti: & ita unus mittit sanguinẽ ex una uena, alius ex alia, & tantũ abest ut proficiãt, ut etiam ualde lædãt: addentes malũ malo. & similiter alij putãt cõtingere ratione uictus, & tentãt alios cibos, utpote carnes, fercula, aut nimiã mædiam: et ita plures mactãt & celerius. medicus ergo hæc noscens euacuatis fossis, accensis multis ignibus, suffitibus odoratis poterit liberare eos, & hæc est perfecta solutio, et credo quod sit ad mentẽ Hippocratis. Secunda est ut dicamus quod intelligat de morbis proprijs: hoc modo, scilicet quod præsupponat eosdẽ morbos esse sporades & cõmunes, & hoc uidetur uelle Hippocrates, et cũ oẽs fiunt sub eadẽ forma, utpote tertianæ aut quartanæ, tũc uocãtur omnes simplices uel epidemij uel pestilentes uel endemij, & hoc uidetur uelle omnino, quia dũ cõnumerat morbos ætatũ & temporũ & locorũ, nullũ genus morbi excludit, ergo uult quòd sporades cõtineantur sub cõmunibus, & sicut cõstitutiones generales, sub quibus etiã intelligo ætates & sexũ & res naturales, ut se declarat Hippocr. in 3. Aphor. & 1. & 3. Epidem. sunt indicia morborũ communiũ ita propriæ propriorũ et sporadũ. & hoc superlucramur amplius: pòst cognoscẽdo per uniuersales causas, cognoscimus more diuino, & ita longè melius, quã qui sciũt per propria uocata signa et specialia, & ita Hippocr. docet utrãq; cognitionem morborum & signorum & causarũ in hoc libro.

Tertia expositio est magis subtilis & Hippocrate digna: & est quòd morbi non possint cognosci per propria signa, nisi cũ auxilio cognitionis temporum, locorum, & similium. Et iuxta hoc uidetur Hippocrates præsupponere quatuor cognoscenda, morbum per propria signa, naturam ægri per propria signa, & utrunq; horũ per signa generalia: quæ sumũtur ab illis quatuor propositis. Et quod dico de signis, dico de curatione. Cum enim sint tria considerãda in quolibet ægro, naturalia, præter naturam & cõtra naturã: cumq; res hæ nõ naturales sint causæ neutræ, ut in Arte Medica, (cap 85.) illæ erũt cognoscẽdæ trifariã, ut cognoscuntur res naturales, quæ ab illis pendent: ut res præter naturã, & ita morbi causæ, symptomata: et ut possunt esse instrumenta curationis. Ergo sub hoc sensu erit utilitas triplex cognitionis causarũ uniuersalium, & adeò clara, ut non indigeamus nisi declaratione huius: quomodo morbus nõ possit cognosci per signa propria. Ideò dico, quod mens Hippocratis (pag. 3.) in lib. de Arte est quod morbi interni rarò cognoscãtur perfectè, et nõ statim. Quoniã ergo nos indigemus curatione morbi statim, ideò etiã indigemus illa cognitione quæ fit per coniecturas generales. Illud idem declarat prima Aphorismorum (12) cum dixit: Accessiones uerò et constitutiones indicabunt & anni tempora: igitur anni tempora faciunt ad dignoscendos morbos. Sed iam propius accedamus, est aliquis qui habet uriginem urinæ, habitans in regione calida & sicca cum aquis puris, & uictus eorum qui ibi habitant est sobrius, multum exercentur, uescuntur auibus, pane leui: alius similiter eodem symptomate tenetur, uiuunt ibi multo caseo, plurimum comedunt, sunt ociosi, bibunt aquas turbulentas, calidas atque stagnantes: Dicemus cum sciamus apud eiusmodi homines esse multos qui patiuntur calculum ueficæ apud illos

los,motum bilis ad urinam hunc laborare lithiasi,illum urigine ex bile ad ueſicam deſcendente. Rurſus,duo ſunt qui patiuntur tuſsim, difficultatem ſpirandi,dolorem in latere dextro, ſebrem acutam:Primus degit in malo aere,utitur exercita-
[a] Tex. 14. tione multa,cibis bilioſis, eſt iuuenis, colore flauus non multum ſe replet, aquas bibit bonas, & utitur uino claro,flauo:alter degit ubi aquæ crudæ ſunt,turbulentæ,edax, cibis utitur plurimum nutrientibus, in ætate primi ſenij, ocioſus, piſces comedit,dulcium aquarum,& non ſquammoſos,
[b] Tex. 26. craſſos,pane ueſcitur graui, parum fermenti habente & malè cocto:à prandio ambulare ſolet ac
[c] Tex. 17. ſcribere,temperaturæ ſanguineæ & pituitoſæ.Di-
[d] Tex. 18. cemus hunc iecoris inflammatione, illum membranæ coſtas ſubcingentis detineri. Iuxta hoc ergo cognitio rerum non naturalium omnium dicit uel maioris partis,quia non ſemper omnes cognoſcimus,& dato quòd cognoſceremus, non omnes in unum ſemper conſpirant in morbis communibus,docet præſagire euentum eorum. In proprijs autem morbis declarat celerius differentias eorum: ut etiam celerius occurrere poſsimus morbis: tertio docet modum curandi, uelut ſupra dixi, in morbis generalibus, in ſpecialibus autem ſpecialiter.uelut cognoſcendo lapidem ueſicæ inchoatum ex aqua arenoſa epota, inſtituam alium potum. Euidentius autem in morbis qui curari poſſunt,uelut podagra, arthritide, capitis dolore antiquo,malo iecoris habitu.

LECTIO XI. SVPER TEX. IX. ET X.

QVare qui ea ſtudioſè rimatus fuerit, unius cuiuſq; temporis ac anni futuri conſtitutionem prædicere poterit:qui uidelicet morbi communi adfectione ciuitatem ſunt inuaſuri,tũ æſtate tum hyeme, & quæcunq; pericula unicuiq; ſunt timenda ex diætæ ac uictus mutatione.

De omnibus intelligendum eſt,ut ſub uentis & ortu intelliguntur tempora etiam anni. Et ideò cum propoſuiſſet quatuor cognoſcenda, iterum repetam,conſilio ualde utili quædam præſupponit,quædam ſubintelligit: Præſupponit quidem naturalia ut in declaratione, non ſimpliciter ſed comparando,uelut infantibus(infra dicit) & pueris calculi renum,mulieribus abortus. ſubintelligit tempora anni ſub uentis & exortu ſolis. Vult ergo ut ex horum comparatione dignoſcamus cõ ſtitutiones temporum,id eſt morbos qui temporibus accident:hoc enim appellat temporis conſtitutionem,id eſt morbos qui tum accidunt. Et quòd ex horum comparatione hæc cognoſcantur, & qualiter uides in exemplo clariſsimo inferius: inquit enim: [a] Quæcũq; ciuitas ſita eſt ad uentos ca « lidos,& à uentis borealibus tuta eſt, & protecta « & aquæ ſint multæ & ſubſalſæ,æſtate quidem ca « lidæ,hyeme frigidæ,& quæcunq; ſunt hominibus « aduerſa. Ecce quòd ex generali conſtitutione ad « temporum conſtitutionem peruenit abſque alio: quod poſtea clarius oſtendit. [b] Inde docet ſuccedẽte temporum mutatione quid ſperandum,cum dixit: [c] Et ſi quidẽ æſtas ſicca fuerit,citius ſedantur mor « bi: [d] & inferius etiã explicat illos. Et ut uno uerbo « doceam omnem rationem harum mutationum, dico quòd cum propoſuiſſet quatuor generalia,ſcilicet habitationes quo ad uentos & ſolem & aquas & terras & rationem uictus, ex his conſequuntur alia quatuor, primum morbi generales qui æſtate et hyeme & ſemper ſunt familiares regioni & morbi,qui conſequuntur mutationẽ temporum ſecundũ naturam,utpote æſtate uel hyeme qualiſcunq; ſit. inde morbi qui conſequũtur mutationem temporum præter naturã, inde morbi qui conſequuntur mutationem rationis uictus:Et ideo tempora non connumerantur in his, quia nõ ſunt cauſæ ſimpliciter ſed in quibus: & ideò non ſunt adnumeranda ſuperioribus quatuor,neq; aſtrorũ ortus ac occaſus,de quibus dicet inferius, quoniã ex his mutãtur aer aut aqua:& ita ſunt cauſæ magis remotæ.Coniugationes aũt ſunt penè infinitæ, ut ita dicam,nam ratione habitationũ & uentorũ fiunt quatuor principales differẽtiæ,exceptis mediis & compoſitis,ad orientem,occidentẽ, ſeptentrionem et meridiem.ratione aquarũ tres, primæ ab ortu, à qualitate quatuor, ut ſint duodecim, quæ ductæ in primas efficiunt quadraginta octo: quæ ductæ in quatuor rurſus tertiæ ſectionis ſumptas à terra, fiunt centum nonaginta duæ. Quas iterum ducemus in octo ſumptas à ratione uictus. Sunt enim tres oppoſitiones,cibi multi & pauci, potus multi & pauci,labores et otij,ut ſint ſeptingentæ triginta ſex,quas ducemus in quatuor membra comparationis, ſcilicet morborũ ex generalibus cauſis, ſeu endemiorũ,ex temporibus ſecundũ naturã,et ſunt cõmunes:uel præter naturã,et ſunt Epidemij: uel ex ratione uictus,& fient bis mille noningentæ triginta ſex.Intelligit ergo permutationem uictus in ſpeciali,uelut ſi Anglus cogatur multũ ſe exercere et parum comedere, & Venetus

aut

aut Florentinus multum comedere & bibere & otiari: Et generaliter, si regio assueta abundantiæ tritici & uini & carnium, ut Insubrum, cogatur esurire, comedere herbas: palam est quòd incident in morbos prauos, sicut docuit Galenus in libro de Cibis boni & mali succi. (cap. 1.) & propterea notanda est una regula (2. Aphoris. com. 34. & 3. com. 3.) quæ seruit generaliter & specialiter prouidentiæ futurorum & custodiæ à malis ingruentibus & sanationi instantium: quòd semper similia similibus applicata magnas noxas inducunt, contraria contrarijs curant & sanant, & tollunt detrimenta: & hoc est quod uult Hippocrates in Textu, uelut regio exposita meridiei, & cum aquis calidis & salsis & concaua, & quæ utitur multo cibo & laboribus, peßimè se habebit & deterius in iuuenibus, & in æstate & in natura bilioßis: & ideò dicebat Hippocrates in primo Epidemiorum, & in tertio. Affligebantur autem maxime ex his morbis pueri & mulieres, aut contrà iuuenes & senes: contrà uerò si regio sit alta, libera, aquis redundans, æstate erit saluberrima, & eo magis si non multum exerceantur, & sint aquæ potores. Secunda regula in mutatione ex sicco ad humidum est potius spes salutis quàm timor, eo quod mutatio est parua & ad contrarium: sed si mutatio sit repentina & magna ex calido in frigidum maximè, uel ex frigido in calidum, uel etiam ex sicco in humidum. sed non adeò est etiam ualde periculosa, sed ex humido in siccum, non, neq; ex sicco in humidum sensim neque parua. Tertia mutatio contra naturam regionis & loci est periculosior quàm secundum naturam loci, etiam quod sit uehementior. In omnibus ergo his locus est, ut dictum est, prouidentiæ, custodiæ & sanationi.

TEXTVS X.

CVm temporum mutationes, et astrorum ortus, & occasus obseruauerit, quemadmodum singulaorum eueniant, prænoscet utiq; & de anno qualis sit futurus.

Transcendit ad aliud genus, & est cognitionis causarum, cum enim Astra proculdubio sint causæ mutationis temporum, ut declarat Ptolemæus in libro inerrantium stellarum significatione, deducto ad Latinam linguam per Leonicum, inde per Sirigatum traducto ad normam nostri temporis: demum etiam per Adrianum Alemanum emendato. ueluti si dicamus quod in kalēd. Ianuarij ob Aquilæ & Coronæ occasum tempestates efficiuntur, idq; multo antè initium sumit, & ob id fiunt grauedines & raucedines: istud erit præcognoscere nō solum quid futurum sit ex causis iam incipientibus, sed ante primas causas: dico primas causas, id est, proximas. dupliciter enim dicuntur causæ primæ, uel quia sint ante omnes alias, uel quia primo ex eis oriatur effectus, barbari immediatas uocant. Ergo exortus siderum est causa mutationis temporum. & intelligit per exortus siderum tam errantium quàm inerrantiū, & cū talis exortus sit triplex, Cosmicus, Chronicus & Heliacus, intelligitur solum de duobus ultimis: nam de primo siue ortu quotidiano, non est intelligendum. uerum loco eius accipiemus transitum solis per quatuor puncta cardinalia. Ex quo patet quod Hippocrates intelligit tempora, quo ad mutationem (non quoad curam) iuxta Astrologos, quia sic non possemus scire naturā eorum, nisi ex punctis cardinalibus. & quia motus solis est tardus, et ideo non possumus scire quando sol ingrediatur puncta cardinalia saltem tropicos, quia ibi declinatio parum aut nihil uariatur, & locus solis scitur per uariationē declinationis: ideò Ptolemæus secūdo Apotelesmatum (Cap. 10. Tex. 56.) iubet ut cōsideremus coniunctionem aut oppositionem quæ antegreditur ingressum solis in punctum cardinale, & iuxta illud iudicare de quarta illa uelut æstate uel hyeme, & hoc habet magnam difficultatem, uti ibidem exponens docui. Sed de Chronico intelligitur, quotiescunq; stella uelocior sole occidit per occasum solis, et uocatur occasus Chronicus, sicut ortus eius est cū occidente sole iam stella apparet in oriente. Heliacus uerò est quotiens stella tardior sole, seu errans, seu inerrans, oritur ante ortū solis, relicta ab ipso sole. sed si ante ortū solis stella quæpiā à parte oppositā illi occidit, uocabitur eiusmodi occasus heliacus. Sunt præter hæc ortus matutinus & uespertinus, etiā occasus matutinus ac uespertinus, qui plurimū ab his differunt, sciendo primū quod aliquando eadē stella occidit eadē die uno modo, utpotè Vergiliæ Autumni tempore occidūt heliacè matutino, & oriuntur chronicè iā occidēte sole, quod in paucis diebus frequēter cōtingit in una rarißimè. Et similiter cōsiderunt occasum uespertinū & matutinum & ortum etiam uespertinū cum occasu heliaco frustra. Etsi contendas quòd nomina non debent sic capi, non litigabo, modo tria scias, primum quod intelligendo ut dico, doctrina redditur clarißima. Secundum, quod secus exponendo incides facile in cōfusionē inextricabilē. Tertiū, quòd nostra expositio

Astrologis

Astrologis quorum maximè est hoc munus satisfacit: & medicis etiam: de Grammaticis nũc ac Poetis nõ disputo, quos quantumuis uelis dissentire, eadẽ tamẽ dissensio usq; ad uerba solùm peruenit. Ortus ergo matutinus est quoties stella quæ sub radijs iacebat Solè ab ea discedente ut uelociore apparet ante ortum Solis: occasus matutinus contrà cùm stella ante ortum Solis apparere solita ob uelocitatem motus, fugientem à se solem assequitur & occultatur, & ideo in hoc ortus & occasus fiunt ab oriente. Ita ab occidente cùm stella uelocior Sole progreditur & quæ antea non uidebatur, quod solũ in Venere & Mercurio & Luna esse potest apparere incipit uesperi, oriri uespertino ortu dicitur, ibidem si desinat uideri ob tarditatem motus, in occasu uespertino est. Siquis ergo rectè consideret, quatuor sunt stellarum considerationes circa ortum & occasum habentes propriam significationem iuxta naturam propriam & stellæ quæ oritur & occidit. & antiquo tempore eiusmodi erant in magna obseruatione propter admirationem, & etiam quia ob inopiam. tertium erant magis otiosi & scientia erat magis in precio. Ex his autem manifestum est quod Luna nunquàm & Mercurius & Venus dum sunt uelociores sole, occidunt occasu heliaco. Est etiam animaduersione dignum quod non omnes stellæ eandem habent efficatiam neq; æqualiter obseruabantur: Verùm aliquæ erant principales in hoc, uelut Arcturus & Pleiades, Vergiliæ & Canis. Istæ enim tres habitæ sunt potentissimæ, intelligo de cane maiori, sed in cane & Arcturo obseruatur ortus tantum, in Pleiadibus autem tam occasus quàm ortus, & intelligatur de ortu heliaco, sed in Saturno, Ioue & Marte eadem est ratio, quia nunquam mouentur uelocius Sole, erunt ergo sex & quatuor. In Venere autem & Mercurio obseruamus ortum & occasum heliacum & chronicum, quia aliquando sunt uelociores sole, aliquando tardiores: ut sint octo, & fient duo de uiginti, & similiter in Luna obseruabimus occasum matutinum & ortum uespertinum solum, & ita erunt uiginti obseruationes, & in his etiam quæ fiunt à Venere & stellis inerrantibus sunt manifestissimæ: pòst à luna, neq; omnes sed à Venere & Luna ortus uespertinus seu malis dicere occasum chronicum. Et Venus maximè gignit imbres & humectat aerẽ, & Iupiter & Mercurius heliace exordientes simul generant flatus, & canicule ortus, ardores & siccitates, febres acutas & mortes, & arturus pluuias in ortu, & Pleades exordientes pluuias & occidentes initium hyemis. Plura alia scribuntur, à Plinio atq; alijs quos poteritis uidere. Cæterum illud obseruatione dignum, quòd præter illa sydera inerrantia & solem, Lunam & Venerem ac Mercurium unicuiq; regioni est proprium astrum, quod non minus conuenit obseruare quàm illa.

LECTIO XII. SVPER TEX. XI ET XII.

HOcnãq; modo si quis rimatus fuerit, ac præcognouerit temporum occasiones, maximè de singulis sciet, ut plurimum sanitatem adsequetur, & recta uia procedet, non minima artis suæ gloria.

Potest hoc referri & ad considerationem reliquorum & etiam, quod uerisimilius est, ad temporum mutationes & ortus atq; occasus syderum quoniam ex generalibus generalia et ex specialibus specialia cognoscere poterit hoc etiam bifariam intelligi potest: uel quod ortus astrorum sint causæ mutationis temporum, & hoc est solum operari per aerem, uel quod uerè etiam per influxum operentur. gratia exempli, dictum est quod Aquila & Corona occidunt kalendis Ianuarij, & hoc est causa tempestatis. Tempestates autem generant hyeme grauedines & raucedines, dato modo quod non gignunt tempestatem, quæritur an possint absq; ea gignere grauedines uel raucedines uel aliquid simile, & uidetur quôd non. Quoniam inferius dicit (libro tertio à Tex. 8. ad Tex. 11.) quod cauere oportet temporum magnas mutationes in dandis medicamentis, & ibi ponit solstitia & æquinoctia, ergo uult quod caueamus ob temporum mutationem non per se. Aristoteles quoque secundo Cœli dicit, quod astra agunt motu & lumine, ergo nisi permutent ex causa manifesta, possunt agere in hæc inferiora. Præterea quia Ptolemæus in Apotelesmatibus (libro primo cap. 2. & 3.) docet, quod astra agunt in mutando aerem. Si ergo Princeps Astrologorum hoc concedit, quanto magis nos id fateri conuenit. Accedit quod astra agunt mutando per tempora & mutationem aeris ergo non aliter, nam secus posset causa remota agere sine propinqua: uel unius effectus comparatione una & eadem causa simul fungeretur uice propinquæ & remotæ, quorum utrunq; absurdum est. adeoq; absurdum ut contraria implicet. In oppositum uidetur Hippocrates loco allegato & etiam Ptolemæus

conclu-

concludere, quod actio influxus occulti concedatur. Et ratio est manifesta etiam quia si homines non ægrotarent nisi propterea quæ manifestè uidentur, Astrologia tota de genituris esset uana, quia unus uno tempore optimè se habet & alter eiusdem temperaturæ & ætatis ægrotat & moritur: si ergo constitutio temporis adest, uterq; debet ægrotare, si non, neuter. Propter hoc respondeo, quòd isti influxus dantur, sed tamen non operantur nisi per calidum, siccum, frigidum & humidum, adeoq; oportet ut deferantur per aerē & aer immutetur & hoc extra medicinam. Verum quod ad mentem Hippocratis & Philosophi attinet pro sanitate & morbis, dico quod considerant duo, qualitatem & motum, & motus nunquam deesse potest, qualitas autem deesse potest. Velut, gratia exempli, in tempore Veris aer mutatur necessario ad calidum & humidum, quia inferiora subijciuntur superioribus (primo meth: cap. primo) Ideo posita causa per se, necesse est ut sequatur effectus, non tamen necesse est ut perficiatur effectus, scilicet ita aer incalescat, quia poterit nix, gratia exēpli, obstare, & in hoc casu germinabunt arbores intus, & hoc malum est ualde plantis, ut dicit Theophrastus (libro 4. cap. 16) quoniam plantæ moriuntur, aut, ut ita dicam, sideruntur, idem dico de homimibus, traducit ergo hoc maximè ad curationem Alemanus, rursus accipit hic occasionem temporis malè (cum uenia dictum sit) traducens ad tempora morbi, & multa adducit extra propositum, cum Hippocrates intelligat de temporibus anni & astrorum & non morborum. Secundo deuenit ad placita medicorum, ut potè quòd in purgādo debeamus obseruare quod luna sit in signis aqueis, & hoc credo non intellexisse Hippocratem, sed potius de his tribus, ut apparet ab illo, & est Astrologia naturalis rationi conueniens & uera: primum, ratione temporum, quia, ut dicit Hippocrates quarta Aphorismorum (.5.) Sub canem & ante canem molestæ sunt medicationes. Idem dicit in Tertio huius. [a] Et ut una regula comprehendantur. Aestas mala est & hyems, & similiter canis quia sunt calida & sicca immodicè, uel ob mutationes uehementes ut Arcturus & Pleiades, horum uerò ortum consequatur qualitas humida aeris & pluuiæ maximè Pleiadum, optimum erit exhibere medicamenta, uelut etiam uerè & autumno, & quod dixi de Sole, dico etiam de luna, cum iungitur huiusmodi astris. Secundum quod recipitur ab Hippocrate est ex aeris qualitate quæ manifesta est calida, frigida, humida & sicca, quia in temporibus humidis securiores sunt omnes operationes euacuandi, per sectionem uenæ & purgationem, per inediam, frictiones. Balnea autem humida conueniunt magis temporibus siccis & calidis & etiam in præcauendo, unde ille Aphorismus sextæ particulæ (.45.) Quibus uenæ sectio aut purgatio conuenit, si id expedit uere secare uenam aut purgare. Tertium est aliquo modo extra medicinam, non tamen prorsus, uelut quod prima quadra lunæ à coniunctione est calida & humida, secunda calida et sicca, tertia frigida & sicca, quarta frigida & humida. Et ideò in prima & quarta maximè conueniunt euacuationes scilicet in prima per sectionem uenæ, in quarta per purgationem (2. Apotheles matum cap.) Vtrùm uerò uerum illud sit quod luna in ariete capiti minetur, & in Tauro collo, & ita in cancro pectori, in leone cordi, & in uirgine uisceribus, uerè fateor nondum diligenter adeò animaduertere potui ut affirmare posim uel negare. Quamobrem tutius est non contemnere, maximè cum ea opinio etiam apud nos percrebuerit. Quod uero dicit de gloria (ut in lib. de lege Hippocrates loquitur ut artifex.

Quod si cui hæc sublimiora uideantur, is si ab hac sententia discedat, discet sanè non minimam partē conferre ad rem medicam ipsam Astronomiam, sed omnino plurimā, quum una temporibus & uentriculi in hominibus commutentur.

Probat contra contentiosos quod Astrologiæ sit necessaria medico hac ratione. Uentriculi sunt necessarij ad salutem hominis & illi mutantur iuxta mutationem syderum, ergo cognitio syderū est necessaria ad salutē hominis, & in hac demonstratione ostendit quod ipse uult sydera agere in nos etiam citra mutationem aeris, quia dicit hoc respondens tacitæ obiectioni, posset enim aliquis dicere, non ne sufficiunt constitutiones temporum ad operationem medici quæ sensu deprehenduntur absque astrorum cognitione, dicit uentriculi mutātur ex astrorum mutatione, absq; aeris etiam mutatione saltem manifesta, ideò oportet intelligere quasnam mutationes intelligat & quid nomine uentriculorū signari uelit, & uidetur quod uelit tres illos, de quibus in Tertio de Diæta, scilicet cerebri, pectoris & nutritionis, iuxta quæ dixit prima Aphorismorum. is uentres hyeme & uere natura calidissimi, ibi ostendit quod sunt calidissimi quo ad coctionem & quod uenter cerebri

[a] Tex. 9. 10 & 11.

est humidissimũ, nam subijcit & somni longissimi. est ergo mutatio q uadruplex, prima in calido & frigido, sicco & humido & primis qualitatibus. Secũda quæ, cõsequitur ad hãc est repletio & euacuatio, nã uentres maximè pleni sunt hyeme sanguine & spiritu, calore ad illos refugiente. Tertiò ratione operationum, quia æstate sunt imbecillissimi, hyeme ualidissimi propter multitudinẽ caloris. Sequitur etiam quartum, quod sint in motu, quoniam omne quod mutatur aliquando est in motu. ergo uentres mutant naturam, ergo in illo medio sunt in motu, utpotè in tẽpore Autumni & principio hyemis calor refugit ad interiora, ergo tunc purgare conuenit, balnea minimè: Vere autem in fine non conuenient purgationes, sed potius balnea, quoniam calor exterius effluit. Ideò hyeme melius ferent cibos & euationes, minori potu indigebunt. cum ergo uarientur talia, dicere necesse est, medicum non posse scire rationem curandi, nisi sciat syderum motus. Sed hæc ratio meo iudicio & expositio non est ad mentem Hippocratis, quia istud est notum ex sensu, utpote quod uentres sunt calidissimi quia sumus in hyeme. nam neutrum istorum pendet ex Astrologia scilicet quòd simus in hyeme est per se notũ & etiam quãdo ueniet & futura sit hyems, nisi uelimus per Astrologiam intelligere tam uulgarem notitiam. neq; quod tempore hyemis uentres fiant calidiores: nam hoc pertinet ad medicum. Præterea si uerum est quod dicit Galenus (7. de diffic. spir. cap. 7.) quod Hippocrates nil uulgare docere solet, necesse est excogitare alium sensum aptiorem Hippocratis uerbis, quæ talis est. Ventriculi implentur iuxta motum lunæ uel euacuantur. ut enim inquit in libro de Insomnijs (Pag. 2.) Sydera superficiem corporis significant, luna cauitates, sol medium: cum ergo uideamus in animalibus præsertim astacis, quòd luna plena impleantur adeò, ut luna uacua quidam desipiant & delirent, constat quòd astra gubernant & mutant hæc inferiora: & maximè in animalibus. Et hoc etiam habetur ab Aristotele quarto de Generatione Animalium (cap. 10.) Ptolemæus tamen tribuit cor & cerebrum soli & iecur Veneri, reliqua membra naturalia lunæ. Si haberemus librum Hippocratis de septimanis, forsan melius possemus de his determinare (3. Apoteles: cap. 16.) Nunc sufficiat id affirmasse, quod experimẽto compertum est, uentres animalium maximè cerebrum, lunæ habitu ad solem, non simpliciter uariari: unde soli cor non solum sed cerebrum etiam tribuitur, cum tamen ad lunam potius pertineat. neq; enim principale membrum est, ut Ptolemæus & Galenus crediderunt.

LIBER II.

LECTIO XIII SVPER Tex. I. Et est initium huius libri seu Tractationis.

QVomodo autem singula quę diximus scrutari ac explicare oporteat, deinceps dicamus manifestè. Quæcunque ciuitas aduentos sita est calidos, puta autem eos qui inter brumalem solis exortum, itidemq; occasum perflant, huic hi uenti peculiares: à septentrionibus autem uentis tuta & protecta ea ciuitas existit: aquæ uerò eius multæ, & subsalsæ sunt, & necessariò non sublimes, æstate quidem calidæ, hyeme frigidæ: & quæcunq; sunt hominibus aduersa uarios morbos inferunt.

Hucusq; de Procemio actum est, nunc ad ipsam tractationem deuenit, ubi Alemanus benè quidem sed pauca ubi multa erant dicenda docet, cum superius nimis multa ubi pauciora, nanq; primum causam ostendere oportet, cur ab intemperata regione incæperit. ergo cum res ad comparationem propriam ducenda est, incipere oportet ab eo quod optimum est, uelut Galenus in libro Artis Medicæ (cap. 8.) à temperato corpore initium ducit & qui tractant de optimo dicendi genere. atq; ita dixit Philosophus, quod rectum est iudex sui & obliqui: At uerò ubi comparatio ab extrinsecis uel ab effectibus sumitur, non solum intemperata temperatis proponuntur, sed à maximè enormi incipiendum est, ut euidem significatio uideatur, ueluti in præsenti tractatione, neq; enim conspicuum est, ut ea signa ad optimam habitationem sint referenda, sed potius essent comparanda optimæ constitutioni hominum, quia nondum clarum est, quod habitationes sint causa status hominum, uerum ubi peßimam intemperiem quis proposuerit secundo loco & statim optimæ constitutionis effectus & decreta declarare oportet quod etiam facit Hippocrates, nam secus non haberemus cui compararet fieretq; doctrina inartificiosa.

ficiosa, Deinde proponit iuxta ea quæ dicta sunt ad mutationem temporum tria, nam quartum, ut dixi, non facit ad mutationem temporum, sed solum ad morbos, & primum sumit ab habitationibus cum dixit, ad uentos calidos sita, nam, ut declarauimus superius: Venti & situs ad solem sunt idem. Secundum est cum dicit: aquæ uerò eius multæ & subsalsæ sunt, quod manifestè ad aquas pertinet. tertium est de situ terrarum, cum dixit: tuta & protecta est & non sublimis, intelligit quod sit caua, & manifestum etiam quod non erit nuda, erit ergo exposita meridiei, & abundans aquis atq; ideò etiam plantis non nuda & caua non sublimis & aquæ malæ, hyeme quidem frigidæ æstate uerò calidæ, ex his colligit quod corpora habitantium maximè erunt insalubria.

Et circa hoc notandum quod Hippocrates intendit hunc ordinem, primum ex constitutione rerum generalium constitutionum aliarum rerum generalium, uelut cum dixit hic, quod si ciuitas sit exposita talibus uentis, necessariò aderunt aquæ multæ & subsalsæ. Item quod non erunt sublimes, hoc est generale ex generali deducere. Secundum est deducere non generale ex generali, quemadmodum hic temporum rationem, quod aquæ illæ erunt frigidæ hyeme, & calidæ in æstate. Tertium est temperamentum corporis, ut potè quod corpora sint imbecillia fluxa. quartum est, ut sint subiecti morbis ut hic dicit. quintum & ultimum est, ut doceat mores hominum, uelut quod sint imbelles, luxui diditi, & crapulæ & uinolenti, ex quibus etiam deriuatur sextum scilicet de legibus, omisit autem tertium tanquam per se notum, & quintum, tanquam nimis curiosum ab initio, sextum uerò uelut ex quinto dependens.

Videamus ergo quid per primum intelligat scilicet inter brumalem ortum & occasum, meridianam totam scilicet regionem, sub qua præcipui sunt uenti Euronotus inter orientem & meridiem, Africus inter occidentem & meridiem, Auster q; in medio horũ, atq; hi omnes calidi et humidi, sed calidior Auster, humidior Euronotus, deterior africus, qui & cõcitatior, omnes mali omnes ẽalidi, ut dixi, omnes humidi, omnes turbulẽti, & subsolanus quidem qui Romanis ad Cannas Cladem ab Annibale attulit: sit autem contecta, à cæteris uentis, Borea, Euro, & Fauonio, hoc autem trifariam contingere potest. primum ut sit in ualle id est humo comparatione aliarum partium, uel sit contecta, à montibus circum circa, uel etiam procul, manifestum est quod primus modus est minimus, secundus maximus, tertius medius, dicit quod in huiusmodi situ erunt aquæ multæ & subsalsæ, hoc est primum dubium, de quo nil Alemanus. Secundum dubium est quia dicit necesse esse in hoc statu ut aquæ non sint sublimes, & æstate quidem calidæ & hyeme frigidæ, & sic est primus sensus scilicet quod omnes aquæ erunt non sublimes, & æstate calidæ, hyeme frigidæ. Secundus sensus, quod non sublimes necessario tales erunt, non tamen quod omnes necessario non sublimes erunt. Tertia dubitatio, quare quæ non sublimes erunt, hyeme frigidæ futuræ sint, collectis uentis calidis in eo loco cauo. Quarta dubitatio erit, quid intelligat & quæcunq; sunt hominibus aduersa? an ut sit sensus quòd situs sit eiusmodi & quæcunq; sint hominibus aduersa efficiat aut in se contineat, ut potè aquas stagnantes, paludes ac similia scilicet ut referatur ad causas uel ad effectus. Quinta, quare pariat diuersos morbos hic status? & ut huic satisfaciam, dixi superius quod similia similibus sunt causæ morborum, alia causa est quia calidum & humidum sunt causa putredinis, quia humidum corrumpit humidum naturale, et calidum externum dissoluit calidum internum, ut Quarto Metheororum (cap. 1.) multa nimis de hoc dici possent, quæ aliàs docui ex Hippocrate, Galeno, Plinio. Vnum addam, quòd quæ de situ generali dicuntur, eadem de proprio & speciali sunt intelligenda.

Ad primam dubitationem dico, quod aquæ erunt multæ, quoniam calor extrahit aquas ad superficiem, & etiam quia uenti illi erunt humidi & uaporosi & frequenter iuuet, & aqua pluuia est salsa, sicut declarat Philosophus (2. Metheo. ca. 3.) ubi probat mare esse salsum ab æterno, & hic caderet dubitatio de qua suo loco, cur cum aquæ pluuiæ sint salsæ, & aquas subsalsas damnet Hippocrates, pluuiam tamen præter cæteras collaudet. Accedit quòd aquæ illæ cum locus sit contectus à septentrione oriente & occidẽte altioribus terræ, aut erunt stantes & ita putridæ, aut mouebuntur ad meridiem & ita torrebuntur, non ratione aquæ sed ratione terræ, ergo erunt subsalsæ ex declaratione causarum salsitudinis.

Secunda dubitatio difficilior est, & est triplex quia primus modus diuiditur ut sit sensus uel quod omnes aquæ necessario sint nõ sublimes, deinde sequuntur reliqua, uel quod supponatur quòd aquæ non sint sublimes ne possint repurgari, quia subijcit, quod omnia sint contraria saluti humanæ: tertia expositio, quòd quæ non sint subli-

mes tales euadant, scilicet calidæ æstate & frigidæ hyeme. & ut effugiam laborem pro nunc cùm multa possent dici, recipiam secundum sensum, ut sensus sit talis, quandocunq; regio fuerit exposita meridiei & uentis qui ab ea parte oriuntur, & habuerit aquas multas, & sit causa regio, & pertinet ad situm terræ, & aquæ fuerint subsalsæ, id est peßimæ & corruptæ, tunc eædem erunt calidæ in æstate & frigidæ in hyeme, ita ut in primo statu collegerit omnes conditiones prauæ habitationis generales positas in quarto, quinto & sexto Textu, & est congruens uerbis, & ita legetur illud necesse est tales aquas non sublimes esse æstate calidas hyeme frigidas, ut referatur illud necesse ad calidas æstate, & hyeme frigidas. & non ad non sublimes.

Tertia dubitatio est satis difficilis, & nisi experimentum esset pro illa, uererer dicere ut esset Hippocratis, cum uideatur esse contra rationem, quo ad illam partem de hyeme, nam de æstate nulla est dubitatio cum regio sit exposita soli perpetuò & uentis calidis. dico ergo quod istud uerum est, quoties non flauerint uenti meridionales, & in nocte quia aer ibi est craßior, & sunt multi uapores terræ & aquæ, qui refrigerant aerem, aer itaque condensatus recipit maiorem frigiditatem, & etiam quia aquæ illæ plerunq; sunt immobiles, & aqua immobilis semper est calidior æstate, quia recipit magis calorem propter quietem, & frigidior hyeme, quia est proximior glaciei, dum enim fit glacies, necessario motus fit lentior, & cum congelatur perfectè etiam quiescit: & ideò flumina quæ uelociter mouentur, uelut Tigris & Abdua in nostra regione, rarißimè congelantur, & forsan quod Tigris nunquam: quod autem uenti fleant in eiusmodi regione magis, quàm in ea quæ detecta undique est, clarum esse potest, quoniam non est nisi unum genus uentorum quod perflet illam, scilicet Austrinum. Hoc etiam maximè cessare solet, tum quia auster nocte spirare non consueuit, tum quia anniuersarius ei regioni plerunque est, ideò noctu cessat, ut ait Aristoteles (26. Probl. 11 & 53.) Tertia causa est quòd aqua calefacta diurno æstu magis refrigeratur noctu, adeò ut congeletur, teste eodem Philosopho (1. Metheororum cap. 12. in fine.)

Quarta dubitatio est, an uerba illa et quæcunque hominibus sunt aduersa debeat referre ad causas, scilicet, ut gratia exempli, quod abundet pluuijs, quod habeant prauos cibos, quod utantur mala ratione uictus, quod uenti illi transeant per loca stagnorum & paludum (& hoc plurimum refert) & aquarum corruptarum & serpentum uel arenæ tenuis, uel ut intelligatur de effectibus: sed ratio uerborum & sensus ostendit quod potius intelligendum sit de causis quàm de effectibus, & cum non poßint istiusmodi demonstrari, non sequar uitiosum morem illorum qui omittunt demonstrationes eorum, quæ possunt demonstrari, & conantur demonstrare quæ non possunt demonstrari, cum utrunq; sit uitiosißimum. hoc tamen uitiosius est, quia generat ignorantiam dispositionis, illud negationis, propterea facio finem.

LECTIO XIIII. SVPER TEX. II. ET III.

ET quæ quidem urbes benè sitæ sunt ad solem & ad uentos, & aquis bonis utuntur, hæ minus à talibus mutationibus afficiuntur.

Subijcit decreta regionis benè constitutæ, & sunt quod minus afficiuntur talibus mutationibus, quas docuit esse tres, scilicet quòd æstate aquæ fiunt calidæ & hyeme frigidæ, & quòd patiuntur quæcunq; hominibus sunt aduersa, scilicet æstate calores intollerabiles, & aerem turbulentum terra hyeme frigus uehementißimum, etiam aerem nubilosum ob uapores & grauem & obscurum, & æstate difficiles noctes & abundantiam reptilium & culicum, & mala imprecationis Mosis in Aegypto ranas & serpentes, & omnia inimica humano generi & sordida & fœda. Tertium sunt morbi graues, difficiles, molesti, sordidi, longi, sæpius reuertentes & lethales. Quæ autem declarat regionem temperatam, sunt quòd sit libera, sed de hoc agetur inferius, unum uerò est præcipuum circa signa, scilicet ut corpora benè se habeant. Secundum, ut non abundet neq; animalibus neq; plantis fœdis, & ex anguibus & uenenosis, neque mali odoris, sed odoratis, & quarum umbræ sint salutares, uelut iunipero, lauro, malo Medica, oliuis etiam & uitibus, tritico præterea, & his quæ sunt usui hominum accommodata, & ita etiam ut abundet capreolis, leporibus & animalibus quorum caro hominibus sit salutaris, ut etiam de auibus, coturnicibus, perdicibus, & quas uocant qualeas, turdis, merulis, sturnis, ac similibus. Tertium est ut pisces sint squamosi lucidi, albi & circa oculos uenæ rubræ, non obesi sed pingues, & cum lacte candidißimo, quorum caro sit ualde alba. Et astaci sint ualde rubri cum sint co-

ci,

ti, & in fontibus non naſcantur herbæ, uel ſi naſcuntur ſint odoratæ, ut Sion & Senationes: & aer ſit clarus & limpidus, & qui iucundus ſit in attrahendo, quiq; cito incaleſcat & refrigeretur. Quartum eſt, ut iecora animalium occiſorum ſint ualde rubra, molliu, ſine lapidibus & candidiſſima.

Sunt autem duo circa hoc animaduertenda: primum quod tantum refert regionis qualitas, ut Galenus uelit ſecundo de Tuenda ſanitate (cap. 7.) non niſi in temperata regione inueniri hominem temperatum: in Gallia autem & Scythia atq; Africa & Aethiopia ne per ſomnium quidem. & de omnibus ſanè poſſet concedi, de Gallia autem non adeò manifeſtum eſt, cum pars quæ ad meridiem reſpicit, uelut Coliure olim templum Veneris, & quod tum Setius mons, nunc Monpolier Academia uocatur, è regione fermè eſt Romani Parallelli: non ergo Gallia Scythiæ comparanda, cuius extremum boreale ab extremo borealiore Galliæ diſtat partibus pluſquàm duodecim. Sed neq; Scythia tota adeò horrida & inculta eſt, cum fermè ad temperatam regionem & Rhodi Parallelam, qua ad orientem magis uergit, & ubi latior eſt extendatur. Sed cur in ualde calida aut frigida regione temperatus eſſe homo non poſſit, non eſt præſentis loci docere ſed inferius, id ſolum decretum eſt hic docere, quod regiones temperamenta naturalia hominum propria ſibi decernunt, ut ibidem Galenus docet (lib. 5.) inde aſcititium ſeu habitum aquiſitum, inde mores & morbos. Vnde illud rurſus dubitatione dignum eſſet, an temperamentum conſuetudine, & à regione ſitu comparatum proprios ſibi decernat mores? Et dubium non eſt, quòd ſic, iuxta mentem Hippocratis. Ergo in omnibus præſupponit non ſolum ſitum, aquas, ac terras, ſed regionem. Et regio quidem plus poteſt circa mores, ſitus autem circa corporis ſanitatem, quam ob cauſam tractationem de regione ei, quæ eſt de ſitu poſtpoſuiſſe reor.

Secundum quod animaduertere hic decet, eſt quod ſitus bonus poteſt eſſe etiam in regione frigida aut calida, melior tamen eſt in temperata. Vult ergo quod regio temperata faciat aquas frigidiores æſtate quam hyeme, ſic enim temperabunt aerem: & mutationes illarum in temporibus non ſunt adeò extremæ ad calorem neque ad frigus. Poterit ergo eſſe ſitus malus etiam in regione temperata, ut bonus in intemperata.

TEX. III.

QVæ uerò aquis paluſtribus ac lacuſtribus utuntur, & non bene ſitæ ſunt ad uentos, & ad ſolem hæ magis.

Scire oportet duo circa hoc, primum quid dicat, ſecundum quid indicet. Significat autem nobis quòd quanquam ſitus malus ſit, non tamen homines adeò afficiuntur, ut ſentiant ſemper noxam, aliter eſſent in perpetua noxa, ſed ſolũ cum tempora mutantur. Et hoc oſtendit (3. Aphor. 1.) cum dixit, Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos, ſignificans quòd duo ſunt neceſſaria ad morbos excitandos, mala præparatio in hominibus uel ratione ſitus loci, uel temperantiæ propriæ, uel uictus, atq; præter id temporum mutatio. Mutatio autem triplex temporum, naturalis & generalis: naturalis & non generalis, non naturalis: ut cum dixit ibidem: Et in quibuſdam temporibus magnæ mutationes caloris aut frigoris. Naturalis generalis ut cum dixit, uere etenim furores & atræ biles. Non generalis autem, cum iubet ſeruari debere, Arcturum, Canem & Pleiades. Et ad hoc genus ut minus reducuntur mutationes etiam à luna. Quantumcunq; enim magna ſit mutatio temporum ab Arcturo uel Canicula, aut Pleiadibus, aut à Luna, nunquam tamen poteſt etiam tanta, quanta eſt inter naturalia tempora, quæ fiunt à Sole, neq; tam longa: ut quæ perſeueret per tres menſes, & quæ ex contrario in contrarium ad unguem transferatur. De Æſtate quidem, quia eſt calidiſſima & ſiccißima, hyems autem frigidiſſima & humidiſſima, & hæc ſunt manifeſtiſſima contraria, ſed occulta & uera non eſt tanta. Inter autumnum autem & uer eſt ſimilitudo quòd ad manifeſta, ſed uerè magna eſt & antedicta maior, quoniam Autumnus inæqualis eſt & morboſiſſimus, uer autem ſaluberrimum & æquale maximè. (1. de Temp. cap. 4.)

Declarat autem duas conditiones, unam ex parte aquarum coniunctim, ſed ſub ſenſu diſiuncto & alternante, ſcilicet Paluſtres aut lacuſtres, & ut non ſint bene ſitæ ad uentos, & hoc etiam biſariam intelligitur, uel ut omnino ſint contectæ à uentis, uel ut ſint detectæ ſolum uentis malis, uelut meridianis antea dictis. Et in huiuſmodi ſitu dicit Alemanus eſſe Sardiniam, quæ à meridie habet tres aquas, Hypſitanas, Leſitanas & Neapo-

Neapolitanas, omnes stagnantes & montem ab oriente in occidentem protensum, nomine Menomenum, quasi dicat obstetricantem: Interest autem inter paludem & lacum, quòd in lacu aqua undiq; profunda est, ideoq; motum aliquem habet à uentis, palus autem non habet liberum, sed uel omnino obsidetur à terra, uel etiam terra supereminet, ideo palustris est magis terrea, & putredini obnoxia lacustris. Sunt autem tria genera lacuum, orborum qui nec excipiunt flumẽ aliquod neq; reddunt, atq; hæc peßima est: alij qui excipiunt & reddunt, hiq; nõ admodum mali, suntq; quasi fluuij quiescentes: optima est tertij generis, quæ oritur è terra, exit autem fons seu fluuius. nam hæc ut oritur bona est, ut effunditur etiam fontis naturam retinet. lacus ut minor est si bonus, id est è tertio genere eo melior, deterior si malus. Valde enim magnorum lacuum, nunquam ualde bona aut mala aqua esse potest, quoniam motu uehementi ad uices non destituitur: & etiam quia adeò non incalescit à Sole, nec recrudescit à frigore. At palustris præter id quod terrea sit & putrida, abundat etiam herbis, uermibus, sanguisugis, serpentibus, fœdisq; reptilibus. Deterior ubi nullus est piscis, minus mala ubi lucij multi adsunt, præsertim magni, pingues & candidi: non solum quòd hic piscis aquam non ferat omnino malam, sed quod agitet illam, & edat ranas & reptilia quæq;.

Et pisces bonis aquis ualde nocent, quoniam fœdant illas: malis autem prosunt, quia agitant & expurgant. Idem dico de puteis. Et debent immitti puteis pisces albæ carnis & squammosi non lucij neq; cyprini, quia non uiuunt in eis, neq; tineæ, quoniam corrumpunt aquas. Sed squalæ & albicilli qui purgant aquas, & tamen sordidis in aquis uiuunt, & candida sunt carne, cauezales et cauedanos uocant. quamuis Bellonius hos unum genus esse putet: abundat unum eorum spinis iam diu ab aquis extractum tenuißimis, ut uix edi posßit, recens caret illis, & est mirum. Percas & trottas & alosas puteus non nutrit: neque illæ ferunt. In uniuersum aquæ peßimæ sunt colore uiridi & nigro deteriores ferrugineo & rubiginoso, quod his magis à natura aquarum absit. quibus odorem grauis, turbulenta, uiscida, quæq; uomitum commouet. Sapore etiam atro, amaro ac putrido (nam & is per se clarè dignoscitur, licet auxilio quodam odoris) & quæ sub dentibus stridet. læduntur autem magis non assueti: sed incolæ grauioribus afficiuntur morbis. Præcipuè membrorum naturalium. Et à peßimis quidem uentriculus & iecur: à minus malis lien & intestina, à leuius malis renes & uesica. Signum incipientis putrescere, ut inquit Oribasius, (1. Euporist. cap. 14.) est ut efficiat raucam uocem & tußim excitet. Id uitium coctione emendatur, uelut limosa & turbida, si bene percoletur. Atque hæc ab Herodoto, licet non ibi accepisse testatur. Vbi etiam docet aquas quæ citò putrescunt, non ob id malas esse appellandas cum pluuia ob substantiæ tenuitatem eiusmodi sit. Idem ex Rufo in quinto Collectanearum (cap. 3.) dicit, quod aquæ è stagnis peßimæ sunt, & quòd pro præcipuo signo prauitatis habetur, cum æstate calidæ sunt, hyeme frigidæ: tamen inter palustres solæ Niloticæ bonæ sunt, quia non putrescunt, & singulis annis ab inundatione fluminis permutantur.

Quòd uerò dicit, ut non sit exposita bene ad uentos & solem, aliquæ, ut dixi, in ualle undequaq; circumdatæ à montibus, immobilem sortiuntur aerem, ut neq; poßit à uaporibus expurgari: neque moueri, ideo aer peßimus efficitur, cum qualitates quasq; peregrinas immobilis magis recipiat. Non putrescere tamen aerem hoc inditio cognoscitur, quod concluſus in pyxide aurea uel argentea etiam per mille annos inde hauſtus non officit.

LECTIO XV. SVPER TEX. IIII. ET V.

ET si quidem æstas sicca fuerit, citius sedantur morbi. Si uero pluuiosa, diuturni fiunt: & phagedenas (ad edentes) ex omni occasione oboriri uerisimile est, si ulcus fiat.

Dixit iam in præcedẽti lectione tales situs maximè obesse ob tempora, ideo declarat quæ nam incommoda sequantur tempora præcipuè nimis potentia, ut æstatem siccam, non dixit calidam. Sed in hyeme adiecit frigidam, non humidam. Intendit ergo in hoc textu & sequenti octo comparationes in unoquoq; eorum sumptas à ratione temporum secundum naturam, & præter naturam in utraq; qualitate: inde collatis singulis ad bonam uel malam rationem uictus. Et mala quidem est duplex, etiam scilicet iungendo similia similibus, uelut plurimum cibum & potum cum ocio, & rursus exiguum potum & cibum cum exercitatione assidua & ualida. atque ita fierent

sexdecim

sexdecim coniugationes in singulis temporibus, quas ita docet Hippocrates ut assumat optimam seu minus malam & pessimam, & in unoquoque contrario, & unum pro exemplo, omittit contraria & consequentia. Dicamus ergo de æstate, ut intelligamus idem de hyeme: Aestas temperatè calida sicca cum bono regimine, æstas temperatè calida sicca cum malo regimine, Aestas temperatè calida humida cum bono regimine, æstas temperatè calida, humida cum malo regimine, & ita sunt quatuor membra, & totidem æstatis ualde calidæ: & idem dico de hyeme, ergo erunt octo coniugationes in utroque textu. Dicit ergo, quod in æstate temperata & sicca erunt morbi breues, quia necesse est fieri morbos propter mutationem, ut antea docuimus, & ijdem erunt mitissimi, quia breues, pauci & securi. ostendo quod breues ratione caliditatis secunda Aphorismorum (25.) ubi dicit quòd calor abreuiat
» omnes morbos. Galenus in commento, & ter-
» tia Aphorismorum (Com. 15.) In siccitatibus su
» perfluum humidum dissoluitur, per imbres au-
» tem intra corpus colligitur & putrescit, quod
» neque per balneum commodè, quia balneum so-
» lam cutim euacuat, & partes proximas illi, ne-
que per euacuationes, quoniam illas rarò adhibere oportet, educi potest. Igitur palam est quod hi morbi erunt breues, erunt etiam securissimi, quoniam à maiore caliditate, quantò fiunt breuiores, tanto etiam erunt uiolentiores minusque securi: erunt etiam pauciss imi, quoniam si per calorem fiunt morbi, per plurimum calorem fient plurimi, regula enim est generalis, à causa ualidiore per se plura fiunt & maiora, igitur constat quod hæc dispositio est optima, ergo præsupponit etiam optimam rationem uictus propter ea quæ dicta sunt, apparetque ratio longorum morborum intemperata æstate pluuiosa, id est uehementer humida, adde multitudinem potus, cibi, ocij, ut similia similibus copulentur, causam superius dixi. Itaque explicata sunt membra, syncera scilicet temperata, sicca, cum optimo uictu, calida, sicca cum utroque pessimo uictu, scilicet nimis humido, & efficit morbos uehementes & ualde longos, & cum labore & pauco cibo, ac minore potu, & efficit morbos breuissimos & periculosissimos. reliquis coniugationibus, ut dixi, inter has medijs subijcit speciatim de Phagedenis dicens. Si autem ulcera in huiusmodi constitutione apparuerint scilicet temperata, & erunt exedentia: & eo magis intelligendum erit, si æstas fuerit ualde calida & pluuiosa: tunc enim dispositio enarrata ad uerbum in Cranone, primo Epidemiorum, (tertio in tertium Epidem. Tex. 35.) siquidem Cranon, ut ait Galenus, inquit enim Cranon in loco concauo & uentis meridionalibus exposito, Thasus autem Borealibus. Dicit ergo (Sec. prima, comment. 1. iuxta finem.) ibi, quod Cranon νυκτιάζει patiebatur, id est tranquillitatem à uentis, & ut ita dicam, silentium & ob id morbis putridis exposita atque subiecta. Ergo, ut ad rem redeam, Phagedena aliter antiquo tempore, id est ab Hippocrate, ut Galenus inquit sexta Aphorismorum, (Com. 45.) aliter Galeni tempore intelligebatur. Antiquo tempore (atque in huiusmodi nominum interpretatio utilis est imò necessaria) intelligebatur pro omni ulcere, quod semper maius ac deterius euadit: tempore autem Galeni distinguebant, in Chironia, Telephia & Phagedenas. Galenus autem dicit sufficere hæc tria, antheraces, herpetas, & Phagedenas: & quod herpes erodit & depascitur tantum cutim, Phagedena autem carnes atque in hoc distinguuntur. Idem testatur secundo Artis curandi, (cap. secundo.) ubi addit quod herpes non semper ulcus est, Phagedena est semper. Dicebat in libro (capite sexto) de Causis morborum, quòd fit ex fluxione materiæ à membris nobilibus ad ignobilia deponente natura. Adijcit in tertio de Symptomatum (capite primo) causis, quòd in ea sunt humores uitiosi, uelut in carcinomate & herpete atque carbunculis, tum etiam cancris, quos isti uocant gangrenas, seu γαγγραίνας à γραίνω, quod est comedo, cum sensus & motus ac uita in particula pereunt, nam cum periere iam Sphacelos est. Secundo autem de Differentijs febrium (capite quinto.) obscurè, ut solet cum aliena non omnino perspecta recitat, docet Phagedenam & carcinoma ex crassiore & atro humore fieri, uelut herpetem & erysipelas ex tenui & bilioso: Sic ut herpetem Phagedenæ, Erysipelas carcinomati comparet: quamuis carcinomatis loco cancrum subiecerit modo. Galenus sæpius interpres idem esse putans. Ex crassiore igitur & atro humore fit hic morbus. Propius accessit in libro de Tumoribus (capite decimotertio.) præter naturam, dicens quòd Phagedena completitur ulcus cum tumore, & quòd si ulcus sit solum quòd depascitur, tunc Phagedenicum appellatur. Vocat etiam intemperiem, sed cum flu-

xione tamen & unius partis Phagedenam, libro de Inæquali intemperie (cap. 1.) Vbi etiam animaduertendum quòd eam post numerat inter tumores. (cap. 9.) Existimo quoniam cum tumore sint, non quia solus tumor talis morbus appellari mereatur, ut neque solum ulcus, ut dictum est, sed & tertio in sextum de Morbis uulgaribus (Com. 37) errodentia ulcera Phagedenas dicit appellari, quas ueteres dicit Phagedenica uocabant: ut per ueteres eos qui ante Hippocratem scripsere intelligere uideatur, quandoquidem manifestè Hippocrates Phagedenam non Phagedenica appellare uideatur. Quo in loco etiam hoc nomine appellat morbum illum quo laborantes coguntur immodicè se implere. Et potest lupina fames uocari, canina abunde maior: & prouenit is etiam ex uitiosis humoribus. Et expressæ quidem secundo de Crisi (cap. 12.) uult Phagedenas fieri ex atra bile, uelut & Elephantiases & carcinomata. Connumeratur sanè hic morbus inter illos qui quamcunq; corporis partem inuadere solent, ut in libro (cap. 12.) qui Introductorius seu Medicus appellatur, quamuis Herodoti esse credatur, sed non curemus cuius sint, sed quam uera sint quæ ibi dicuntur. Cæterum constat huiusmodi morbum ex cacochymia fieri, ut in tertio de Temperamentis (cap. 3.) habetur. Vult tamen fieri sine febre & putredine Phagedenam, sexto de Compositione (cap. 1.) medicamentorum per genera. alia uero dicit quædam cum putredine fiunt, & febrem accendunt. Cum tamen in libro de Cibis boni & mali succi (cap. 1.) dicat Phagedenas cum febre accidisse. Fieri tamen potest ut Phagedena febrem non asciscat, eueniat tamen ut tum cum illa atq; ea lethali. Sed & illud in eodem libro (cap. 14. seu ult.) ambiguum uidetur, quod Phagedenica ulcera ex uariorum humorum mistione generari non nigra bile uelit, cum superius aliter. Sed de Phagedena ibi sermo fuit (4. lib. 94. & 95.) ut de his in Contradictionibus. Sed de causa horum dubium non est in præsenti statu, cum enim putredo maximè uigeat, & ratione situs ciuitatis & caloris æstiui & pluuiæ humores re orrentur, ac ut ita dicam fermentant sese, & fluunt & errodunt. Et si calor plurimum augeatur, & pluuiæ sint magnæ & diuturnæ, calorem tamen non extinguentes, febres etiam accendentur, & ossa nudabuntur, & homines interibunt.

TEXTVS V.

SI uerò hyems frigida sit, homines capita humida ac pituitosa habere par est: & uentres ipsorũ frequenter exturbari, pituita à capite influente: & formas ipsorum, & plurimum, debiliores esse: ipsos q; ad edendum ac bibendum non appositos esse. Nam, qui capita debilia habent, non fuerint boni potores. Crapulà enim magis grauat.

Hoc est aliud extremum: & cum hyems semper frigida sit, intelligitur quod non semper tales afficientur uelut in æstate, sed solùm cum frigidissima fuerit, ita in æstate semper erunt morbi, seu temperata & sicca, seu temperata & humida, & multo magis si calidior fuerit. Sed in hyeme naturali, aut etiam mitiore, non erunt morbi: in frigidißima autem erunt. (lib. de Vsu resp. cap. 5. in prin.) Et quoniam duo membra refrigerantur ab aere peculiariter, cor & cerebrum, sed cerebrum per os, & cor per carnem: & cerebrum est exanguè, cor autem maximè calidum, totum autem corpus bifariam afficitur, ab aere & per extrema arteriarum, & per aerem iam attractũ in corde, necesse est cerebrũ magis affici quouis alio membro ab aere frigido, tum etiã quia frigidum inimicum neruis, & quæ dicuntur cerebro quidẽ insensum erit propter temperiẽ illius iam frigidam, seu quia exangue, ideo seu sit una causa, seu plures, cõstat quod maximè afficietur hyeme ex supposito frigida, et etiam quia aquæ ibi sunt iustò frigidiores. Propterea dicit, quod incolæ eius loci afficientur quadrifariam. Primum habebunt capita humida & pituitosa: Secundum patientur destillationes ad uentriculum, unde illorum exturbabitur coctio: Tertium diuersa ex hoc patientur: Quartum, & ad cibum & ad potum incongruè præparabuntur, ad cibum, non appetendo, ad potum quoniam lædentur à uino. Et etiam à crapula magis grauantur, scilicet ut ab utroque lædatur caput & uentriculus: & cum hoc etiam malè appetent, hoc autem non dixit, quia quandoq; magis appetunt ob frigiditatem, quæ ipsum uentriculum constringit. Sed cum materia pituitosa adest abhorrent cibum, tum ob illius corruptionem, tum quia uentriculus cogi non potest: sed cum materia effluxerit, bifariam rursus magis appetunt quam oporteat: et propter imbecillitatem corporis & uentriculi frigiditatẽ. Quòd uero pituita

tuita multa in cerebro generetur palã est, coctione impedita alimenti ob frigiditatem: & etiam ob uaporum multitudinem illuc ascendentem, ubi pituita cogitur uelut in aere nubes. De destillatione triplex est causa: calor ob frigus externum acutior redditus, quia non expurgatur nec exhalat: multitudo materiæ & uirium cerebri imbecillitas. Et ideo nil mirum quòd recte descendat in uentriculum. Formas autem illorum diuersas esse ait, quoniam ut habetur in libro de Locis (pag. 5.) in homine, fluxiones maximè fiunt è capite. & sunt septem, quod etiam firme repetit in libro (pag. 4.) de Flatibus, ad oculos, nares, aures, ad spinam dorsi per carnes, & ad medullam, & ad os in pectus, & in uentriculum. Alibi adijcitur in uenas, ut tertia Aphorismorum (Com. 13.) Galenus ex textu ibidem desumit. Sed si ad os unam ponamus, diuidamusq; in eam quæ ad pectus & uentrem, uel his duabus manentibus, quæ fit ad spinam unam faciamus, inde diuidamus in eam quæ ad carnes & ad medullam, aut omnino illam quæ ad uenas fit separemus, relinquentur septem. Propterea dixit iure merito, diuersas habere formas. Quòd uerò adiecit de crapula & potu, cum utrunq; noceat capiti & uentriculo & tales habeant ægras has duas partes, caput quidem per se, uentriculum per defluxionem à capite, meritò magnas ex crapula consequentur noxas. Videtur autem magis intelligere de capite quàm de uentriculo, cum dixit (nam qui capita habent debilia) & de potu uini quam æquæ, cum dixit, non fuerint boni potatores: tum etiam quia aqua non offendit caput. Hoc autem dixit (libro decimo præcip. à cap. 10. ad 16) quia Hippocratis ætate, ut colligitur & ab Homero & ab Athenæo, delectabantur magno potu uini in conuiuijs communibus, quæ soliti erant celebrare anniuersario, aut ob uictorias uel nuptias, aut ortus puerorum, & similia, citra tamen ebrietatem nobiles, & cum ebrietate lurcones & parasiti ac uiliores homines. An uerò per potum debeat intelligi uinum aut aqua eo nomine in quarto Contradicentium disseremus.

Lectio XVI. & XVII. super quæstione: An uinum an aqua sint digniora nomine potus. Et de utriusque peculiaribus detrimentis, uide quarto Contradicentium medicorum (96.)

LECTIO XVIII. SVPER Tex. VI. seu secundum Alemani diuisionem Textu XIX.

MOrbi uerõ hi ipsis uernaculi sunt. Primum quidem mulieres morbosę, ac fluxionibus obnoxię sunt: deinde multæ steriles sunt ex morbo, non à natura, & frequenter abortiunt. Pueris uero incidunt conuulsiones ac anhelationes, quæ morbus puerorum et facer esse putantur. Viris autem dysenteriæ, & aluí profluuia, & febres lenes, diuturnæ, hybernæ, & pustulæ nocturnæ multæ, & hæmorrhoides in sede. Pleuritides autem, & peripneumoniæ, & febres ardentes, et quicunq; acuti morbi putantur, non multũ proueniunt. Non enim fieri potest, ut isti morbi uigeant, ubi alui liquidæ existunt. Lippitudines uerò oboriunt humidæ, non graues, nec diuturnæ: si non ex mutatione temporum morbus aliquis omnibus communis occupet. Et, ubi quinquagesimum annũ transgressi fuerint, defluxiones ex cerebro accedentes, homines semisyderatos faciunt, ubi caput derepente insolatum, aut frigore correptum fiunt. Atq; hi quidem morbi ipsis uernaculi sunt: præterquam si morbus aliquis omnibus communis ex temporum mutatione oboriatur, nam & huius participes fiunt.

Vernaculos morbos uocat Endemios regioni, aut urbi, non ratione temporum, sed quouis tempore communes. quos tamen magis Autumno & æstate affligere, si sint calidi & acuti, minus hyeme & uere minusq; desæuire constat: & Autumno & hyeme, si sint frigidi aut diuturni & deterius, uere uerò minus et æstate. Demiror aũt quòd Alemanus de sola hyeme interpretetur, cũ hæc omnia omnibus tẽporibus euenire illis soleant. Igitur quinq; proponit morbos, ratione sexus fœminei, inde puerorũ, tertio uirorũ, quartò secum, eos qui nõ solẽt euenire his. Sed ad ordinẽ hunc nõ seruat ad unguẽ, quia ordo qui nõ est necessarius, ad cõmodum potius respicit quàm ad doctrinæ ordinẽ, & maxime in paruis sectionibus, κώλοις Græci uocãt. Sed et addit quippiã in fine se excusans, quòd

temporum

temporum ratione, alij etiam morbi euenire possunt, cum constitutio communis fuit. Ideò per hæc uerba sporades excludit, quos semper & ubique euenire necesse est. Et Epidemios sub quibus continentur Epidemij proprij, ut dictum est, communes ac p[e]stilentes. Manifestum est igitur quòd hic loquitur de endemijs, & ita per hos etiam sporades coniectari poterimus: ut si quis dormiat in cubiculo meridiei soli exposito, utatur autem aquis calidis in æstate & frigidis in hyeme ex piscina aut torrente aut seruatis in corte, si fuerit mulier, puer, senex & reliqua subijcietur morbis sexui uel ætati conuenientibus. Ideò hæc sit regula generalis in posterum. Et hæc mala magis apparebunt in senibus in Autumno: in iuuenibus æstate, in pueris & mulieribus in hyeme. Affligentur autem magis mulieres nõ ob hyemem, cum hoc dixi morbi sint communes omni tempori, sed quia primum manent diutius in domibus, ubi aer non repurgatur, sicut dicit Oribasius (lib. 9. Collect. cap. 5.) Secundo, quia minus exercentur, iuxta illud, sanitatis studium non repleri cibis & impigrum esse ad labores: Ipsæ uerò etiam magis comedunt & bibunt, præcipuè seruæ, quæ etiam magis obnoxiæ sunt his quæ dicuntur. Quartò, quia & natura et habitu aquisito sunt humidiores, mobiliores, imbecilliores uiris, ut tertio de Causis (6. Epidem. par. 4. Tex. 20.) pulsuum. Ideo dicit tales (cap. 2.) sunt magis morbosæ. Primum, id est, caput eis repletur & uentriculus, & minus concoquunt, constitutio enim est humida: ideo nil mirum si magis lædant. deinde fluxionibus magis obnoxiæ sunt, facile etiam abortiunt, quoniam loci mucore replentur. Sicut etiã post dicit Hippocrates (5. Aphor. 43.) multæ steriles, non natura, sed ex morbo fiunt. Difficulter ergo concipiunt, & longè difficilius, ubi conceperint retinent (62.) nam pondus illud magnum est, & uterus cum infante recta deorsum propendet, & tenera sunt uincula quibus placentæ alligatur, licet aliquanto firmius quàm infans illi ipsa utero cohereat, nam se tota iungitur infans illi per umbilici tantum tres uenas aut ad summum quatuor. Propterea primis diebus cum nondum conualuerit, & ante quadraginta diebus maximè abortiunt, (lib. de Septim. Par.) & tum maximè cauere ea ratione motum oportet, quo iam prægrauatæ dissoluuntur uincula. Et post iuxta Aphorismum (4. Par. 1.) usque ad quartum mensem: nam adhuc omnia humidiora sunt: post in nono omnia hæc ibi in commentarijs editis, iam & ab Hippocrate patefacta (lib. de Octimestri partu.) sunt, unde etiam maiore sunt in periculo mulieres in hoc tertio tempore: nam antea ut frequentius ita ferme sine periculo abortiunt. Conuenit ergo mulieres magis affligi, & magis in hyeme & otiosas & multo potu ac cibo utentes, ut dixit (3. Aphor. 2. Hippocrates.

[2] Tex. 34.

Puetis uerò incidunt conuulsiones.] Proponit duos morbos, ex quibus unus consurgit, quem uocamus sacrum: uel quoniam à dijs immissus esse uideatur, ut Hippocrates (lib. 6. de Sacro morbo pag. 1.) enarrat uel quia ἱερὸς quod est sacrum, idem magnum & augustum significet. Vnde etiam os quod lumbis succedit amplum & latum quodq; ex pluribus succedit sacrum uocatur (lib. 1. cap. 18.) ut Vesalius author est. Vocatur ergo magnus sacer, Herculeus, quòd Hercules eo morbo laborauerit, ut in Problematibus (30. Par. 1.) Aristoteles. Sed uel quod inuictus sit, et idem comitialis, quòd comitia tanquam ex malo omine dissoluerentur. Dictus est & puerilis morbus & lunaticus, sed non propriè lunaticus est comitialis, uerum insaniæ species. At hæc parum referunt, illud magni æstimo quòd in Textu dicat, conuulsiones & anhelationes quæ morbus sacer esse putantur: quasi id ipse non existimet, & quòd uelit comitialem hunc ex duobus morbis coniunctũ esse, uel ut ex anhelatione conuulsio, atq; ex utroq; peculiaris hic morbus. An quia sic conuellantur contingunt anhelationes? nam non in quibuslibet conuulsionibus spiritus adeò offenditur. Meminit Galenus huius loci, Alemano etiam referente, libro sexto Epidemiorum (Par. 4. com. 5.) cum dixit. Quemadmodum in libro de Aere & Aquis ac locis ita scribens significauit: Pueris accidere conuulsiones & suspiria, quæ putant puerulum efficere, & sacrum morbum esse. In his uerbis clarè patet illi dictioni puerulum subintelligendum esse affectum, ut locutio ita se habeat: Quæ putant puerulum affectum efficere & sacrum morbum esse. Libet mihi exclamare ô hominum amentiam: quid mihi prosunt, uel ad intelligendum uel ad curandum morbum hæ nugæ, quòd antiquo tempore uocaretur hic morbus puerilis seu puerulum affectum, modo constet esse eum morbũ qui pueris accidit, quẽ existimãt sacrũ esse. At illud neq; docẽt quòd per pueros propriè infantes intelligit, et usq; ad septimum annum, ut tertio Prognosticorum, illud enim refert, quousque timendum sit aut cauendum, scire. Sed non aspernor diligentiam, modo non negligantur ob huiusmodi nugas, necessaria & utilia.

Quin

Quin etiam Alemanus omnia quæ ad rem facere, uidentur etiam longius ad locum trahit, ubi autem inops erat, aridam relinquit interpretationem, ut passim uel desint omnia, uel præscindere maximam partem sit necessarium. Vnde hoc? damnas illius doctrinam? nequaquam, eruditus est, insectaris illum? nec id qui mihi ignotus est, & à quo laudatus utcunque: Piget illum scripsisse commentaria? nec hoc: fateor plurimum me illius laboribus adiutum: primus gradum insuetum tentauit et duce caruit. Quid ergo tandem? uellem exemplo eius alios deterrere, alios sibi similes incitare, ut accuratius aliquando scriberent, nec adeò probarent sua cum possint illa facere meliora. Dignus est cum paucis alijs qui legatur, nec uulgaris doctrinæ uir nec aspernandus. Cuperem ut recogitarent secum quanta sit scribentium multitudo, nec alios spe concepta de illis fraudarent, nec suas dotes quas à Deo adepti sunt, nec nomen suum æternitati detraherēt, ob modicum laborem uitādum, ob paucula lucella non amittenda. Consulant gloriæ, sed magis æstiment ipsam uirtutem, & rei dignitatem & conscientiam rectam iuuandi posteros, atque humanum genus uniuersum: inde post mortem consortia tot bonorum & premia beneficiorum. Cum enim omnia fecerimus dicere nobiscum debemus serui inutiles. Galenum uolumus imitari, imitamur ubi peccauit, atque in his in quibus deliquit, in quibus probandus est, non possumus assequi. Quatuor in uiro illo fuere interpretando præcipua, & tamen uel sic illum probare nequeo. Primum est moderatio, ne non nimis plura inculcet: quod factum est ab ipso consultò, ut inuenta Hippocratis ad se transferret, suorum si quid habuit pro se retineret. Secundum ratio distinguendi partes ut dilucidior ubiq; habeatur. atq; hac in parte ferme cula omni caret. Tertium est, ut uerba ad unguē exposuerit Grammaticus, & in lingua eadem cum Hippocrate exercitatus. Quartum, ut aliquid in singulis sectionibus salis aut intinctus loco inspergat: cū etiam in hoc adeò præstiterit, ut multis adhuc placeat. At horum nullum qui nunc scribunt cum præstare norint: neq; enim linguam habent, ut ille familiarem authoris quem exponunt nec habent quod seligant & addant, cum Zeusis Tarentini & Heraclidis Erythræi scripta, ex quibus cuncta penè Galenus decerpsit, & Capito atq; alij quidem illustres monumentis suis uiri temporum iniuria interciderint. At neq; lucem eam afferre possunt, quoniam Methodum Galeni non adeò familiarem habent, ut ea uti commodè possint. neq; enim idem est in methodis quod in reliquis, sed methodorum usus familiaritatem summam requirit, uelut & armorum exercitatio. Non enim plura arma habere, aut calamos plurimum iuuat ad scribendum rectè & pugnandum, sed usu indigemus: at non ita est de libris, & multo minus de pecunijs, nam horum copia sane plurimum confert ad habendum doctrinam, ad appositè scribendum, et ad commoda necessaria consequenda. Sed iam redeamus ad institutum, & quæramus quid sit hic morbus in infantibus, nam certum est ex sententia Hippocratis hic illum fieri ob spirandi difficultatem facta conuulsione, uel ob conuulsionem obortā spirandi difficultate: uel utrisq; simul ortis atq; inde afflicto puero, quasi ex uno morbo. Proponamus, primum ex tertio de locis affectis (cap 7. in initio) quod comitialis morbus est conuulsio generalis totius corporis per accessiones, non continua, cum amissione omnium sensuum tam interiorum quàm exteriorum: ut in tribus à conuulsione differat, & puerilis à sacro quia est cum anhelatione. Comitialis enim licet afficiat respirationem, nō tamen est cum anhelatione. Ergo quomodo hoc fiat tentandum docere ex Hippocrate (pag. 8.) primum quòd ex Austro manifestè docet in libro de Sacro morbo: dum dixit, Auster uenas cerebri laxat, & ipsum humidius reddit, atq; ob id obnoxium huic affectioni, quæ neq; tamen maior est alijs aut diuinior. Sed cum Auster mutet mare, fontes, fluuios, puteos, aerem ut humidum non solum, sed tenebrosum etiam efficiat, & astra hebetet, ac solem & lunam, & terræ fructus corrumpat. quid est cur cum in huiusmodi longe ualidiora tantum possit, ut non multo ualidius afficiat hominis cerebrum? Quomodo autem hic morbus accidat (nam iam docuimus cur in hac regione sit familiaris) nunc ex eodem subiungam. Inquit (pag. 5.) fluxio genitæ pituitæ si fiet ad uentrem, tunc profluuia alui fiunt: sin autem ad cor & pulmones, fiunt anhelationes: cum uero in uenas eadem fluxerit intercepto aere qui in uentriculos cerebri ferebatur, indeq; per ipsos in uenas cogitur sanguis, & fit mutus ob impedimentum spiritus non potentis transire per os & nares ad cerebrum, at sapientia ac cognitione destituitur: eo uero sanguine qui per uenas fluere cum spiritu solebat coacto et spiritu etiam sublato, manus conuelluntur, oculi distorquentur, cruribus & pedibus calcitrat, spuma ad os ob pulmonis suffocationem transmittitur, & stercus exit. Pòst subiungit

git(pag. 6.)quomodo & cur magis in pueris,dicens quoniam humido scilicet abundante in uenas,quæ sunt angustißimæ defluente facilè sistitur sanguis,& ideò etiam facillimè moriuntur. Si tamen pauca fuerit,seruantur nota in membro relicta,uelut ceruice,oculo,ore,manibus. Et ubi syderata fuerit una pars non amplius in illam morbus redit,iam concluſis meatibus per quos illa pituita fertur. Hæc igitur longè utiliora poterant adduci ad rem. Illud addam tantum perſpicuum eſſe dupliciter endimium eſſe comitialem morbum hic, id eſt regioni atq; ætati proprium,ut tertia Aphoriſmorum(25.) contingere autem pituita, & ad uenas ſimul,& ad cor defluente. Ex his habetur diſſolutio quæſtionis, quia iuxta hoc cum puellæ ſint humidiores & frigidiores infantibus maſculis,deberet ſacer morbus illis magis contingere quàm pueris, cuius contrarium apparet: nam dico quòd hoc non eſt adeò certum,ſed ſi ita ſit, contingit quia humidum puerorum eſt magis craſſum & tenax.

LECTIO XIX. SVPER EODEM TEX. VI.

Viris autem dyſenteriæ.] Enumerat morbos qui uiris accidunt,& ſunt ſex. Primus eſt dyſenteria: cum enim iuuentus & ſexus calidiores humores efficiant ac ſicciores, quàm in pueris & mulieribus, meritò fit ut diminuta pituita & permiſta bile, generentur dyſenteriæ, quòd enim ſalſa pituita fiat ex bile permiſta pituitæ, clarum eſt:quòd autem à ſalſa pituita dyſenteria fiat docet idē in Sextadecima tertij (prima 1.docet. 4.) cum dixit:Et cum fit ab humore baurachio terminus eſt unius menſis, loquens de excariatione, (Tract. 1.cap. 2.)in his igitur regionibus in tali ætate & ſexu abundant dyſenteriæ, & maximè quòd dyſenteria eſt morbus endemius conſtanti ætati. Tertia Aphoriſmorum(pag.penult.)ſimile quippiam dicitur in coacis prædictionibus,pituitoſa acutè cum oris uentriculi dolore dyſenteriam fortaßis & lumborū dolorem. Hæc non ignota expertis,quanquam Galenicis,ubi uerba Galeni deſunt admiranda uideantur, ægrosq; ſuis uarijs cogitationibus mactent, frequētißimum enim eſt,ut dyſenteriæ longæ ex ſalſa pituita fiant. Galenus putat (2.de Diff.feb.cap. 6.) pituitam ſalſam fieri, uel à pituita putrida uel ab ichore. in quo aberrat Princeps, qui ichoris loco aquā cum legat, admiratur uult legi & pro aut. Sed talia multa ſunt quæ ſufficiat emendaſſe non arguere, conſtat enim urinam ſalſam eſſe, & amaram & mixtam pituitæ. ſalſam illam efficere: ſed & propter bilem admixtam ſalſa efficitur,ſed cum cruda eſt. licet enim ex ſalſa in amarum per coctionem tranſitus fiat,nunquàm tamen amarum prorſus inſipido mixtum ſalſum efficiet. bilis ergo cruda & quæcunq; terrea ſalſa ſunt, & ichores & putredo efficiunt pituitam ſalſam. in his ergo regionibus talia accidunt, ſicut & alui profluuia quæ ex huiuſmodi cauſa accidunt, ſalſum enim ſtimulat & pituita profluuium facit. Inde dicit febres leues,diuturnæ,hybernæ,quid clarius, leues quoniam in materia frigida uehementes eſſe nequeunt,niſi admixta ſit ſanguini, aut à ſanguine foueatur: diuturnæ,quoniam quæ à frigido fiunt diuturnæ ſunt. finitur enim morbus coctione, frigus autem coctionem retardat, propterea quod coctio fiat à calore. Græca lectio habet,epielas & diuturnas hybernas. mea ſententia ut Epialæ fiant æſtate,hyeme febres diuturnæ. in Epialis ſimul calor ſentitur ab aſtantibus,frigus ab ægro, unde etiam nomen ſumpſit, Paulo teſte. de hoc plura diximus decimo Contradicentium (lib.2.cap.26.) exiſtimant fieri à uitrea pituita. Et ſi non,ſolum id fateor, maximè cuius pars dum putreſcit pars non inæqualitas illa gignitur ſimul caloris & frigoris,uelut in uirgine illa, de qua aliàs, Bononienſi H.Deſideria.

Epinictidas dicit fieri.] Hic eſt quartus morbus cum membra interiora ualidiora fuerint natura protrudente,quod uitioſum eſt extra. Celſus libro quinto(cap. 28.ſec. 14.)de his inquit: « Peßima puſtula eſt quæ ἐπινυκτὶς uocatur: ea « colore eſt ſubliuida uel ſubnigra uel alba,conſue- « uit circa hanc aūt uehemens inflammatio eſſe: & « cum adaperta eſt,reperitur intus exulceratio muc « coſa: color eſt humori ſuo ſimilis:dolor ex ea ſu- « pra magnitudinem eius eſt:neq; enim ea faba ma- « ior eſt:atq; hæc quoq; oritur in eminentibus par- « tibus: & ferè noctu unde nomen quoq; à Græcis « ἐπινυκτὶς impoſitum eſt. Eſſere autem uocantur ab Arabibus,aliàs Benat noctis, ſeu planta noctis Principis. capitur quandoq; pro ægilopa,ut à Plinio(lib.20.cap.6.) eſtq; ulcus anguli oculi. At à Galeno quoniam oriatur noctu, ut ſecundo Artis curandi (cap. 2. iuxta finem) Verum à Paulo & Aëtio quòd tum exacerbetur, ut Gallicus morbus,ſeu potius cum nihil habeat cum Gallis, Indica lues:cum tamen in idem tendant. Neq; nunc diſputabo de tota materia,neque de ratione nomē-

num, & relinquamus id negotij. Ingraßio per ocium talia diſquirendi. Galenus enim (lib. 4. cap. 9.) diſceptare de controuerſis debemus (lib. 14. cap. 61.) quouſq; mentem authoris explanator uenari poßit, quæ utilis ſit, hæc cognitio ad opus. ut uelle reprehendere unumquemq; quatenus erraverit aut deceptus eſt, præſertim in nominibus, pluſquàm curioſi eſt. nam curioſus ſaltem finem imponit ubi nil commodi ad ſe uenturum poſſe putat, qui iſta quærit ne tum finem curioſitati ſuæ imponit. Rectè Alemanus (libro de Tumor. cap. 2.) cauſam docet cur huiuſmodi puſtulæ noctu erumpant magis, aut augeantur & irritentur. Concluſi enim primum poti noctis frigore & calor in intima reconditus materiam putrem exagitat & feruere facit, ut in puſtulas uertatur cutis, carnis etiam ſubiectæ aliquid apprehendens. Cum enim ſit fabæ magnitudine uix tota in cute cõtineri poteſt. Et ſit ex exuſtione, tum ichorum, tum etiam humorum: ſi enim ichor ſolus exureretur, è genere eſſet ſcabiei: ſi ſine exuſtione protruderetur, aut dolorem magnum inferre non poſſet, aut ex humore fieret bilioſo: conſtat igitur ex ichoribus melancholia permixta ſanguini aut pituitæ. Protruditur autem quia ſtimulat naturam, & ipſa potens eſt. uelut per ſomnum maximè, ut tertio (cap. 9.) de Cauſis pulſuũ. At non in die, uel quia calor eſt imbecillior, aut quoniam materia diffiatur: hoc eſt uerisimilius cum etiam dolorem, ut diximus, non leuem excitent: quare fient ex materia exuſta ſpirituoſa, ut ita dicam, per ora uenarum quæ ad cutem non effuſa ſed dilatata ſub cute, & propter dolorem etiã addita & attracta ad locũ, materia innoxa, ut ex duabus partibus talia plerunq; conſtent, materia obnoxia uaporoſa, & innoxia craßiore ſanguinea, ſed propiore ad naturam alterius humoris quàm ſanguinis. Citari ſolet Hippocrates in ſexto (Par. 2. Tex. 18.) de Morbis uulgaribus, qui ibi de puſtulis egit, exemplo cuiuſdam Simonis qui hyeme quadam latis puſtulis laborauit. Videntur tamen non eſſe hæ ſed proximæ, ut etiam uariolæ uocatæ & morbilli: ſed plurimum ab epinyctidibus differunt cum hæ habeant acceßiones noctu, die diſparent, at morbillis & uariolis, ut morbis continuis hoc nõ accidit: uariolæ & morbilli rarò omnino ſine febre eueniunt, epinyctides ſine febre plerunq;, & ſi dum perſeuerant poſt modum febrem tertianam inducant, teſte Principe (tertia 4. Tract. 1. cap. 13.) Tertio quoniam uariolæ & morbilli omnibus ex natura adueniunt, ut Aueroes docuit in ſuis collectaneis, epinyctis paucis. Variolæ etiam rarò dolorem magnũ inducunt, morbilli nunquam, epinyctis magnum, ut diximus (lib. 3. cap. 8. in fine.) Variolæ demum & morbilli ſæpe ſunt lethales, non epinyctis.

Et hæmorrhoides in ſede.] Si quis ordinem animaduertat Hippocratis ſemper diminuendo procedit, primum à dyſenteria periculoſiſſimo malo increpit, inde uẽtris profluuio quouis, poſt febre hepiala, & inde diuturna & hyberna, hucuſque nõ abeſt omnino uitæ periculum, poſt tranſijt ad epinyctidas, in quibus tametſi abſit, ut dixi, uitæ periculum, adeſt tamen moleſtia multa: ultimo loco deuenit ad hæmorrhoidas quæ & à periculo nõ ſolum prorſus abſunt, ſed etiam à moleſtia: cum liceat medicamentis manu applicatis illis ſuccurrere. Et quamuis aliqui ad malum habitum ab eis producantur, hoc eſt uel ob ignorantiam medicorum, aut ob cauſam hæmorrhoidarum, non morbum. Ideò de cauſa cur in his regionibus tam hæmorrhoides quàm epinyctides eueniant, nunc dicendum eſt. Corrupto ſanguine ubi in corpore uena ex cauа iecoris ad anum extendatur, & maximè cum ater fuit humor, & difficulter permeabilis, & feces aridæ & ſanguis inæqualis, & homo acribus utitur, & ſi partes illæ uexentur, prorumpunt hæmorrhoides cum fecibus fermè ſemper, abſq; illis rarò, ut inquit Hippocrates in libro de Hæmorrhoidibus: (in prin.) & fiunt à pituita et à bile ſcilicet utraque, ut ibidem ait. conſueuerunt tamen ſanguinem craſſum euacuare, ut Galenus author eſt (Com. 11. & 12.) ſexta Aphoriſmorum. Verum ſi ſanguis permixtus ſit, ac mediocritati propior, ſubſtantiáq; tenuis, ac quaſi uaporoſus fiunt epinyctides, ut uiſum eſt. In hac igitur regione alterutro modo corrumpitur ſanguis, & ſi quidem antequam tranſeat gibbam iecoris corruptioq; deformis ſit, fiunt dyſenteriæ & diarrhoeæ: ſin autem in ſanguinem uertatur ut cumq; alimentum frigidum craſſum, fiunt hæmorrhoides: ſin autem tranſeat ad gibbam iecoris, fiatq; ſanguis eiuſmodi bilioſus, pituitoſus, ater, fiunt epinyctides: ſin autem humores ſanguinei, fiunt febres. Et ita reducuntur ad quatuor. Sicut ergo in mulieribus uterus magis afficitur, cum ſit imbecillior, ſitu inferior & cloaca excrementorum, in pueris caput, quod in ipſis eſt imbecilliſſimum, ita in iuuenibus iecur, non quod iecur ſit imbecillius cæteris membris, ſed quia non licet aliud membrum in eis imbecillius inuenire. Porrò unde hæc imbecillitas

progignatur dictum est. tres præcipuè sunt causæ quæ in ea regione omnes adsunt, intemperies aeris, calida et humida quæ dissoluit, laxat, unde fluxiones, & putrefacit multitudo uaporũ, quæ cor non sinit expurgari, & cerebrũ implet, & aquarum prauitas, æstate semiputridarũ, hyeme prorsus crudarum: ab aquis aũt maxime iecur et facultatẽ naturalem, ab aere animalẽ uitiari diximus.

Pleuritides aũt et peripneumonię.] Hæc est quarta pars, ut dixi, in qua connumerat morbos acutos, tres reliquos significans. Quinq; enim enumerat, eosdemq; 1. de Morbis. (pag. 3.) Primo de uictu in acutis, frenitidem, lethargum, morbum lateralem, peripneumoniam, ardentẽq; febrẽ. dicit & his similes, id est uelut absceſſum in iecore, in uentriculo, febrem peſtilẽtem, aliosq; huiusmodi, qui non similiter fiunt in his regionibus, quoniam aluos hi habent liquidas. Vnde Galen. (Com. 33.) hũc locum adducens 6. Aphoris. interpretatur de pituita ſalſa, ut locus hic sit intelligendus, potius ob causam mollitiei alui, quam ob ipſam mollitiem; namq; pituitam ſalſam plerunq; putat esse causam alui fluidæ, propter quã naturabilem excernit, unde fiũt morbi acuti. Est enim tyrannis quædam in corpore noſtro, uelut etiã in Rep. malè ordinata, et præcipuè in oligarchia, in qua quiuis ordines atq; homines qui plus possunt premunt debiliores, quod teſtatur Princeps in prima primi, & accepit à Galeno 3. de Facul. natur. (cap. 1. in fine.) & cum rarum sit ut inueniamus, eodem Textu 6. Epid. (cap. 13. poſt prin.) ut duo membra ex æquo sint imbecillia, ideò rariſsimum etiam est, ut eiusmodi homines in morbos acutos incidant. Imò dicit ibi, ſi membrũ illud præoccupas excipere ſuperfluа, et reliqua bene ualent. Et ideò non malum est, podagram pati, ſed multo minus ſcabiem, & male cõſulunt medici, qui adeò cutis ſcabiem expellere conantur. uerũ iſtiuſmodi tyrannidis in humano corpore, cuius adeò luculenter Galenus (Par. 2. com. 43.) mentionẽ fecit, tanquam rei diuinitus inſtitutæ. atq; ex conſequenti, cuius exemplo liceret in miſeros eam exercere, triplicem causam oſtendere uolo, unde facilè intelligatis omnino tyrannidẽ illam, quæ in homines ab hominibus exercetur impiam esse, execrabilẽ atq; alienisſimam ab hoc naturæ exemplo, ſiquidẽ & in homine & in alijs diuerſa diuerſis imponunt, non ſimile ſimili, nunquam oculus dexter ad ſiniſtrũ, nũquam manus dextra ad ſiniſtrã, neq; auris auri, neq; pes pedi excrementa, uel causam morbi detruſit, ſed iecur ad lienẽ, lien ad uentriculũ, cum igitur homines unius & eiuſdem ſpeciei ſint, nõ licet homini hominem uexare, ſed iniqui est hæc tyrannis. Secundũ est, quod ex hac tranſmutatione cum perfectiora ad imperfectiora tranſmittant ordo naturæ cõſtat. Si enim olera non depaſceretur terrã, oues olera, leones ipſas oues, leones esse non poſſent, atq; ita natura deſtitueretur unoquoq; animantium nobiliorum genere. quin etiã quædam ab hoc timore liberauit, ſcilicet quæcunque essent perfectiſsima, elephantẽ, rhinocerotẽ, monocerotẽ, ſeu bouem Aethiopicũ, & inter aues ab aquila olorẽ. Propterea Plotinus in lib. (cap. 15.) aduerſus Gnoſticos dicebat, quod noxia est opinio de Mundo malè inſtituto ad mores hominũ. Et in 1. de Prouident. (cap. 4. & 15.) adducit tres rationes cædis animalium: prima est, quod permutãtur animæ, & quæ paſſæ ſunt iniuriam, poſt inferunt uelut homines in ſcena mutantes ueſtes, ut sit potius ludus quam iniuſtum factũ, cum eadem agat quæ paſſus es. Secunda, quoniam omnino animal erat paulo poſt interiturum ſpõte ſine cõmodo ullo, nónne melius est, ut cõmodo tã magno aliorum paulo ante pereat? Quæ ratio adducitur ab his qui Reſpub. regunt, ut ciues ad bellum mittãt: nam nõ perpetuo uicturos emittunt, ſic enim illis iniuria fieret, ſed omnino domo ſine fructu, & morte difficiliore perituros. Tertia, quoniam una est anima Mundi & omnium. Et ſicut cum ad cutim protruditur febris per puſtulas, gaudemus, licet ea pars moleſtia afficiatur, ita & in animalibus. Vnde patet, quòd nullũ animal habet ſenſum proprij, ſed ſentit ita ut nõ ſeipſum ſentire cognoſcat, ut etiam membrum in homine, præter ipſum hominem: & ideo homo ſolus est iniuriæ capax. Et in homines tyrannidẽ exercere non licet, quoniam cũ iniuria fit. Tum quia in hominibus nulla est perfectionis à ſpecie differentia, quinimo quẽ alios uexant omnes imperfectiores ſunt, & à diuina natura magis alieni, latrones, fures, proditores, uenefici, milites, fœneratores, atq; huiuſmodi. Tertium, quod cauſa huius regni, nõ tyrannidis, est diuina uis ſparſa per uniuerſum mundũ, quæ inferior ſuperiori paret, uimq; infert quæ plus poteſt, non inferiori quæ corpore illo non indiget, ſed illius corpori, uelut ſi Princeps ingreſſus ſedere uelit, omnes ſedem exhibent, non ſe quidẽ malè afficiũt, neq; illi ſe ſubijciũt, ſed ornamentũ quoddã illi ut meliori exhibeãt. Si ornamus eccleſias, ornamus profeſſores, ornamus magiſtros ludi literarij, non dicimus ſpoliari ab illis, adiecta est corporibus aliorũ animalium ad decus mundi, & ad

utilitatem

utilitatem meliorum. & decus mundi cessat, & utilitati melior satisfit, cumq; in usum aliquem ordinata sunt, ei usui subijciuntur. Vnde Cicero aiebat, suis animam esse pro sale. At non homo in homine alterius usu fabricatus est, sed per seipsum habet decorem. itaq; regimen membrorum & specierum ordo regio quædam potestas est, & licita hominum. tyrannis est & iniqua in alios homines pressura.

LECTIO XX. SVPER TEX. EODEM VI. ET VII.

Lippitudines uero.] Postq̃ declarauit morbos qui fiunt maximè ob aquã, docet eos qui accidunt uitio aeris. De his quidem egit in tertia Aphoris. (11.) Et uidetur uelle quòd humidè etiã fiant à siccitate, nam et temporib. siccis & in æstate magis, ut cum dicitur de humidis intelligatur, nam siccas nominat (16. 21.) inter morbos cum æstatem siccam et aquiloniam similis Autumnus, scilicet siccus & aquilonius consequitur (14.) quomodo igitur huic regioni tã calidæ æstate, semper autem humidæ lippitudines siccæ cõuenient? Philosophus 1. Probl. (8.) Lippitudines febribus miscuit, ut eandẽ ferme causam habere uideantur, intelligitq; de utraq;, ut humor prius in capite corrumpatur, & lippitudines inde etiam febres excitet. Et his quidem humidas fieri uult, & non graues nec diuturnas: scilicet quòd materia tenuior sit, et quæ facile exprimatur. Et quia propensa est natura talium ut materia ad intestina rapiatur, ut sexta Aphoris. (17.) Quoniã uero diximus abũ de de siccis lippitudinibus. in tertia Aphorismor. (Com. 14. sed uberius ex Galeno in 12.) & quod sunt magis dolorosæ humidis, ut humidæ ratò cæcitatẽ inducant, effluente materia, ideo transibo ad quintam partem. Haud immemor sum mè aliàs docuisse ophthalmiam, ut hic in Textu Græco aliud esse à lippitudine apud Latinos, nec habere quod correspondeat, sed nunc parum refert.

Et ubi quinquagesimum annum.] Defluxiones ex cerebro, quæ παραπληκτους, parapleticos efficiant: sunt cõgenera tria generà morborum, apoplectici, paralitici, parapletici, ortum ex eadem materia, loco & similem affectum facientia. Namq; hæc ex humore cerebri uentriculos occupante oboriuntur, si ambos ut intereat æger necesse est: tum quia intercipitur respiratio, tum quia non est pars sana quæ curet ægram. Et similiter cũ fit uno uentriculo pleno materia melancholica, uel si ob inflammationẽ, uel si materia per arterias iugulares deferatur ad cor: aut cum accidit in fine febrium, nemo seruatur, in imbecillibus uerò ac senibus non sanatur aliquis, sed in insanabilem paralysim transit deterior em morte, ut quinto de Tuenda sanit. (cap. 1.) & si leuissima sit in paraplexiam, id est resolutionẽ alicuius membri, ex qua euadunt fere omnes, qui bonũ medicum nanciscũtur, & ipsi sanari uolunt, nec commoda desunt. Paralysis ergo dimidiũ obtinet hominem, apoplexia totũ corpus, paraplexia unum membrum solum. Vnius nos admonet ualde utilis dicens, si se soli aut frigori exposuerint hoc cõtingere. nõ quia, ut isti putant, materia ad neruos deueniat: sed quoniã ex cerebri substantia deriuatur in cerebri uentriculos, inde ex illis nonnunquã in neruos, nec est materia huiusmodi unquã pituita, ut fabulatur uulgus medicorum, male enim nimis nobiscum ageretur. Sed humor crudus cui natura nõ dominatur. Sed & à melancholia & sanguine non uero tamẽ fiunt huiusmodi. Decet ergo senes uitare has temporũ iniurias, sed præsertim frigus, obturando hyeme aures goßipio, et emungendo, nares, & moderatione uictus utendo. dixit paraplexias ut per minus, quod est maius intelligeremus: & etiam quia aluus quæ sæpe expurgat hominem, non finit ipsum tantæ multitudini obnoxium esse: nonnunquam ergo imò sæpe paraplexia absq; apoplexia fit transmissa materia ad ambitum cerebri, non ad medium, ubi sunt uentriculi: ut ex circumferentia nerui oriuntur. Meminit de paraplexijs, quas etiã lethales esse dixit, primo Epidem. (pag. 2. Tex. 69. & 59.

Atq; hi quidem morbi ipsis.] Hæc est sexta pars in qua se excusat, quod præter hos endemios, qui omni anno, omni tempore, & omni anni constitutione, etiam præter naturã accidunt, quidam alij etiam oriri possunt, & facilius quàm in alijs regionibus præcipui, uel ratione constitutionis temporum, utpote tertianarũ & capitis dolorum in æstate secundum naturam, & in hyeme grauedinum & raucedinum, uel ratione constitutionis præter naturam, ut in pestilentibus maximè, uelut accidit in Cranone: nam multi alij morbi non uernaculi eo anno apparuerunt.

TEX. VII.

QVæcunq; uerò ciuitates his ex opposito sitæ sunt, ad uentos frigidos, inter occasum solis æstiuũ, & orientem æstiuum: etiam ipsis hi uenti uernaculi ac indigenæ sunt, ab austro uero & calidis uentis protectæ sunt. Et de his urbibus sic se res ha

bent. Primùm quidem aquæ & duræ & frigidæ, ut plurimum dulcescunt. Homines autẽ uegetos & siccos esse necesse est: et plures uentres infernos crudos ac duros habere, supernos uero fluidiores, biliosósque magis, quàm pituitosos esse. capita uero sana ac dura habent. & plerunq; uasa ipsis rumpuntur.

Quęcunq; uero ciuitates his exopposito.] *Transit ad contrarium situm, et uidetur plana litera prima fronte imperitis, sed magnum arcanũ latet in ea apud Astrologiæ & Geometriæ peritos: cui si non subscriberet experimentum, certè longe maius negotium nobis relinqueretur. Præsupponit Hippocrates, quod & uerum est, nos posse & regionem suã itidem afflari posse uentis orientalibus atq; occidentalibus, cum tamẽ sol nunquam remoueatur ab æquinoctij circulo plus uigimti tribus, & dimidia partibus, regio autem Hippocratis distet ab æquinoctij circulo partibus triginta septem, nostra autem quadraginta quatuor, seu amplius. Dico Mediolanum unde oriundus, & Bononia ubi nunc dego: quomodo ergo poterunt radij solis, aut uenti ex illa parte, id est oriente sole rectà nos impetere, ac quasi per lineas parallelas ipsi circulo æquinoctio, sicut uidemus oriente sole atque occidente parietes recta spectantes Boream illis horis illustrari, cum tamen meridie dum sol est altior hoc nulli fiat?*

Proponatur finitor a b c d e, & mundi polus arcticus f, & æquinoctij circulus a g c, circulus æstiui solstitij b h d, uertex noster k, & circulus magnus per illum et oriens & occidens a k e, sitq; sol in d, oriens cum fuerit in tropico: quia ibi est sectio paralleli cum finitore, & occidens in b, & meridianus c f k h g, erit ergo in h in meridie: ibi enim secat parallelus meridianum paries, ergo in k illuminabitur à meridie solum, & umbra proijcietur uersus polum f. Quoniam uerò æquinoctij circulus in parte superiore ad antarcticũ, recedit à circulo a k e per uerticem, & sunt ambo circuli maiores, igitur in parte inferiore circulus æquinoctij à circulo per uerticem, in quo sumus tãquam axis, recedet ad arcticum polum tantundem: quare cum erit sol in punctis a & e in die æquinoctij, erit in directo nostrum quasi in recta linea à dextra in sinistram. Sed cum est in b & in d, est borealior, quàm cum est in æquinoctij circulo, adeò ut dum erit in l uel m, uideatur esse è regione nobis, & in b d. borealior per arcum a b uel e d, id est partibus uigintitribus & mediâ, igitur paries n o, dum sol est in oriente uel occidente illustrabitur à septentrione, & proijciet umbram meridianam. Et quanto magis ascendet à d uersus h, uidebitur à nobis remoueri, & cum descendet ab h ad b, uidebitur eo magis appropinquare nobis, & cum erit in opposito h sub terra, si oculus posset uidere illum, uideretur quasi è regione f polo, & ualde borealis. Et hoc ostendũt horologia, nam cum bifida aeris septentrionem respexerit meridiei linea, transit ad circulum qui est ultra anomonem, qui refert uerticem nostrum, ut ille solis motum in parallelo, & umbræ ultimæ diffiniuntur lineis tenentibus ad meridiem, ut decimæ & uigesimæ tertiæ. igitur sol est in septentrione. Et ita de parietibus ostendit experimentum, & uenti sequuntur eandem rationem. Et nisi quis hæc intelligeret deciperetur. Et sub hoc latent magna secreta: scilicet quod propter hanc causam erraticæ sunt efficatiores in oriente et in occidente, imò in alijs punctis quando sunt extra circulum æquinoctij, quàm in circulo mediæ noctis, quia tunc sunt è regione nobis: & in circulo uerticali, & in axe. Et in circulo mediæ noctis, quàm in circulo meridiei. Et ibi essent debilißimæ nisi esset aspectus rectus. Dicit ergo, quòd si eiusmodi urbes fuerint protectæ à meridie, & expositæ uentis per totum b c d, aquæ erunt duræ, & reliqua quæ sequuntur.



Diuiditur autem Textus in septẽ partes, quarum primam exposuimus. Secunda est, quòd dicit, aquas duras & frigidas dulcescere, loco eius quod dixerat suprà, esse multas & subsalsas, & hyeme ualde frigidas, quomodo ergo possunt esse frigidæ & duræ & dulcescere? Alemanus dicit quòd dulcescunt resoluta parte tenui à gelu, sed

hoc

hoc est absurdum. Dico ergo quod admonet nos unius, scilicet quod eiusmodi aquæ quamuis sint crudæ & tenues dulcescunt tamen: ideò non esse eis utendum, nam in alijs, nemo qui sapiat utatur: in his aliqui decipi possent. Sunt aũt dulces propter hoc quòd solum est calidum concluso intus calore: et ideo in huiusmodi regionibus etiam apparent persæpe bituminosæ. Et si quis dicat, ergo cõcoqui perfectè possunt, responderet ad hoc Hippocrates, quod solũ à sole perfectè concoqui possunt, & hoc est declarare mentem suam de concoctione aquarum, quod non possunt à terra concoqui exactè. Ideo neq;.

Homines uegetos & siccos.] Istud habetur ab eodem tertia Aphoris. (17.) Aquilonię aũt constitutiones corpora densant, facilè mobilia & bene colorata & melius audientia faciunt. Refert Alemanus Capones qui iuxta polum habitant adeò esse agiles, ut se totos per circulum diametri cubitalis arcũ habentes in manu & accinctis pharetris, quod scio uerum esse, & similiter quod sine domibus sint, sed uagantur, aut in speluncis & syluis habitant: quod autem ad multos annos uiuant, ut ille dicit, non mihi compertum est. Vltimi sub Borea & qui sub polo degunt, ut Olaus Magnus in tabulã refert, sunt Briarmij, inter quos & Lapones sunt, Scrifinij & Finmarchij, de quibus etiam Saxo Grammaticus (lib. 7.) Sed de his in Scythis. Et plures uentres infernos crudos. Illud idem dictum est in Aphorismo, habent enim aluos duras, & quomodo debeant intelligi illa uerba, supernos autẽ fluidiores & magis biliosos, dicit ibi, quoniam pectus si dolor aliquis obsederit infestant & oculos mordent scilicet ob fluxiones acres & biliosas. Ideo dixit uentres superiores scilicet caput & pectus superiora uentri communiter appellato: in quo recondita sunt membra naturalia: ideo uide nostra comentaria ibi.

Capita uerò sana & dura habent.] Istud uidetur contra Herodotũ qui dicit (lib. 3.) capita Aegyptiorum esse durissima & in bello non aliter distingui potuisse à Persis: & Indos nostra ætate occidentales habere durissima capita, cum non in regione frigida sed calidissima utriq; uiuant.

Et plerunq; uasa illis rumpunt]. De stillationes maximè fiunt ad pectus, ut etiam tertio in tertium Epidemiorum (tex. 9.) Cur autem rumpantur uasa, dicebat Galenus quarto de locis (cap. 5.) Sed ut in methodum rem traducamus, duæ sunt causæ repetitionis, multa sanguinis generatio ob caloris innati magnitudinem, Prima Aphorismorum (. 15.) & pauc: resolutionem, primo de uictu in acutis: & duriter uasorum ac tussis ex his quæ dicta sunt in quarto de locis (Comm. 44.) ut dixi: igitur in talibus facillime uasa pulmonis rumpuntur. hoc autem accidit in pulmone propter quatuor causas à Galeno enarratas in libris de usu partium, sanguinis summa caliditas, spiritus qui in arteria uenali continetur subtilitas, ipsius arteriæ & substantia pulmonis molis ac fragilis.

LECTIO XXI. SVPER TEX. VIII.

Morbi autem populares ipsis hi sunt, pleuritides, & quos acutos esse receptum est. Necesse est autem ita habere, cum alui duræ existãt, & suppurati multi ex omni occasione fiũt: Huius autem causa est, corporis extensio, ac uentris duritia. Siccitas. n. & aquæ frigiditas facit, ut uasa rumpantur. Edaces autem tales naturas esse necesse est, & non multum bibaces. Non enim fieri potest, ut simul multum edant, ac bibant. Lippitudinesq; his fieri ex temporis interuallo necesse est, duras autem ac uehementes, & statim oculos rumpi, sanguinis item ex naribus fluxiones uehementes æstate fieri iuuenibus triginta annis. Morbos etiam sacros appellatos, paucos quidem, uerùm uehementes. Longè uerò uitæ magis, quàm alios, hos homines esse par est & ulcera non pituitosa oboriri, neq; efferari. Mores uerò magis feros quã mansuetos. Ac uiris quidem hi morbi uernaculi sunt: præterquã si quis omnibus communis ex temporum mutatione ingruat. Ex mulieribus uero primum quidem multę steriles fiunt propter aquas, quæ duræ sunt crudæ, & frigidæ. Purgationes enim mensium non contingunt commodæ, sed paucæ ac prauæ. Deinde pariunt difficulter, & non ualde abortiunt. Vbi uerò pepererint, pueros nutrire non possunt. Lac enim ab aquarum duritia ac cruditate extin-

guitur: & tabes frequentes à partu fiunt. Præ uiolentis enim ruptiones ac uulsuras habent. Pueris autem hydropes in testibus fiunt, quandiu parui fuerint: deinde ætatis progressu euanescunt. Pubescunt autem serò in hac ciuitate. Et de calidis quidē uentis, ac frigidis, & urbibus ad hos sitis hoc modo, uelut dictum est, res se habet.

In præsenti textu agit de quinque generibus morborum endemiorum generalibus, quocunque tempore & ætate proprijs uiris & æstati senibus, mulieribus & pueris. appellat autem populares, & non ἐπι χώρια νοσήματα, id est, uernaculos, nam familiares ætatibus endemij uocantur, uerùm temporibus epidemij. Propriũ epidemiorum est uariari, endemiorum esse inuariabiles. hi ergo partim uariantur, partim non: utitur autem nomine communiore, nam & endemij sub epidemijs continentur, non autem contraria uice. Qui ergo proprij primùm sunt, omnibus habitantibus in hac regione, sunt duo: morbi acuti circa pectus & lippitudines. circa pectus quidem alia ratione q̃ circa cerebrum, quamq̃ non negauerim etiam cerebrum pati phrenetides & lethargos. nam cũ hæc duo mẽbra maximè lædantur à frigore, quia, ut aliâs dixi, ambo respirant, pectus utriq;, infortunio scilicet proprio & cerebri, cerebrum proprio tantùm obnoxium est. Incidunt autẽ in morbos laterales ob tres præcipuas causas: prima, quia habent sanguinem biliosum ob caliditatẽ uehementem interiorem: & ita sanguinem tenuem, qui facilè suapte natura exit uenas, ut libro de Inæquali intemperie (cap. 3.) & etiã quia facilè effœruescit, maximè quia est etiã copiosus in uenis. Secunda, quia cũ exercitatio sit necessaria hominibus, non solùm ob conseruandam sanitatem: sed multò magis ob negotia, & exercitationem excipiat frigus: ideo inflammationes et febres generantur. Tertio (cap. 10.) de Tuẽda sanitate, & 8. Methodi. Tertia causa sumitur ex lib. de Flat. (cap. 2. et 3.) quãuis, ut dixi, minimè Hippocratis germano, quæ tamẽ ibi dicuntur, ad medicinã pertinentia uera sunt. Quia ergo pectus lancinatur à tussi, quæ accidit ob destillationes quæ contingunt à frigore, lancinatæ partes dilatantur, & in eas ingreditur spiritus, quẽ subsequitur sanguis: et ita fiunt inflammationes. Quartã causam oppositã præcedẽti constitutioni, scilicet alui duritiem. qui enim tales sunt, non solùm non leuantur ab his incommodis, cũ sint iam parati, sed etiam illa incurrunt, & alia multa. Dicebat enim Princeps (2. p. hoc. 2. sum. p. cap. 17.) Retentio excrementorũ est causa morborũ in compositione & temperie. sed hoc est generale: specialiter autem durities alui generat conuulsionẽ in infantibus, lib. de Dentib. & 3. Aphoris. 25. & in uiris ex hoc textu habetur, quod omnia genera morborũ acutorũ. Sunt autẽ acuti morbi trifariã ex materia, uel ratione multitudinis, aut qualitatis, aut loci quod etiã dicit Alemanus, & bene. sed demiror quòd plura dixerit de hoc Hippocrates more singulari, quòd iudicio ualeret: Galenus pauciora & sparsim iuxta consuetudinem suã: Princeps nihil in tãto uolumine: nã quod dixit ibi ad retentionẽ cuiusq; excrementi, nõ ut fecibus propriè attinet: quapropter methodo necessarium est uti: cuius tamẽ executionẽ ad opus de Tuend. sanit. lib. 2. traduximus. Vnum hoc obseruandũ, non prohibere alui mollitiẽ morbos longos, ut podagrã, & istiusmodi: quoniã per aluum nõ facilè, nisi præparati fuerint, effluũt. Et de febribus acutis quomodo, et cur fiant, dictũ est satis in epidemijs. hoc ipsum expreßit Philosophus 14. Problemat. 2. cur in frigidißimis locis febres acutæ fiant.

Et suppurati multi.] *Docet morbos laterales et peripneumonias plerunq; terminari ad suppurationẽ: nã absessus pectoris quinq; modis terminatur: aut enim absq; sensili euacuatione dosinũt, & hæc uocatur resolutio: aut cũ sensili euacuatione, quæ est tamẽ propria absceßibus pectoris cõuenit, & nonnunq̃ absceßib. cerebri, & uocant resudationẽ: aut quoniã suppurãt et disrumpũtur. sed in interioribus hæc resolutio nõ est adeò salubris, cũ indigeat alia euacuatione: in externis aũt inflammationibus est cura perfecta: uel finiuntur conuersione in scirrhum, uel transmutatione. Cumq; multi secundum modũ ignorauerint, dixerunt esse tantũ quatuor fines inflammationũ: cùm aũt uerba hæc poßint tres habere sensus, hic unus germanus est Hippocratis: nã fieri multas suppurationes ex multis absceßib. uerisimile satis erat. tum uerò quòd sint longè plures, q̃ ut respondeãt numero inflammationum, satis apertũ est esse exmente Hippocratis 5. Aphor. 10. nõ tamen quòd ita esse debeat, nisi docuisset, constabat: siquidem ex tertio genere sunt hæ, nõ secundo, ut dictũ est. Vult ergo quòd fiãt empyci, ut ex absceßis rupto uel ex anginæ transmutatione, uel ex uase rupto, uel ex collecta destillatione uariorũ humorũ, et in sanie uersæ. ideo dicit (omni ex occasione) Et*

rursus

rursus corporis extensio, & uentris duritia, quoniam corporis appellat extensionẽ contentionem uenarum ob plenitudinem & uentris duritiem: nam bilioſiores fiunt, et ſanguis impurior nõ expurgato ipſo antequam procedat ex caua iecoris ad gibbam: præterea mihi multum arridẽt uerba Alemani in hoc: Detentis enim excrementis corpus repletione diſtenditur, & uaſa cõprimuntur, & ſanguis agitatur & perturbatur, agitatus incaleſcit, accenditur, effluit, morbos laterales dicit, procreat: ſed melius quod ſequitur, frigiditate aquæ & aeris ſiccatæ uenæ rumpũtur, ob quarum rupturam morbum ſuprà dictum fieri diximus.

Edaces autem tales naturas.] Docet quòd plurimùm edant: quòd enim natura optimũ eſt in unaquaq; regione, longo uſu in conſuetudinem tranſit. Dicebat Hippocrates 1. Aphor. 15. uentres hyeme & uere naturâ calidiſſimi, & ſomni longiſſimi: in his ergo temporibus oblationes multæ dandæ ſunt. In regione ergo frigida & humida admodum erunt homines (niſi coacti) ſomnolenti, & multo utentes cibo. & non appetẽt multũ potum ob aerem humidum & frigidum, etiam qui parũ reſoluit. Et quoniã fames eſt appetitus calidi & ſicci, ſitis aũt frigidi & humidi. Secundo de anima: igitur non poterit ſimul multum ſitire & fameſcere: tum etiam quia proprium eſt caloris natiui conſumere ſolidam partẽ corporũ, externi aũt roridam. unde febricitantium nullus præter naturam eſurit, plerique; famem nõ ſentiunt prorſus: at ſitiunt fermè omnes: at qui bene ſe habent, nunq; ſitiunt, niſi aſſumpto cibo aut exercitati, fameſcunt aũt tempeſtiuis horis: cauſa eſt, quoniam calor præter naturã eſt cum motu uehementi & ad ſuperficiem protruditur à naturali calore, & eſt in ſubſtantia ſicca: naturalis uerò cũ humida & exiguo motu & intus reconditus. parum ergo bibunt, quia parũ ſitiunt: & etiam quia pleni cibo capere potum multum nõ poſſunt. Sed nõ eſt intelligendum quòd nõ bibant multũ, ſed quòd non pro portione cibi. Sed de cauſis famis Alemanus non ſe explicat, quamuis enim de aqua dixerit, quòd ſit edax, intelligitur tamen in comparatione ad uinum: ſed quoniam frigida eſt cauſa famis, ut in lib. Artis medicæ, cap. 62. & 63. clarũ eſt de hoc. Et quoniam etiam multã reſolutionem ſequitur magna fames, ut 1. de Symptomatũ cauſis, cap. 7. multa aũt fit reſolutio in corpore, propter caloris magnitudinem: igitur liquet quod dicitur. At dices, quũ calidus ſit uentriculus, quomodo bene appetet? hoc eſt, in quo dubitare contingit: ſed facilis eſt reſolutio: Dico eſſe calidum, abundans ſubſtantia, non aũt gradu, ac ui: & calidum quidem ui ac intenſum eſt illud quod appetitum deijcit: nõ aũt quod eſt copioſum & multũ.

Lippitudines & his fieri.] Quòd duræ eſſe debeant, & uehementes & doloroſæ, haud obſcurũ eſt, uel quoniã humor acutus eſt & biliouſus, uel quia plenæ ſint admodum uenæ, aut quoniam nihil ex oculis exhalat: & ob id uehementi facta expreſſione multi & acuti humoris unius nil exhalat, nil etiã mirũ eſt oculos diſrumpi debere. Sed cur dixit per interualla, nõ in pectoris affectibus: hi enim ſemper apparent: quoniam deſtillationes ad oculos longè rarius contingunt, q̃ ad pectus, tum quia uenæ ſunt anguſtiores, tum quia defluxus non eſt ſecundum rectum, tum quoniam natura obſeruat oculos tanquam membrum nobiliſſimum, et quod minima ex cauſa grauiter offenditur. Ideo neceſſe eſt, ut etiam hoc in caſu conſtitutio quædam propria & ſpecialis accedat.

LECTIO XXII. SVPER EODEM TEX. VIII.

Sanguinis itẽ fluxiones uehementes.] Tranſit ad morbos ætatum, primoq; adoleſcentiæ et iuuentutis, & ſunt ſanguinis fluxiones ex naribus uehementes: hic morbus eſt endemius ætati, eodem dicente 3. Aphor. 27. Grandioribus aũt, & iam ad pubertatẽ accedentibus ſanguinis fluxiones: quum enim poſt 30. annos deſtrueſcat ſanguis, & ante 14. abſumatur in incrementum corporis, par eſt, ut ætate media à 14. ad 30. annum plurimus ſanguis redundet, & calidiſſimus, qui à natura per nares effunditur: quoniam intus ſunt uenæ ſatis magnæ, quæ habent ora in hunc uſum ordinata, ut poſſet effundi ſanguis ex eo loco, & maximè biliouſus: quoniam ſanguis quum eſſet natura calidus, facilè aſcendit, et ideò facilè implet caput, niſi poſſet euacuari ea uia, ſed maximè in febribus, in exercitationibus, inſolationibus, ira, ebrietate. recondit autẽ ora illa in naribus, ne facilè læderentur ab externis cauſis, & tamen ſanguinem extra corpus educerent. ideo dicit, quòd æſtate hoc fit: ut autem è regione appoſitæ ſunt euacuationes ſanguinis per hæmorrhoidas, & per nares, quod nam rectè fecit, una quidem ſurſum, altera deorſum, una antè, alia retrò, una euacuat uenam cauam, alia portæ, ſeu ſtelecſiam, quæ in naribus ſanguinem rubrum & tenuem, hæmorrhoidarum nigrum & craſſum, ac fecu-

adolescẽtibus, & ueri & æstati, at hæmorrhoides autumno, hyemi, consistentibus & senibus. quum uerò nullibi inueniantur hæ uenæ apertæ & in finibus, ut sint ambæ prope exitũ è corpore, quis dubitat ne non factæ sint à natura consilio mirabili. Scripserunt plurimi egregias utilitates sanguinis ex hæmorrhoidibus fluentis, è naribus nullus ex proposito. At quum contrariorum par sit ratio, quis negare potest multa etiam sanguini narium inesse commoda, non tamen illa sine periculo. sunt expositа quidem à Principe, quinta tertij (cap. 7.) & sunt tria præcipuè in febribus ardentibus, inde in abscessibus, & primùm cerebri, & propriè, inde iecoris, dic tu & præcordia, ut in Prognosticis te docui, inde membranarũ latera lis septi transuersi diphradondum & capsulæ cordis, demùm quod rarò euenit, & minus tutum est pulmonum. In sanis tertio loco quum præcesserit grauitas capitis, calor & rubor magnus in facie, & post color clarus, & alleuiatio capitis, & lætitia, & somnus, & claritas sensuum. Secus est multiplex periculum. effluxionem enim sanguinis, q̃ malus color sequitur, nemo potest laudare: nã habitus corporis corruptio consequi solet. Ex parte aũt sequitur facilius hydrops, quia plus effluit sanguinis, & quia melior, ex parte & generaliter nõ adeò ad id procliuis est, quia non significatur tanta corruptio in sanguine, uelut in hæmorrhoidali. Et etiã corruptio illa est in sanguine facto, quiam sparsus est per totum corpus hæmorrhoidalis, in eo qui fit, quæ est deterior, quum iecur ex ea nutriri debeat, & in eo diu mãsurus sit: propter ea multò pauciores ascitici euadunt ex sanguine narium, q̃ hæmorrhoidum. Est autem periculosa talis effluxio, tum ob causas primùm quæ sunt ualde potentes ad inflammationem: secundum, quia potest esse ex arterijs, unde concitatior, & etiam detrimentum maius affert, quũ sanguis sit melior: tertiò, quia periculum est, ne sit ex fractura alicuius uasis in reti uenarum, aut arteriarum, & tum est insanabilis, dicit Princeps. & cur non, quum aliâs ex auulsione dentis mortuos fuisse quosdam ob fluxum sanguinis, ex loco disrupta uenula, aut arteria: quum liceat applicare auxilia, & adurere, quantò magis ibi ubi hæc non licet applicare. Ex quo apparet, quòd aliquando sanguis ueniat, iuxta Principis sententiam, per nares, & non ex naribus, sed ex cerebro. Et ideo fluxus sanguinis narium est homonymum, ut solo nomine uno duæ res ualde diuersæ declarentur: quarum una certè quasi uacat omni periculo, præsertim quũ liceat insufflare puluères, & imponere auxilia: alteri nullo modo, nisi per cõmunia occurrere liceat. Et hic morbus & symptoma est proprius soli homini: nullum enim animal quod ad hãc diem notum sit, est obnoxium tali symptomati. ergo ob id non adeò tutum est prouocare sanguinem narium, uelut hæmorrhoidarum, quibus medicamentis Chirurgicis occurrere possumus, & ad quas non nisi malus sanguis delegari solet, ut ex Hippocratis sententia in sexto Epidemiorũ (Par. 3. text. 37.) quum sanguis ibi sit melior, scilicet in naribus, & concitatior, & minus tuta sit ratio postmodum ipsum sistendi. Et quamuis ita sit, fluxus tamen sanguinis huiusmodi reddit homines securos à morbis, qui ex calido sanguine pendent, uelut erysipelate, carbunculis non pestilentibus, phagedena, urigine urinæ, scabie, dysenteria mala, febribus ardentibus. Dicamus ergo quomodo oriatur, & unde. & quum in tot alijs minus utilibus fuerint adeò effusi & nugaces anatomici, hac in parte tanti momenti, & quæ toties occurrit, & quotidie, cuique occurrere potest, adeò sunt parci, ut inter Paralipomena aliorum hæc historia posśit recenseri, & coactus sim iubere dissecari hominem huius causa. Dico ergo primùm, quòd, ut habetur à Vesalio, (lib. 3. cap. 14. pag. 5. in fin. & 7. lib. fig. 16. sub litera E.) tres arteriæ ex unaquaq; parte à iugularibus delatæ in caluariam ingrediuntur per os capitis perforatum, ex hac duo rami magni, duoq; parui oriuntur, humilior paruorum foramen habet in osse sibi peculiariter exculptũ, per quod tendit ad nares. At uenarum utrinq; sex rami in caluariã penetrãt: & ex exteriore iugulari antequam in caluaria ingrediatur rami in faciem sparguntur (lib. 1. cap. 12. fig. 13. lit. k) & in uasi alas: adeò ut tertia illa propago, seu quarta, quæ quandoque unica est iugularis, quandoq; in collo diuiditur, quandoq; ab ipso collo bifariã (& fig. ult.) per ipsum collum diuisa ascendit etiam bifariam (sed semper hoc) nasum ingrediatur, (lib. 3. cap. 7. pag. 10. in fin.) & tunicam interiorem propriè una permeet, atq; sic sanguis ex uenis narium magis ad inferiora membra pertinebit, ex arteria autem ad superiora & caput. Et ita dignoscitur ex colore. Et si sit paucus, & flauus, & oculi aspergantur eo, & maximè in ictibus recidi tis, signũ est ruptura arteriæ, & mortis instantis.

Morbos etiã sacros appellatos.] Hoc est, secundum genus morborum uiris euenientium, qui pro endemijs habentur, quod certè mirum est, & quomodo hunc ipsum inter morbos iuuentutis

iuuentutis numerare uelit, cùm sit morbus frigidus & humidus, & iuuētus ipsa calida & sicca? Iam diximus quòd hi habent robusta capita etiã, igitur rarò fiet in illis sacer morbus, quia tamen comitialis etiã fit à repletione sanguinis, & præcipuè corrupti, cùm agitatur, aut nimis comprimitur, ut tertia Aphorismorum, & secunda tertij. (com. 20. & ex text. Verbis.) ideò talis morbus etiam est uiolentus. Morbi enim qui non conueniunt ætati ac regioni, & naturæ sunt uiolentiores cæteris, ut dixit secunda Aphorismorum (cap. 8. 34.) & etiam ex his magis periclitantur. Ideò uerò consequens est, ut fiant ob sanguinis multitudinem, cùm iam dixerit de sanguinis profluuio è naribus in prioribus uerbis: & ut plures fiunt ab Austris, ita etiam à Borea & uiolentissimus, cùm non habuerit exitum: siquidem dicit in libro de Morbo sacro, (pag. 8.) quòd Boreas frigiditate sua comprimendo, expurgat cerebrũ & sensus: in multo ergò sanguine & magno frigore regionibus, & præcipuè autumno ob inæqualitatem, & hyeme ob frigus fiunt comitiales morbi, qui certè attonitis sunt similes: & ideò in iuuentute eadem ratione qua profluuia sanguinis in æstate: cùm symptoma symptomati contrariũ sit, scilicet laxitas & constrictio: causa autem multitudinis sanguinis eadem, regio & ætas.

Longæ uerò uitæ magis quàm alios.] Dubium non est longam uitam oriri ex multitudine humidi pinguis puri, ac densi. (1. Aphor. com. 14.) Dubium etiã nõ est, quod & medici affirmant humidum illud à calore innato conseruari: quinimò utriusq; eandẽ esse substantiam: quod igitur conseruat calorem, uitam producit: ubi enim magnus est calor naturalis, ibi primùm est multum de humido, quia (ut dictum) substantia utrorumque una est, aut una est sedes alterius saltem: ibi etiam operationes naturales benè fiũt, unde restauratio: item quoniã non potest esse multum nisi sit densum: non enim sunt uasa distincta, uelut in humoribus: & quia minus resoluitur in frigida regione, ob hæc Hippocrates censet in frigidis regionibus uitam esse longiorem. aliàs hoc disputabitur.

Vlcera non pituitosa.] Hoc est, tertium genus morbi: quoniam bile abundant, & serosis humoribus calidis, frigore intus coacti ulcera gignunt, nec tamen efferuntur, quia putredo est causa huius, sed cùm boreas dominetur, & constitutio undequaq; tum frigore tum siccitate aduersetur putredini constat, cur non efferentur. Hoc enim antea declarauerat, ubi auster dominabatur in phagadenas, degenera quæ, ut diximus sunt ulcera maligna: contrariorũ enim per se causæ sunt contrariæ: per accidens uerò utræq;, uel una per se alia per accidens possant esse eadem.

Mores uerò magis feros.] Quod in gentibus & regionibus, idem in habitationibus dicendum censet. Qui habitant regionem boream, feri sunt moribus: ob id etiam expositi boreæ sunt magis feri, quàm in libero aere: & in libero aere quam si respiciant ad meridiẽ. At de moribus suo loco uerba habebimus. scribere enim multa hìc locus nõ est, & commentariũ nimis excresceret: repetere superfluum, quædam hìc, quædã ibi, utium est, de quo Galenum reprehendere soleo. ob id subsistere decet, tum eò magis quòd hæc tractatio ad hunc eundem librum pertinet.

At uiris quidem.] Docet se propriè, ut ab initio dixeramus, de uiris sermonem habuisse: id est, in ætate constituta, & usq; ad senium: nisi ea in parte quæ ad senes manifestè pertinet, ut intelligamus de ætate. Aliter ut de sexu propter uerba quæ statim sequuntur: ἀνδρὸς enim ut & Latine uir, & de ætate, & de sexu dicitur. Docet autem hos præcipuè esse endomios, nisi ob aeris constitutionem aliqui alij superueniant.

LECTIO XXIII. SVPER EODEM TEX. VIII.

Ex mulieribus uerò.] Hæc est tertia pars, ubi agitur de morbis endemijs mulierum & infantium: & continuat sermonem incipiendo à statu earum, dum adhuc sunt uirgines, tempore fluxus mensiũ: id est, à duodecimo anno: sed præcipuè à decimooctauo, qui terminus est legitimæ cõceptionis: licet multò antè possint concipere, sed debiles plerunque & cum periculo abortus. & multas ex illis quæ ante hoc tempus nubũt, aut sterilescũt prorsus, si uterus sit ualde imbecillis, disruptis uasis, & concalefacto utero præter modũ, & maximè si uirile membrũ magnũ sit, & puella parua, aut semẽ uitiosum: at aliæ nõ adeò imbecilles à primo partu dilaceratis uteri partibus, et uinculis eius resolutis: cũ multis ex his etiam uitietur situs. Porrò de nuptiarũ tempore uidetur sensisse idẽ Plato (6. de Leg. 69. in fine.) dũ in masculis à trigesimo ad trigesimum quintũ, in puellis à sexto decimo ad uigesimum, id est non minor sexto decimo, nec ultra uigesimum pro crastinandum. non laborabo ut quidam faciunt in his quæ extra artem sunt, & iam ipsa sunt experientia comprobata,

bata. Sed ut dixi, quæ nubunt ante tempus, præfinitum periculum sterilitatis incurrunt: Inde sterilitatis in posterum scilicet à primo partu. Tertio, ne in genitalibus male afficiantur. hoc autem non effugiunt, ut qui geniti sunt parũ mente ualeant. à pueris enim geniti pueri perpetuò sunt. Vnde non mirum est, si monstrosos aliquãdo principes sortiamur: nam ob dominationem & regna, modò pueri pueris iunguntur, modò senibus puellæ. Et masculi iunior ætas ad animi imbecillitatem et corporis facit: fœminæ autem corporis tantũ. Vbi uerò peruenerint ad debitum tempus mensium (excurrimus enim extra Textus interpretationem) etiam quod legitimè nubant multæ steriles euadunt, mensibus uitiatis, ut sint pauciores quam esse debeant, & corrupti. Cur igitur primum hic pauciores esse debeant menses, ubi sanguis abundat, & corrupti ubi coctio bona, nisi experimentum doceret, dubitare possemus. Dicimus quod Hippocrates non in aerem sed in aquas duras & crudas refert. per crudas enim aquas in mulieribus quæ calorem habent imbecilliorem, & non exercentur sanguis crassior redditur, & ideò aut non fluit aut parum fluit. & quoniam non bene purgantur, etiam corrumpitur sanguis, & menses non prodeunt quales debent. Dicuntur autem quales non debent, prodire cum substantia sunt nimis crassi aut aquosi: colore albi aut nigri, aut flaui aut misti, odore fœtidi quod est deterius nigris, demũ cum egrediuntur cum dolore. Prodeunt autem quamuis non deuirginatis, quoniã hymen seu engion, quod in uirginibus dum deuirginantur frangitur (& est carnea membranula in medio tenuissima, quæ à ceruicis uteri lateribus oritur, & ibi ad caruncul æ similitudinem est) antea rimula tenui diuisa est: per quam non solũ sanguis, ut docet Vesalius (lib. 5. cap. 15. pag. 4.) sed etiam albus & crudus humor, qui etiam puellis effluere aliquando solet, Aristotele teste exit. Iam ergo notum est, quomodo sanguis hic aut non prodeat aut male prodeat.

Quòd aũt ex hoc sterilitas sequatur intelligendũ est. Concipit mulier potissimè & feliciter euacuatis mensibus: aliæ dum fluunt menses, quæcũq; eiusmodi sunt, ut dum mẽses fluunt uterus eis reseretur, dum cessant claudatur, tũc enim excipere semen nõ possunt. quod etiam proditum est ab Aristotele (7. de Hist. animal. cap. 2.) sed hæ uitiosos fœtus. concipit etiã toto mensis circuitu non tam feliciter ut à purgatione, nec infeliciter ut in ipsa. Non concipiunt aũt ex sanguine qui fluit: multis tum causis tum indicijs, primum quod non par sit nutriri fœtũ ex excremento: secũdum, quòd propensus est sanguis ille menstruus effluere non retineri: tertiũ, quòd à purgatione optimè, ut dictum est, ac facillimè cõcipiunt, quãdo iam nihil superest huius excrementi: (lib. de Nat. puer. pag. 5.) quartũ, quòd in partus tẽpore eijcitur iuxta multitudinem eius quod retentus est. Demũ quòd par sit fœtum nutriri ex expurgato & defœcato sanguine, qui est circum uterum, ut pars superflua eijciatur, pura nutriat fœtũ. Sed quoniam dixit Hippocrates (5. Aphor. 18.) mulieri si mẽses eant, impossibile est fœtum esse sanum: retentis mensibus existimarunt menses in alimentũ infantis absumi. Primis ergo octo diebus aut saltem sex, semen masculinũ cum fœmineo cogitur, estq; ei alimentum fœmininũ, ut quod potentia erat, actu euadat & transeat in principiũ formationis. Cum ergo sanguis menstruus non transeat in fœtũ, dupliciter tamen generationem impedit, & quoniam retinet intra uterũ qualitate praua: et quoniam indicium est sanguinis retenti quod sit corruptus. Vt enim urina est indicium uitiosi sanguinis, licet non sanguis uitiosus ità & mẽses. Docet aũt Hippocrates (ab initio) causas sterilitatis in mulierib. ex parte eius quæ concipere debet à cõpositione tres: occlusum os, situs malus, & leuitas à materia, humor quiuis corruptus seu cum ulcere seu absq; eo: tum mensium defectus aut abundantia. Addiderim ego nimiam uteri paruitatẽ & intemperiem similem semini masculino. Quomodo autem sanguis ille menstruus nõ prægrauet, docet lib. de Nat. pueri, (pag 3.) scilicet quoniam non confertim irruit in uterum, sed sensim ac paulatim, & eius pars absumitur in alimentũ pueri, quæ effluxura non esset, quæ aũt effluxura esset placentæ & membranarũ circumdantium fœtum, quæ & si factæ sint ab initio ex semine, post nutriuntur ut reliqua membra seminalia ex sanguine. Ideò nec fœtus nec uterus afficiuntur à mensibus retentis. Oportuit aũt expurgari sanguinem singulis mensibus, quoniã impurus nõ posset alere fœtũ, tempore aũt quo fert uterus fœtum retineri, casu non per se, ne fœtus si uterus uel tãtillum hiarte, refrigeraretur. Dicebat ergo Galenus in 3. de Natur. facult. (ca. 3. et 4.) uterum cum mulier cõcepit ne hiare tantũ ut acus apex (Herophili authoritate) immitti possit: & neq; intus quicq; imesse uacui, sed fœtum quantuscunq; sit ad unguem amplecti, cum igitur necesse esset tamdiu sanguinem solitum emitti retineri, in usum placentæ ex talium quæ fœtus partes non sunt,

sunt, sint tamen commoda illi distribui. quodq; tribus in diebus irruere ante tempus quo concepit solitum erat, ubi concepit in trigintà dies diui sum nullum sensum noxæ affert.

Deinde subijcit quòd non ualde abortiunt: hic multa Alemanus adducit uera & pulchra, sed quæ difficultatem non dissoluunt, cum tamen præ oculis sit ex nostra Dialectica: cum enim difficulter concipiant, cum hoc sit difficilius concipere quàm retinere: ideo ex his quæ conceperunt paucæ abortiunt, neque enim abortire possunt si non conceperint, nec concipient quæ paucos aut uitiosos habent menses, cum igitur reliqua sint incolumia aer frigidus astringens uterum, robur uirium illarum, sanguis bonus, ob id nõ facile erunt abortui obnoxiæ.

Difficulter tamen parient.] Hoc est quartum tempus si rectè numeremus ab initio, seu quinta pars cõsideranda circa mulieres, quæ difficulter parient, ob id quod uirtus expultrix his in locis labefactatur à crudis aquis & aere frigido, ut retentrix ualidior sit: pueri etiã debiles sunt & os uteri ac pudendũ muliebre astrictum, atq; ideo omnia impedimento sunt partui facili, qui indiget maximo conatu, ut uincula illa circa os pubis diuaricentur: os nequaquam quod breuiore tamen limea committitur: atq; sic partum non adeò impedit. Et coxendicum ossa magis in eis distant. Sic ut os pubis magis possit eleuari uinculis nõ laxatis, quanto magis factis longioribus, ut his duob. auxilijs natura mulierum & infantium saluti, & cõmodo hora ortus nostri prospexerit. Vt docet Vesalius. (lib. 1. cap. 29. pag. 5.) Hic me subit admiratio eorũ qui spernunt dicta scriptaq; recentiorũ quamuis eruditissimorum, dumq; uolunt solum antiquis inniti, nec habeant illi quod satisfaciat, adijciunt multa extra propositum, & ita dupliciter peccant, nec exponunt quod exponere est necessarium, & adijciunt, ut dixi, plurima quæ sunt omnino aliena. Sed procedamus in exponendo, inquit enim in Textu.

LECTIO XXIIII. SVPER EODEM TEX. VIII.

Vbi uero pepererint, nutrire non possunt pueros.] Si enim affuit sanguis dũ erat in utero, quomodo nõ poterit sufficere ad lactis generationẽ? nam si defecisset aut prauus fuisset dũ fœtus erat in utero, fuissent in periculo abortus. Vbi aũt abortus periculũ in populi magna multitudine, ibi necesse etiã est multos sequi abortus: tũ quia pericula non omnino frustrantur maxima ex parte cũ secundum naturã fuerint: tum quia populus uiuit absq; ratione atq; custodia, at hoc iam negauit cũ dixit: & non ualde abortiũt. Dicemus ergo quòd aquæ crudæ ad generandum sanguinem sunt idoneæ, quia uẽtres in ea regione sunt calidissimi: sed ad generandum lac minimè, quoniã lac generatur in exterioribus partibus corporis, et ideo neq; propter angustiã uenarũ trahi ad locũ potest. sed hoc non dicit Hippocrates, nec cõcoqui ob cruditatem & duritiẽ aquarũ, & hoc dicit. Ex hoc colligi dico, quod ad generationẽ lactis nil tam facit quam potus mollis et concoctus. Aqua. n. tametsi non nutriat, est tamen sufficiès ad adiuuandũ et impediendum multũ lactis generationẽ, & quia dicit dura: cibi bene cocti iuuabũt. Et quia in loco exteriore fit talis generatio, iuuat tenere locum tepentem mammarum, & exercere mulierẽ, ad lactis & præcipuè boni generationẽ.

Et tabes frequentes.] Nomine φθίσεως seu Phthisis consumptio omnis intelligitur. quam nã causam indicet docere dignatus est, dicens præ uiolentia enim ruptiones ac uulsuras habẽt. Dicebat Hippocr. in 1. (pag. 16.) de Morbis mulier. fiunt ulcera in uteris à partu, purgamẽtis putrefactis, unde periculũ est ne maiora euadãt, et moriatur aut sterilis fiat: signa aũt sunt cũ purgatio per uteros prodit, tanquã spina uidetur transire: & prodeunt excrementa maligna, purulenta, grauedolentia. (pag. 18.) Inde etiam dolor ad tactũ apparet, & calor sentitur, & febris debilis, demum etiã dolores inualescũt. Et post. Si ulcera uteri fuerint, nec purgamẽta processerint omnia, dolebit: sed si magna nõ sint ulcera breui sanescet: quãuis uterus nõ multis morbis cõsentiat uentriculo atq; sincipite: unde mens percellitur & improba fit, et nõ intelligit. Inde paulo post (pag. 19.) si puerperij purgatio nõ processerit, sed ad caput ascẽdat, tussis & anhelationes prouenient, et impleto pulmone ex sanguine dolebit latus et dorsum et tussiet siccè, & nonnunq; spumosa eijciet, tandẽ concludit, (pag. 25.) quod putrefacto sputo moritur plerunq; in 21. die. Rursus infra: si uteri ulcerati fuerint, & sanguis & pus & serosa sanies effluxerit (putrescentib. enim uteris morb. ab ipsis fit) & uenter intus aleuatur, & attenuatur, et ad contactum dolet, uelut ulcere præsente, & febris ac fremitus ipsam occupat, & dolor acutus ac uehemens inuadit pudenda & pubẽ & imum uẽtrem & lateris mollitudinẽ & lumbos. Id aũt maximè accidit ex partu & abortu, si quid diuulsum computruerit. nonnũquam etiã sponte, (pag. 26.) Si uerò

uerò uehementer exulcerati fuerint, sanguis & pus purgatur, & dolor fit grauis. Et cum dolor apprehenderit, uelut à partus dolore fiunt, & quæ circa fluxum contingere solent. Et quum tempus affuerit, crura & pedes intumescunt. Et curant medici hunc morbum tanquam hydropem, uerùm non est talis. Inde paulo post subiungit. Quæ unq; ulcerationes in uteris fiunt ex abortu aut alia causa uel ab ipsis uel à toto corpore proueniunt. Indicium autem distinctionis est, quoniam quæ ab uteris fit, purgationem habet puru entam & compactam, quæ uerò ab uniuerso corpore, tenuem & saricosam, id est, quia non potest erodi uterus nisi à tenui fluxione. Et huic quidem si iungantur uerba ex libro de sterilibus, habebimus intentum, dum inquit (pag. 2.) si ulcus in uteris factum fuerit ex affectione quadam ex relatis, & non statim sanatum, sed impurum factum fuerit, permanet ulcus ad multum tempus, quemadmodum & id quod in aure existit, & male olet mulier, & quandoq; sanies illi ex pudendo fluit, & curata autem fœcunda fit, uerum curationis exigua spes est, & in secundo de Prædictionibus. (pag. 12.) Quibus porrò ulcus factum fuerit in utero, siue ex partu, siue ex tuberculo, siue ex quadam alia causa, his febres & inguinum tumores & dolores in his locis succedere necesse est. Et rursus eadem repetit. Sed generaliter in primo de Morbis mulierum, (pag. 28.) ubi docet duo alia, quod ulcera quæ proueniunt ex partus difficultate, eadem patiuntur quæ illa quæ fiunt ex corruptione fœtus. Et quod in eiusmodi ulceribus, uinum dare non oportet. Vbi notandum quod semper repetit id, talia ulcera esse sanatu facilia, modo citò curentur. (pag. 24.) Signa uerò magis propria antea declarata sunt luculenter ab eodem, inter quæ est dolor inguinis & lumborum. Oportet autem diligenter animaduertere quod dicebat Hippocrates ibidem, (pag. 7.) scilicet quod uteri in graues morbos incidunt ab ulceribus seu à partu, seu à quauis causa, quoniam ex illis contingunt inflammationes. Et quoniam in hunc sermonem incidimus de ulceribus, cæteri plerunque coniunguntur eis, aut inflammatio aut contortio aut luxatio, seu malus situs in coxam, de quo Hippocrates in Aphorismis (5. par. 45.) & ideo signum contortionis est, quod collum eius sit uigosum: loco mouetur sursum deorsum ante, & procidit retro in dextram & sinistram partem. Iam ergo primum doceamus quod ex nostris commentarijs ibidem declaratum est, scilicet ἐμποτον fieri, id est ulcus, quod solis obliquis linamentis curatur, non digitis, non rectis specillis, non igne. Vnde si prolapsus ulceri accedat, fiet huiusmodi ulceris genus, idq; in tabem desinere solet: cum enim uix curabile sit, nec febrem magnam adducat, tum ob uigilias, tum ob dolores, tum ob defluxionem copiosam, tum etiam ob febres, ob appetitus deiectionem, contabescit corpus. Ergo de huiusmodi lapsibus uarij non solum ut diuersis, sed eiusmodi & unius generis locutus est, ut in libro de Natura muliebri, (pag. 5.) eius qui fit ad lumbos in medio proponens quatuor signa: dolorem ad imum uentrem, suppressionem alui & urinæ, crurium contractionem & lipothomiam. Vult autem digito posse dignosci, non solum meti duritiem, sed & ceruicis eius, & prolapsum ad latus. (pag. 7.) Atque in his maximè tria seu quatuor obseruat ad curationem, uelut situm super latus sanum, & pedes elatos ad crura, si infra delabatur: odorata in oppositam partem applicata, purgationem per inferna & lactis asinini usum, tum seminum pæoniæ & lauti. Memento autem quòd aliud est os, uteri esse corrugatum, aliud asperum, hoc enim proprium est duritiei nõ solum prolapsus, ut post docet. (pag. 15.) Generalia autem prolapsus sunt dolor loci, in quem descendit & tumor & mensium descensus iuxta rationem impeditus. Et cum ad latus descenderit tussit & contabescit mulier. Addit paulo post, (pag. 16.) quòd ubi intorquetur uterus, os eius recedit, nec tangi potest, præter reliqua signa: sunt enim prolapsus citra contorsionem, atq; cum illa qui deteriores sunt. (pag. 17.) Sed si ad uentrem inflectatur, dolor fit ad coxas, & etiam claudicat crus. bifariam ergo coxæ in hoc casu dolent, uel cum incumbit illi, uel quia annexa trahit uincula, & diuellit locum. Distinctio ex tumore habetur. Sic etiam operationes impediuntur, ut post docet, (pag. 18.) cum in rectum intestinum incubuerit. Vt sint tria, tumor, dolor & operatio læsa. At nullibi melius quam in secundo de Morbis mulierum, (pag. 11.) dum inquit: Quibus- « cunq; uteri ad coxam collabuntur, si non breui di « scedant, & rursus ad locum suum redeant ad co- « xam reßicantur. necessarium est autem osculum « auersum esse, & in supernis detineri: Quum ue- « rò auersum fuerit concluſum esse: ex auersione « uerò atq; concluſione durum fieri & mutilatum. « cum autem menses retinentur, ad superiora rede- « unt. Quod si contingant coxam, & incumbunt « dura & solida fit coxa (dicebat, pag. 15. non «

multo

multo pòst) ad lateris mollitudinem & dolores imi uentris, & ad crura dolor incidit & extenditur & suppurant, & linamentis opus habent & pereunt, nisi quid feces aut uras. Docet autem facilè etiam ex puerperio transmoueri, cuius causa hæc adiecimus, scilicet ut intelligatur ulcerari uterum non solùm in puerperio laborioso, sed etiam frequentius prolabi in coxas, quod declaratur ex illis uerbis (Pag. 17.) Ruptiones & uulsuras. Atq; ibi torporem inter signa connumerat. Verùm qui uolet, penè totam hanc historiam in unum collectam uidere, legat ibi (pag. 23.) si os uterorum concluſum fuerit, sit spissum, uelut grossus, & si digito contigeris, deprehendes durũ ac conuolutũ, & digitũ nec genitura admittit, neque menses profluunt & dolor habet imum uentrem & lumbos ac laterum mollitudinem, quandoq; uerò etiam sursum ascendit & suffocat. ut intelligatis quomodo etiam antequam diuturna tabes occidat, perire possint. At persæpe ad cãcros conuertuntur hæc ulcera, uelut cum antea dixit (pag. 11.) ora amarescunt, & quic uid ederint amarũ uidetur: & si plura offerantur, renuunt, oculiq; duri fiunt, nec acutè uident, & mente perclluntur: Et ex mammis dolores ad iugulum transiliunt, & sub scapulas, & sitis tenet, & ipsæ mulieres attenuatæ toto corpore, maximè autem mammillis gracilescunt, & nares siccæ & obstrictæ, nec leuantur: spiritus immmutus, & nihil omnino olfaciunt: & in auribus persæpe etiam callosa concretio, quamuis non doleant ea parte, gignitur. Quum igitur ad hoc temporis progressæ fuerint, sanari nequeunt: sed ex his morbis pereunt. ut de his maximè hìc Hippocrates intellexisse uideatur. Quatuor deniq; modis tabificas fieri ac interire contingit, uno quidem sanguine ad superiora tendente, ut uerè, sed breui tempore ex ulcere pulmonis intereunt, ex primo de Morbis mulierum (pag. 19.) Secundo, ulcere in fistulam redacto permulta incommoda quæ dicentur, ut hoc ex libro de Sterilibus (pag. 2.) tertio, adiuncto prolapsu uteri qui facilè succedit ob dolores, inflammationes & uincula laxata, tum tabescunt ex symptomatibus assiduis, febricula, dolore, uigilia, deiectione appetitus, astrictione alui, demũ si materia ad superiora repat. Vltimò si uertatur in cancrum. atq; hi duo modi habentur ex secundo de Morbis mulierum (pag. 11.) & quinta Aphorismorum 45.

Pueris autem hydropes.] Cruditatis aquarum hoc est proprium, ut maximè noceant testibus: quoniam locus ille decliuis est, & flatus in ipsum impellitur: acciditque infantibus ob nixum, ut ibi uelut tibicinibus & cornicularijs, ut eò flatus & materia aquosa delegetur. si ergo uiri ea ætate & robore, & sicci in hos morbos ex impulsu transeunt, quantò facilius infantes humidi, hora partus, & post, flatu loco dilatato, ut dixi superius ex libro de Flatibus: sanantur, tamen postquam nati fuerint, contractis membris, & siccata pituita, & flatu resoluto, maximè si nõ fleuerint. Ideo caueant nutrices, ne per incuriam aut duritiem morum permittant fiere infantes, sed causam inquirant, cunis agitent, accinant, & papillis admoueant: aliter, præsertim in his qui iam læsas habent eas partes, augetur hernia, aut etiam nõ iam antea cœpta gignitur, ut ex bona cura sanantur. In quibusdam etiam hæc accidit iuxta umbilicum, quæ est deterior, ut sæpe uidi, & credo quòd sit magis dolorosa.

Pubescunt autem serò.] Trifariam dicitur pubescere puer: uel uenere iuxta illud legis, Masculi & fœminæ uiri potentes: uel quia pudenda pilosa fiant, uel quoniam barba: omnibus ergo his modis intelligitur. sed hoc tertio modo præcipuè ut notissimo. causa est, quoniam genitalia membra exuberanti calore indigent, ut quæ functioni ultra metum caloris proprij sint delegata: & non sunt potentia, quum non sint principalia, nec ad illa delegentur uenæ, aut arteriæ magnæ, & sunt expositа frigori: penis enim & testiculi in masculis quoniam externa, uterus in fœminis, quia semper hiat etiam in uirginibus per fistulam hymenis: quare hæ partes maximè obnoxiæ sunt frigori. Et ideo etiam omnes homines ea parte primùm fiunt imbecilles, & senescunt: & in illis quæ ab his pendent, uelut in barba. canescunt enim ibi prius quàm in capite, quoniã pili in mento manifestè gignuntur à calore testium, quod apparet ex tempore generationis eorum, & uarietate coeuntium. Quum ergo in his regionibus aer frigidus, & aquæ frigidæ dominentur, meritò in eis pubertas retardatur.

LECTIO XXV. SVPER TEX. IX. ET X.

QVæcunque uerò ciuitates sitę sunt inter æstiuos ac hybernos Solis ortus, & quæcunque ex opposito harum, de his ita habet.

Quatuor imaginatur puncta Hippocrates, b orientem æstiuum, a occidentem æstiuum, d orientem



rientem hyemalem, e occidentem hyemalem. Primùm igitur locutus est de urbibus & locis respicientibus spacium c d, pòst a b, tunc d e respicientibus b d, id est, totam orientis partem, sicut demùm d e respicientibus a c occidentem. Dico ergo quod in sphæra recta arcus b d, & a c sunt æquales duplo maximæ declinationis, & ideo fermè partes xlviij. at arcus d b a est clxxx. igitur arcus a b & c d, qui sunt semper æquales, ibi sunt cxxxiij. fermè. proportio ergo a b ad b d & c d ad eundem, seu a c: nam a c & b d, ubicunq; locorum sunt æquales, erit ut decẽ septem ad sex: quare quasi dupla superpartiẽs quinque sextus. hoc igitur in habitãtibus in sphæra recta. In sphæra autem obliqua arcus a c & b d, licet sint inuicem semper æquales, mutant tamen magnitudinem: & quũ arcus a b sit semper eo maior, quo eleuatio poli maior est, & arcus c d minor, oportebit hoc scire de tribus arcubus a b, b d, d c, quanti sint: & hoc per tabulas Ioannis Monteregij, de Primo mobili, quamuis hoc non sit expressum in eius canonibus.

Præsupponit in omnibus, quòd contraria sint contrariorum affectuum causæ. non possumus autem dicere quòd omnino: quoniã ambo sunt media eorundem, ergo in hoc conueniunt contraria, quæ sunt media duorum aliorum contrariorum. Et forsan hoc genus contrarij non inuenitur nisi in situ, & dignum consideratione. Et eadem quæstio fermè est de boreali & australi situ: ipse enim est medius inter orientalem & occidentalem: unde punctum a dicimus esse simile puncto c: quoniam utrunq; est occidentale. quoniam si punctũ est medium inter a b, & a c, & ideo particeps utriusq;, ideo quatenus est particeps a c, (non enim exuit naturam prorsus a c, quum non retineat exquisitè naturam a b, aliter non esset terminus a c) igitur communicat cum e, quatenus est terminus a c, ideo sunt ex parte similes, & partim contrarij. Porrò quinam uenti ab his partibus spirent, aliàs declaraui, & nunc breuiter in unaquaq; parte ascripsi, iuxta diuisionem duodecim uentorum sumptam ab Aristotele. In primæ igitur constitutione amplexus est quicquid continetur à Vulturno ad Africum, in secunda à cæcia ad corum: hic à cæcia ad Vulturnum in postremæ amplectetur à coro ad Africum.

TEXT. X.

QVæ quidem ad orientem Solem sitæ sunt, eas par est esse salubriores his, quæ ad septentrionem conuersæ sunt, & his quæ ad calidos uentos sitæ sunt, etiam si stadium solum intersit. Primùm enim moderatior est caliditas ac frigiditas: deinde aquas, quæ ad Solis ortus sunt, omnes splendidas esse necesse est, & odoratas, & molles, & amabiles, oriri in hac ciuitate. Sol enim emergens ac illustrans ipsas castigat. Matutinum enim tempus ipse aer utplurimùm semper occupat. Et hominum formę boni coloris sunt, & magis floridæ, si non quis alius morbus prohibeat. Et clara uoce præditi sunt homines, & ad iram ac intelligentiã præstantiores septentrionalibus: siquidẽ & alia, quæ in ipsa nascuntur, meliora existunt. Et ciuitas, quę hoc modo sita est, ueri maximè similis est, iuxta caliditatis ac frigiditatis moderationem. Et morbi pauciores fiunt, ac debiliores, similesq; sunt morbis, qui in ciuitatibus ad uentos calidos conuersis oriuntur. Et fœminæ isthic ualde fecundæ sunt, ac facilè pariunt. Et de his quidem ita habet.

Quæ quidem ad orientem Solem.] *Ostendit ex nouem indicijs, hanc regionem esse temperatißimam, nec est difficultas, nisi in illis uerbis primæ partis (etiam si stadium solum intersit) & in octaua parte, reliqua sunt solùm simpliciter explicanda. Circa primum ergo dico, quòd in omnibus quatuor constitutionibus Hippocrates tria considerat, ascensum Solis, seu tempus illustrationis, moram & qualitatem uentorum,*

torum, & in duobus primis est arcanum, quod nõ fuit intellectum ab Alemano, neq; credo quod uenerit in mentem Galeno. & uulgatum dogma ergo est, quod nimia mora Solis nimis calefacit, & pauca mora nimis refrigerat, & utrunq; est uitiosum, & imprimit effectus nimij caloris & frigoris, qui sunt æstus consumptio humidi, pulsus aer turbulentus & uaporosus, resolutio caloris, putredo, sitis, uigilia, generatio animalculorũ, mala coctio, & est totus morbificus. frigiditatis autem aquarum cruditas & frigiditas, sterilitas, niues, tusses, destillationes, læsiones mulierum, & pudendorum in utroque sexu, uasorum rupturæ, uulsuræ, constrictio, fluxiones undequaque. ergo ubi mora Solis est temperata, nihil horum erit. Arcanum autem est, quia hæc omnia conuenirent regioni & ciuitati respicienti occidentem. uult ergo Hippocrates quòd in Sole sint duo genera caloris, unum per se primò, & illud est cœleste, diuinum, mite, suaue, fœcundum, humidum, causa generationis, quod attenuat, purgat, & hoc est Solis, ut prouenit à cœlo ex radijs non reflexis. alius est elementaris, qui fit ex reflexione Solis, seu radiorum eius, qui est siccus, aridus, corrumpens, asper, & omnino malus. Quum ergo Sol oritur in quauis parte sit, seu in hyeme, seu in uere, seu æstate, seu autumno, proijcit primos radios non reflexos, & ideo efficit opera salutis absq; ulla excussione. At uerò si regio respiciat boream, non calefacit omnino eam, neque repurgatur aer, neque attenuatur, in duabus autem alijs partibus, id est, in meridie, & in occidente Solis radij iam reflecti fuerunt opera caloris ignei & cœlestis, quæ dixi suprà: ergo radij Solis corrumpunt aerem, & sata & plantas omnes, & aquas, & animalia, & homines. ergo primùm hoc est clarissimum. patet etiam quòd regio quæ aspicit austrum habet ambo mala, id est, calorem exuberantem, & inæqualitatem. Sed occidentalis quum non habeat nisi inæqualitatem, tamen quia prorsus caret utilitate Solis orientis, ideo est deterior meridiana, in hoc licet possit dici temperatior. Sed de hoc suo loco. Quòd ad uentos attinet, orientales sunt temperati, & etiam æquales, unde fœcundi, mites. & hæc est causa quòd oriens tot bona generat, aurum & argentum, aromata, gemmas, herbas salutares, pabula multa, & segetes, fructus bonos, animalia pulchra, equos magnos, & homines sapientes. Sed quis diceret uenti à cæcia ad uulturnum deberent esse calidiores austro, libico & phœnitio, quoniam illi ueniunt ex torrida zona: sed aer sub torrida zona est calidissimus: ergo deberẽt esse calidiores illis qui ueniunt à parte australi. Respondeo, quòd primùm sensus in hoc deberet sufficere, qui docet esse uentos satis temperatos cæciam, subsolanum, & uulturnum: ratio etiam ostendit, quia orientem Sol illustrat uno modo, solùm per tres horas, uel circa, scilicet radijs rectis, postmodum illustratio uariatur, ac continuè permutatur, et ideo aer non potest incalescere, at in parte meridiana illustratio est eodem modo: ergo pars quæ est sub torrida uersus meridiem, est longè calidior: quum ergo uentus procedat ab ea, quòd ad nos attinet, etiam quod ex regione frigida ueniret, quòd ad nos attinet, incalescit in itinere, aut forsan ibi præsenditur, ut uidetur Aristoteli: ergo utroque modo, siue meridionalis oriantur ex regionibus oppositis sub antarctico, siue sub torrida zona è regione meridie, constat eos esse calidiores.

Deinde dicit, quòd interuallum unius stadij sufficit, quia illud interuallum propter montem, uel uallem poterit esse causa, ut pars una urbis excipiat radios orientales Solis, & sit protecta à meridie, & ita erit salubris, ex eo quòd calor cœlestis abundabit in ea, & erit immunis à calore igneo. alia uerò regio urbis erit subiecta calori igneo, et nõ recipiet calorẽ cœlestẽ, & ita erit infœlix: nõpoterit tamẽ in tã paruo spacio esse magnũ discrimẽ caloris et frigoris propter cõsensum aeris simul: sed bene erit discrimẽ in aquis maius: nõ tamẽ adeò magnum, sicut in ualde distantibus regionibus. ideo ipse innuit tria genera discriminis, maximũ in magnis distantijs, & uario situ ualde magnum in aquis uario situ & pari distantia, magnum simpliciter in parua distantia, & uario situ comparatione aeris.

Postmodum loquitur de aquis, et dicit, quòd sunt claræ, molles, id est, concoctæ & amicæ uisceribus. Sunt autem concoctæ propter causam dictam, quia neq; à nimio calore igneo corrumpuntur, neq; à frigore, & ita patet etiam causa quare sint lucidæ & perspicuæ: quum enim intelligatur de fluentibus, nam neq; à calore pars terrea eximo trahitur & repurgatur. optimè non concretæ à frigore, non repurgantur autem à Sole, sed à motu, & à seipsis. Frigus enim propter crassitiem impedit purgationem illarum, quum uapores in eis contenti & partes limosæ non possint descendere. dicebat Plinius lib. 31. quòd proprium aquæ est, ut sit similima aeri. sed quomodo sit odorata, dico quòd mens ipsius Hippocratis (cap. 3.

pagina prima, est quòd Sol efficiat aquas odoratas, sicut etiam de iride dicebat Plinius, libro 17. capite 5. quod ubi incideret, efficeret herbas odoratas, quasi iris aliquid sit, & non potius imago quædam ex reflexione. Inquit enim lib. 3. Metheorum, cap. 2. in quo loco arcus cœlestis deiecerit capita sua, quasi aliquid sit, & non imago tantũ, ut demonstrat Aristoteles, cap. 24. eadem repetit libro 12. de aspalato loquens. idem de uulgari spina repetit libro 24. capite 13. Non ergo arcus capita, sed ubi nubes conglobata est, ibi incidentes radij Solis odoratam reddunt nebulam rosidam, unde odor in fructetis: eadem igitur ratione & ros ipse odoratus non redditur, quoniam non expectat Solis calorem. meminisset enim Plinius libro 2. capite 60. ubi de eo loquitur, quòd etiam experientia testatur: hoc igitur ostensum sit, ne non demonstremus quomodo aqua odorata sit, sed cur ros non sit odoratus. An uerò aqua odorata sit melior non odorata, uide libro 4. Contradicentium, capite 98. Nunc solùm sufficiat docuisse quomodo aqua quum sit res simplex à solo calore Solis, & radijs illis puris possit reddi odorata. Dico ergo quòd aqua concocta perfecto & optimo calore redditur odorata, quoniam odor fit bonus à calore optimo & puro, prauus à putrido, grauis à remisso & debili, nullus à calore igneo exiguo, fumosus ab igneo humido, exustus ab igneo ualido, mistus à misto, ut sint septem in uniuersum odorum genera. quum ergo Sol exoriens purum & optimum calorem imprimat, liquet quòd aquæ illæ erunt odoratæ.

LECTIO XXVI. SVPER EODEM TEXT. X.

Ex præcedentibus sequitur, quòd in quauis regione aliquæ urbes sunt melius dispositæ, aliæ deterius: & similiter oppida. Et in eadem urbe domus domo: & in eadem domo cubiculum cubiculo. Et quod plurimùm refert, si quis habeat cubiculum in quod non ingrediatur Sol oriens, & regio tamen sit orientalis, & aperiat fenestras ob ortu Solis, ad quartam partem diei, & maximè flante uento, purgabitur aer, ac si Sol exoriente ingrederetur, aut paulò minus: quoniam ea hora aer est repurgatus in urbe: igitur admissus à quauis parte, idem fermè operabitur, licet admitteretur à fenestra occidentali. melius tamen esset ut esset orientalis. Idem dico de uento orientali: & iste etiam est melior in horis tribus primis diei: sed post orientalem fenestram melior est meridiano, quia borealis est inefficax & occidentalis non est adeò particeps uigoris Solis. Et tunc oportet tenere clausum cubiculum reliquis nouẽ horis diei. Dubium uerò est de Bononia, quæ respicit boream, an bonum sit aperire fenestras respicientes meridiem: & dico quòd sic, quia ille aer est melior, tum quia optimus illa hora, tum quia non est malus quum sit posita ad boream. tertio, quia regio in quouis tempore est exposita Soli orientali. Et si solùm esset in æstate, melius tunc esset, quàm in hyeme aperire fenestras.

Aliud corollarium quod tempore sereno & matutino, maximè æstiuo & uernali bonum est ambulare in hortis & locis amœnis, ac liberis, nõ ita ante cœnam, ut multi solẽt. Aliud corollarium est, quòd habitantes in æstuarijs, seu caldarijs, ut in Germania, tempore hyemis, abbreuiant uitam, & præparant se ad morbos plures & prauos: quoniam calor ille est inimicus naturæ humanæ, secundum Hippocratem. Quartum, quòd aquæ coctæ & destillatæ sunt malæ, si crudæ iam bonæ sint. in malis tamen bonæ sunt ob tenuitatem & separationem partium corruptarum, & maximè destillatæ: & hoc, quia calor igneus in nullo utilis est uiuentibus, præcipuè sanguineis. nisi in tribus, in superfluo frigore ad tollendum illius detrimenta: tollendo putredinem, & consumendo uapores putridos, & in attenuando. Et si quis dicat, Caro & poma cocta, assata, quum sint meliora crudis, in quo sunt meliora? in pomis sanè auferendo superfluum humidum, & etiam in carne. sed hoc non continetur sub illis tribus: quinimò si dicas, quòd resoluat humidum, dico quòd caro sic cata trium horum facit. caro etiam assata acquirit bonum ualde & potentem odorem, ut trahat canes et pueros ad se: igitur etiam à calore igneo fit bonus odor. Dico quòd non, sed calor igneus tria facit in carne & pomis, resoluit humidum superfluum, & ita adiuuat ad coctionem: & quoniam attenuat partes, reducit odorem, qui erat poma ad actũ, quod expreßè uidemus in suffitibus. ergo quatenus dissoluit, frigidum attenuat substantiam, & facit ut spargatur per aerem, & quatenus resoluit humidum aqueum purum, reddit humidum concoctum, & ita efficit odorem, qui erat potestate odor, ut actu sit odor. & raro faciendo mutat substantiam lentam in friabilem, duram in mollem, crassam in tenuem, inodoratam in odoratam. Quintum dubium est, an in regione quæ omnino est contecta ab oriente, bonum sit aperire fenestras, uel spaciari in hortis hora matutina?

de hoc in sequenti lectione ubi est locus.

Et hominum formæ boni coloris sunt. Hæc est tertia pars, & est quòd situs est similis regioni temperatæ: sed in regione temperata homines sunt huiusmodi boni coloris, & floridi: ergo etiam in situ. Et hoc est, quia comparat regiones, situs & tempora: & in temporibus assimulatur ueri, ergo homines tales erunt boni temperamenti, ut in arte Medica, cap. 8.

Et clara uoce præditi. Hoc est quartum quod consequitur, & est magni momenti: quoniam ad hoc ut uox clara sit, requiruntur asperæ arteriæ gutturis, faucium & linguæ, tum musculorum eas partes mouentium leuitas & robur: ut colligitur secundo in primum de Morbis uulgaribus, Comm. 78. Verùm dico, quòd præter hæc, etiam necesse est ut palatum, & nasus, & dentes anteriores, & labia sint bene disposita: quoniam uidemus, ut in morbo Gallico maximè uoces corrumpi, corrupto palato, quod est tanquam fornix ad reddendam uocem canoram, æqualem & claram. Idem apparet in naribus: unde sunt quidam, quos uocamus loquentes per nares. Quum igitur omnes partes hæ fuerint perfectæ, leues, robustæ, erunt uoces claræ: et ideo plus est habere uoces claras, quàm esse temperaturæ bonæ, & plus est esse temperaturæ bonæ, quàm habere uoces claras, quia temperatura bona est magis communis toti corpori, & uox clara significat supra membra spiritualia exactè sana, ut habetur etiam in arte Medica, capite 68. unde ibi leuis uox arteriæ lenitatem consequitur, quæ à moderata procedit temperatura.

Et ad iram, & ad intelligentiam. Hæc est quinta pars, quæ intelligitur ex præcedentibus: dixerat enim superius, quòd in regione respiciente boream mores sunt magis feri. Vult ergo quòd sint mansuetiores, quia prudentiores, & sanguinem minus feruentem habent: propterea in regionibus temperatis homines sunt præstantioris ingenij, & humaniores, quod suo loco uidebitur, dum de regionibus tractabimus.

Septentrionalibus siquidem. Comparat in hac sexta parte melioribus, non dixerat septentrionales esse longioris uitæ & robustiores. hîc uerò docet necessariũ esse, ut hi sint præstantiorus ingenij, & humanioris, et melioris temperaturæ, quia dicit, Quæ ibi oriuntur herbæ, pisces, animalia, sunt minus bona, quàm in regione temperata: ergo etiam homines erunt minus bene temperati & minus sani, & minus bonorum morum. quod etiam declarabat Galenus in lib. quod animi mor. cor. temp. seq. per longũ processum, & ideo ista sunt per se clara.

Et ciuitas quæ hoc. Comparat Hippocrates regiones, situs & tempora anni, adeò quòd regiones temperatas comparat situi expositio ad orientem, & uento orientali & ueri, & similiter situm ad austrum regioni australi, æstati uentis australibus. Sed ut habetur 3. Aphorismorum 9. uer saluberrimum & minus uitiale. Ergo homines habitantes in hac regione sunt maximè sani. Postmodum subijcit:

Et morbi fiunt pauciores. Hoc declaratum est in præcedenti parte, sicut et illud, quòd sint imbecilliores. generatur enim bonus sanguis, à quo nulli possunt contingere morbi, nisi ex plenitudine: quamuis enim sit mala temperies in iecore, & in uentriculo, calor tamen cordis et uniuersarum partium bene temperatus, & plurimùm habens de calore cœlesti adiuuat coctiones, temperat membra, aufert malum sensum & dolores, tollit flatus: namq; flatus fiunt à calore præter naturam acuto, & naturali diminuto, & ideo permutatio aeris ad ualde bonum, est ualde utilis in omnibus morbis longis. & quantum possit aer declarabat Galenus, capite de terra sænia, in fine, in 9. de Simplicibus medicamẽtis, adeò ut uelit quòd in regione calida & sicca, uelut in Aphrica, laborantes phthoe, & si non liberentur, degant absq; detrimento, & per multos annos. Sed quia dicit, quòd sunt similes morbis, qui fiunt in regionibus calidis, ideo hoc uidetur implicare contradictionem cum dictis superius. Propterea Alemanus ex sexto Epidemiorum, ubi uidetur uelle Hippocrates Par. 8. text. 31. quòd difficile sit ex similibus coniecturam facere, ubi Galenus, Comm. 36. sub diuisione alia uidetur exponere, quòd difficile sit similitudines cognoscere, quæ parũ ad hoc propositum faciũt, quum ibi uelint expositores quòd decipiantur in morbis similibus, existimantes esse similes, qui non sint. hîc uerò iam supponit esse similes, & ideo sententia est clara, meo iudicio: quia comparat hãc regionem boreali, in eo quòd habeant meliorem temperaturam homines, quàm in illa, non autem in morbis, quoniam morbi in ea sunt sæui: hîc uerò non comparat australi in temperatura & compositione, quam constat esse deteriorem boreali, neque in numero morborum, quem apertum est esse maiorem, quò ad ægros, omitto de specialibus illorum, quàm etiam in boreali, sed comparat quò ad lenitatem morborum:

sunt enim leniores morbi in situ australi, quàm boreali, & ideò artificiosè utriq; parti in ea, in qua est melior, & magis probata, sicut si uellet probare quòd esset deterrima, compararet utriq; parti his in conditionibus, in quibus essent magis detestandæ, ueluti australi in breuitate uitæ, in imbecillitate corporum, boreali in morborum magnitudinem: nam reliquæ duæ comparationes non concludunt, & sunt absurdæ.

Et fœminæ histericæ.] *Hæc est ultima pars, & colligitur quinta particula Aphorismorum, Comm. 60. ubi dicit Hippocrates, quòd quæ habent temperatum uterum fœcundæ sunt: quæ autem habent temperatum totum corpus, habent etiam temperatum uterum, non solùm quia constitutio totius pendeat ex constitutione partium, sed etiam quia si cor est temperatum, et iecur est temperatum, & cerebrum temperatum, fieri non potest, ut uentriculus non sit temperatus: & ideo omnia membra alia tum propter nutrimentum, quod aduenit eis ab illis, tum etiam propter calorem influentem, qui perpetuò mutat illa. Et hæc fuit sententia Galeni in libro Artis Medicæ, cap. 50. ubi dicit, quòd temperatura totius prouenit ex temperatura cordis & iecoris: & similiter patet causa cur facilè pariant.*

LECTIO XXVII. SVPER TEXT. IX.

QVæ uerò ad occasus sitæ sunt, & ipsæ à uentis ab oriente spirantibus protectæ sunt, & tum calidi uenti leuiter afflant, tum frigidi ab ursis præterflant: eas urbes necesse est situ morbosissimo positas esse.

Proponit ultimum situm urbium ac locorum ad occidentem spectantium, qui etsi uideantur natura temperati, eo quòd calidi uenti leuiter, tum frigidi moderatè: id est, dupliciter, & quantitate, quia non diu, & non quotidie, & qualitate, quia lenes: & tertiò, seu quartò, quia uicissim: quæ omnia temperamentum afferre possent, nihilominus esse morbosissimos. Alemanus, Auerrois, & non uerorum explanatorum more, quæ debentur sequenti textui pro expositione præcedentis affert, quod ille ut ubiq; seruat, ita uitiosissimus est. Dico ergo quòd hoc debet referri ad eos, qui bonis etiam utuntur cibis absque ordine, uelut si carnem pulli quis edat, inde ferculum ex pane uel alica, demùm oca: si quis se à cibo exerceat, si uenere utatur: si fricetur, post se exerceat: nam his qui orientem respiciunt uespertina hora frigidior est, matutina calidior, istis autem contrarium accidit.

Secundò obseruandum est, quòd uult solùm urbes eas esse protectas ab oriente: licet enim præter occidentem etiam pateant meridiei & septentrioni, uult eas appellari Occidentales: qua ratione ergo dicemus Bononiam proculdubio boreæ esse expositam. Vnde errauit apertè author Dialogi Melaphronis, qui putabat Bononiam nõ debere dici expositam boreæ, quòd orienti etiam & occidenti esset exposita. Et in hoc auget admirationem, quasi dicat, Etiam & si sit afflata leuiter calidis ac frigidis uentis, ut uere etiam deberet: salubrima est tamẽ cum hoc etiam morbosissima.

Tertiò considerandum cur uentos illos, scilicet boreales & australes uelit leniter afflare, cùm constet ex quauis parte uentos ualidos flare, licet non sint cardinales. Ideo dico, quòd uentorum ratio constat in quatuor causis cœlestibus, terrestribus, & ex aqua, ex ipso aere, locis. Animaduertendum quòd uenti procedunt diuersis in regionibus diuersi, tribus de causis: uel quoniam eodem tempore possunt oriri diuersi in diuersis locis, aut impediri: uel quoniam ortus se habet ad



loca diuerso modo: uelut uentus oriens ex a ad b, uidetur orientalis æstiuus: ex a in c orientalis hyemalis. Vel quia in uno loco calor, in alio frigus uigeat. Variantur etiam in eodem loco, uel ob tempora, uel ob astrorũ configurationem. Quum ergo de his plures scripserint, amplectar solùm sententiam Aristotelis, Theophrasti & Alchindi, quorum meritò rationes fidem augent. Existimat ergo Alchindus, quòd Sol dum est in capricorni initio, facit uentos boreales, donec peruenerit ad initium arietis. ita à cancri initio ad libræ initium australes. Et quòd planetæ retrogradi sunt calidiores

iores directis, & mouentur plus quàm trecentis sexaginta gradibus in die naturali: quoniam paruus circulus mouetur tantundem & ipse, planeta mouetur ab oriente in occidentẽ tantùm, quantum motus epicycli fert: igitur mouebitur planeta in una die motu mobilis primi plus trecentis sexaginta partibus, & hoc est quod quærimus. Alia causa est, quoniam planetæ sunt propinquiores aeri tunc: Sol autem est imbecillior in ultima quarta: id est, ab initio capricorni ad initium arietis: tamen glacies dissoluitur. Et similiter erit minus calidus & magis siccus planeta, in secunda quarta retrocessus: id est, post Solis oppositionem quàm antè. Quartò dicemus, quòd planeta erit calidior ab initio cancri ad initium librae, & dum est in opposito absidis. & hæ regulæ omnes pendent ex una, scilicet quòd dum appropinquat nobis planeta est calidior: quum remouetur, est frigidior, & hoc conuenit cum eo quod est iuxta nostra principia, scilicet quòd elementa sunt frigida omnia, & stellæ omnes calidæ. & ideo Saturnus & Luna sunt calida: uocatur tamen ille planeta, uel stella frigida, quæ non reducit elementa ad temperamentum suo calore, quæ autem reducit temperata: quæ ulterius exalefacit, calida. At quum ex astrorum motu fit uentus, & Sol superuenit, & dissoluitur uentus, & fit serenitas: quum uerò luna, fit nubes & pluuia. Et quoniam hæc uera sunt principia, reliqua quæ subijciuntur falsa, ideo proponam ea quæ uera sunt: nam forsan liber ille non est Alchindi. Dico ergo quòd uenti & differentiæ procedunt ab astris ob motum & lumen. & qualitates quæ efficiunt uentos sunt, calor & humidum, temperata frigiditas autem & siccitas & calor exuberans, aut concoquẽs, tollunt illos. Et sumitur primùm ratio à planetis, Ioue & Mercurio: & his luminaria succedunt. Secundò, ut sint proximi terræ, seu in eccentrico, seu epicyclo, & tunc sunt retrogradi. Et in mutatione omni ab ascensu, descensu in utroque à meridie ad boreã in eclyptica et æquinoctij circulo ab exitu è Solis radijs, ut sint quinq;: & cũ conuersis decem. Quartò, à loco iuxta partes Zodiaci ab ariete ad cancrum calidi et humidi, à cancro ad libram calidi & sicci. Quintò, à Luna, quæ in quadratis est proxima terræ, & ideo calefacit, & humectat: in coniunctione autem refrigerat, & exiccat, ut etiam in oppositione: sed tunc parum siccat, uelut etiam in quadrato secundo minus humectat, adeò ut specie sicut & in oppositione humectet. Sed humido ad putredinem parato et externo. Sextò, ex natura fixarum cœli, uelut orionis & asinorum, ac similium. Septimò, ex natura originis, uelut punctorum cardinalium, & coniunctionis, uel oppositionis luminarium & aclypticum. Octauò, ex natura locorum iuxta situm in comparatione eorum, uel ad originem ipsorũ. & in his omnibus obseruare oportet, quæ contingant illi loco. & quoniam origo uenti est alio in loco, ideo res est perdifficilis, quò ad prædictionem. & hoc maximè si uerũ est quòd origo uentorum sit ab exhalatione terræ circulari: nam dato quod ex astris possem cognoscere, quòd oriatur exhalatio borealis, quum simpliciter boreale posßit esse orientale, uel occidentale Bononiæ, non potero scire undénã processurus sit uentus. ergo neq; de uentis, neq; de pluuijs possumus quicquã specialiter prædicere: per coniecturam autem possumus, maximè dum occidunt & mutantur, præcipuè duo inferiores.

Aristoteles autem libro 2. Metheor. capite 4. reducit uentorum causas in exhalationem siccam, quæ euenit in locis frigidioribus: quapropter quum Sol nunquam ad austrum, uel boream tendat, hìc inde; ideo fiunt (inquit) ualidißimi uenti, non ab oriente, uel occidente, quoniam à Solis calore dißipantur. Alia ratio est, quòd ubi Sol accedit, multam moram ibi ducens, multum incalescit aer, & ubi remouetur, refrigeratur: adeò ut sit maior distantia æstatis ab hyeme, quàm meridiei à media nocte: sed ubi maior calor & maius frigus, ibi maiores pluuiæ: quia calor attrahit, frigus remittit: & ubi maiores pluuiæ, ibi maior exhalatio, & ubi maior exhalatio, ibi ualidiores uenti: sed ab austro & borea contingit hæc uarietas: igitur ab austro & borea flant uenti maximi.

Contingunt ergo duæ dubitationes, una ab Aristotele proposita, & est necessaria hic: cur cùm uentus sit exhalatio à terra, & circumcirca feratur, magis dicatur borealis, quàm orientalis, uel cæcias, uel alius, & ad partem illam ualidior fiet. Secunda est, cur quum maior sit differentia inter meridiem & mediam noctem, scilicet dimidium circuli, à tropico autem ad tropicum paulò plus octaua parte circuli, & ideo quarta illius differentiæ nihilominus maior contingat uarietas caloris & frigoris ex hac, quàm ex illa. Et si dicas, quòd hoc contingit, quoniam illa magis permanet: dico quòd etiam illa uariatur singulis diebus, adeò quòd mora uigoris est breuis. tantùm enim deberet posse uarietas à meridie ad mediam no-

ctem multiplicatą per uarietatem æstatis & hyemis, quantum uarietas æstatis & hyemis per uarietatem meridiei & mediæ noctis. & ideo dico, quòd hoc concludit, & est uerissimum : sed tunc comparatur calor meridiei æstatis ad frigiditatem mediæ noctis hyemis. Sed simpliciter non concludit : quoniam differentia meridie à media nocte non est multiplicanda per differentiam Solis in tropicis contrarijs. causa ergo uera est declarata suprà, & est non ratione aeris solius, quia etiam argumentum concluderet, sed caliditatis terræ, quia in una die terræ calor parum potest uariari : ideo ratione solius aeris concluderet solùm ratio. nam in transitu à tropico ad tropicum uariatur multum calor terræ. Circa hoc est notandum, quòd uentus dupliciter dicitur Borealis, uel Australis, uel ratione partis ex qua uenit, uel comparatione eorum ad quos peruenit. Ad primam autem dico, quòd uentus iuxta Aristotelis opinionem quum moueatur in circuitu, ualidior tamen redditur, ubi ualles fuerint arctæ, unde acquisito impetu seruatur motus. Vnde qui ducunt aquas uiolenter retinent, & per loca angusta ducunt, ut celerius ferantur. pòst quum deducitur per loca lata, pòst quum per campos, pòst quum frangitur ab inæqualitate collium. uelut si uentus oriatur in a, & sint montes, d & e erunt australis ad f, & orientalis ad g leuissimi : ualidissimus autem medius per uallem uulturnus inter meridiem & orientem. Si uerò oriatur ex k, erit orientalis ualidissimus uulturnus, & cæcias imbecillissimi. quum ergo quouis constituto loco ex infinitis locis contingat fieri exhalationem, contingèt in ui uentorum diuersitates innumeræ, quò ad loca diuersa, & etiam iuxta eundem locum. Sed quare boreas & auster sunt ualidiores in quouis loco quum sumpti fuerint, secundum rectam lineam? Dico quòd mens Aristotelis est, quòd sint ualidiores, quia causa est ualidior, ut dixit, & est terra madefacta. & ideo imaginatur Aristoteles, quòd uapores illi prodeant secundum circulum, parallelum, qui deferatur à Polo secundum rectitudinẽ, qualis secundum centrum. & ideo à loco propinquiore erit ualidior uentus, & ille est in una linea recta à polo per locum exhalationis ad locum habitationis. Verùm hæc responsio plures habet difficultates. Prima est, quia uentus quanto plus elongatur à suo principio, tanto ualidior est. hîc autem supponit contrarium. Secunda, quia oporteret totũ parallelum affici, quod esse non potest. Præterea quoniã Aristoteles uigesimasexta Problematum 38. uult quòd uenti oriantur ex unò fonte uelut aquæ, expargantur circumcirca. & ideo dico, quod istud contingit ex natura meridianorum: quia sicut Sol est ualidior quũ est in meridiano & qualibet stella etiam non solùm Sol, quia percutit secundum rectũ, ita & uentus. & ideo benescit Aristoteles loco allegato, qui licet non soluerit quæstionem, tamẽ proposuit eam. Ipse etiam docuit duo, unum in Metheoris, scilicet quòd uentus oritur ex plurimis ramis à terra originem ducentibus loco diuersis: sicut etiã flumina quæ componuntur ex pluribus ramis, quorum singuli rursus componuntur ex diuersis riuulis. Alterum est quod in Problematib. loco allegato dicitur, quòd uenti assimilantur fontibus, qui nõ possunt ascendere ultra certã metam altitudinis. & ideo dicit, quòd in cacumine montis Athos nulla apparẽt uestigia uentorum, neq; etiam in cacuminibus aliorũ montium altissimorũ. etiam per hæc innuit, quòd uenti fiant ab exhalatione terræ, & non ab ipso aere, de quo dictum est suprà. Sed dicet aliquis: Si uenti hi fiunt ex terra madefacta, uapore remittente, ergo sunt ex exhalatione humida, et nõ ficca. Respondeo breuiter, quòd comparatiuè dictũ est. uentus enim & pluuia fiunt ab exhalatione humida, sed uẽtus à sicciore, quia minus humida. & ideo omnes uenti humectant. & Aristoteles confessus est de austro, Hippocrates autem de borea: & ut dictum est suprà, utriq; siccãt, propter motum, utriq; humectãt propter substantiam. & ita de omnibus uentis. ideoq; uentus ualidissimus semper maximè exsiccat, & quod motus, sicut ostenditur ex ulceribus & scabie, quæ siccantur & sanantur, positis cruribus in aqua currente. et est auxilium pulchrum & suauissimum. & quia curatio uulnerum est exsiccatio, ideo etiam sanãtur. Tertia causa uentorum est ex aere, ut apparet in rimis ostiorum & fenestrarum. Quarta ex propinquitate faucium montium. Circa uentorum etiam distributionem non leuis est differentia inter Ptolemæum & Hippocratem, lib. 2. text. 13. nã Ptolemæus aquilonem tribuit Ioui, australem Veneri, orientalem Saturno, occidentalem Marti. igitur primùm orientalis erit insalubris, & meridionalis salubris: hic enim à benefica exorietur stella, ille autem à malefica.

Videtur etiã borealis nõ conuenire Ioui, cuius natura est calida & humida, quũ uentus sit frigidus & siccus. & ideo ratio Hippocratis uidetur magis secundum naturam. Nec maleficis adeò mites uenti conuenire uidentur, quum sint pla-

netæ

netæ ualde intemperati; neque temperatis stellis tam acres uenti. Sed potius Marti auster, boreas Saturno, orientalis Ioui, occidentalis Veneri. Verum dico, quòd aliud est mouere uentos, aliud est natura uentorum. Saturnus quidem dominatur orienti, quoniam temperatur calore & humido illius: & etiam quia uis eius est, quum est orientalis, sicut Mars ab humido & frigore occidentis. Iupiter autem aerem serenat, ideo borea gaudet, & Venus austro, quoniam in illam latitudinem plus quàm in borealem inclinat. Et generaliter scopus Ptolemæi considerare mores & euentus, Hippocratis salubritatem locorum. Et hæc cognouisse sufficiat. Diximus & de his ibi. Sed ad Philosophos modò deuenio.

Relinquebatur autem quæstio ualde pulchra, adeò ut multi circa eam hallucinati sint, nec ad hanc usque diem potui inuenire solutionem, nisi ex parte. Etiam quæstio est hæc: An aer liber quantumcunque malus, sit melior aere concluso: utpote in tempore pestis, an sit melius spaciari in aere aperto & libero, an concludere se in conclaui cum igne? & an melius sit habitare in locis humilibus, an excelsis? de hoc consuletis quartum librum Contradicentium, capite nonagesimooctauo. Pro nunc ego distinguo trifariam hoc modo: Tempore pestis melius est habitare in locis conclusis semper, quàm apertis, quatuor ex rationibus. Prima, quia uidemus quòd reges & principes id agunt & seruantur, plebs perijt, & uix unquam rex ullus inuenitur, qui peste obierit: præter Marcum Antonium imperatorem Philosophum, & Lucium secundum Pontificem, & Zoen imperatricem cum marito, & Ludouicum Gallorum regem, & Alphonsum undecimum regem Hispaniæ, & Furium Camillum, & Michaelem Maurocenum ducem Venetorum, ut Rauisius refert. Et hi quidem potius ex incuria & inscitia, quàm ui pestis obiêre. Secunda, quia ignis consumit & tollit uitia aeris: impossibile est enim quicquam resistere igni inter res mortales, nisi forsan propter circulum unum aliquod, sicut declaratur in libris de Arcanis æternitatis, ut non sit initium neque finis alicuius rei. Tertia, quia in cubiculo concluso iuuantur à suffitibus, qui possunt permutare omnem malam qualitatem impressam in corde & cerebro. Quarta, quia in aere libero à uaporibus possunt statim interire, & maximè quia Ptolemæus in principio Apoteles. uult quòd tales influxus communicentur nobis per aerem, & non absolutè & ex proprietate. Ergo emendato aere tollitur periculum. Secundo dico, quòd in regionibus malè positis tutius est quiescere in cubiculo, flantibus uentis, quàm exponere se aeri libero. & ratio est, quoniam inueniuntur aliqui uenti, qui statim occidunt omnes, qui sibi obuiant: & etiam, quoniam est manifesta causa, scilicet motus qui auget impressionem qualitatis plus quàm ad decuplum. Tertio dico, quòd si aer sit secundum naturam regionis, quantumuis pessimus, ubi nec uenti adsint, & Sol matutinus luceat, quòd melius est spaciari in loco ficco, quàm semper manere in cubiculo, tum quia homo iuuatur ab aspectu, tum à qualitate aeris, & etiam quoniam in cubiculo perpetuò agere perinde esset ac in carcere esse, & ideo uideas incommoda miserorum, qui in uinculis degunt uitam, & nisi multa abstinentia se tueantur, intereunt. Vnum scitote, quòd in aere libero quantumcunque malo aer semper est melior, quòd ad substantiam attinet & propriam naturam: deterior autem quòd ad uapores: in locis autem conclusis contrarium accidit. Ex dictis etiam in Problemate apparent, quòd habitare in cacumimibus altissimorum montium est tutissimum, in quauis causa aeris mali, seu pestilentis, seu alterius naturæ: quia substantia aeris non putrescit.

LECTIO XXVIII. SVPER TEXT. XII.

PRimùm enim aquæ non sunt splendidæ: causa uerò est, quòd aer matutinum tempus utplurimùm occupat, qui aquæ immixtus, claritatem eius disperdit. Sol enim prius, quàm eleuetur, non illustrat. Aestate uerò, manè quidem, auræ frigidæ spirant, & ros decidit.

In præsenti textu ostendit duas causas, quare situs hic sit omnium supradictorũ pessimus, quarum primam sumpsit ab aquis, secundam ab aere: quoniam causas omnes huius libri, quæ ad salubritatem aut morbos pertinent, ad hæc duo elementa reducere oportet: quia hæc ambo ingrediuntur nostrum corpus, & sunt etiam causa omnium eorum quæ ingrediuntur, uelut plantarum, piscium, quadrupedum, auium, & talium. Proponit autem in hoc textu, quem frustra diuisit Alemanus hoc modo, sed melius est separare epilogum à tractatione: ut nos fecimus. Proponit autem tria incommoda generalia, signum

prauum, ut sint decolores: affectũ prauũ in habitu, ut sint morbosi: & morbos ipsos generaliter omnes qui accidunt borealibus & australibus. Specialiter autem meminit grauis & raucæ uocis. Sed de hac in sequenti lectione. Primùm igitur ostendit aquas esse prauas: quoniam matutinum tempus solus aer impurus occupat, quum sit regio priuata lumine Solis, ea hora deficit impurus, uel loco ἀὴρ lege ἀτμὸς, id est, uapor: uel deficit ἀκάθαρτος, id est, impurus. Quomodo autem Sol clarum reddat aerem, quum uapores à terra trahat, docendum est. Clarum est ergo quòd Sol exoriens rarefacit aerem: quocirca uapores ipsos dissoluit, si sint aquei, sin crassi, decidunt in terram: sin autem terrei ac tenues, excitatur aura: unde exoriente Sole tum ob id, tum ob motum aeris, tum quia fiunt exhalationes, excitantur uenti. Sed quia, ut habetur à Philosopho libro primo Metheororum, capite undecimo, à Sole excitantur ros, pruina, nubes & nebulæ: ideo uidetur Sol potius obfuscare aerem, quàm reddere eum clarum: ob id respondeo, quòd Sol eleuat uapores à terra, quando illam calefecerit: hoc autem fit horis meridianis, & per radios refractos: & hic est primus quo fiunt ros & pruina & nebulæ. alter est ex humido terræ, & Sole debili. ut in matutino hyemalium dierum, quum terra est humida: nam si fuerit ficca & arida, aut concreta gelu dies redditur serena. Sed dicetis etiam, quòd terra sit humida, quomodo ab imbecilli calore Solis potest eleuari nebula, uel pluuia? & dico quòd istud esset magis mirũ de niue: propterea declarato de illa, perta erit causa pruinæ & nebulæ. Aristoteles autem forsan ob id libro primo Metheororum, capite undecimo, refert in causam aliam calidam superiorem: sed ego legerem potius inferiorem: tum quia illud repetit in Problematibus, quum dixit quòd causa exhalationum est calor Solis, aut à terra: tum quia experimentum id docet: nam in regionibus borealibus terra est bituminosa, & apud nos etiam salsa: & uidemus matutinò in profunda hyeme ascendere uapores uelut densum fumum, aut nubem ex aquis: quia calor abditus & reclusus latitat in terra: tum quia nos sentiremus illum calorem, si desuper diffunderetur, & ita aer non esset frigidissimus. Ergo cum terra fuerit madida in hyeme, Solobtenebrabit aerem primis radijs, si fuerit imbecillis, & fiet nebula: si ualidus, ut in æstate, fiet pluuia, & aer erit interim bonus & clarus: ut etiam post pluuiam ipsam: obtenebrabitur uerò utroque tempore à radijs Solis, refractis in processu diei ad medium, & à medio usque ad uesperam. Et hoc ergo de aere matutino erit in regionibus orientem respicientibus: sed in respicientibus occidentem non erit hoc: igitur tam aer quàm aqua in huiusmodi regionibus erunt turbida & mala. Et hæc magis ad hyemem pertinent, quàm ad æstatem de aquis: propterea subdit,

Aestate uerò manè quidem auræ frigidæ spirant, & ros decidit. Ad generationem roris Aristoteles libro primo Metheororum, capite undecimo, proponit quinque causas necessarias. prima, ut fiat eleuatio uaporis: unde Auerroes dixit in eodem libro, capite primo, quòd tria ascendunt è terra ob Solis calorem, (sed ut dixi nonnunquam & persæpe etiam ob terræ solum calorem) uapor & exhalatio sicut fumus, quam uocant fumosum: & quod exhalatio est calida & ficca, uapor autem duplex calidus & humidus, & frigidus & humidus. Et exhalatio est materia uentorum & earum uisionum ignearum, quæ in aere apparent, uelut cometarum, stellarum cadentium, caprarum saltantium, trabium ignitorum, & talium: uapor autem calidus & humidus est causa roris, si parum ascendat: sin multum pluuiæ. frigidus autem & humidus est materia pruinæ, si parum ascendat, niuis autem si multum. ideo nix & pluuia fiunt eodem modo, & ros & pruina ratione loci: ratione autem materiæ & agentis, ros & pluuia fiunt eodem modo, sicut & nix, & pruina. Secunda causa roris est calor: nam si fuerit frigus, in pruinam uertitur: ergo necesse est ut à calore quodammodo concoquatur, & à frigore condensetur, & decidat: & propterea ab austris decidit ros, non à borea, dicit Philosophus, præterquam in puncto, ubi à borea fit ros, ab austro non fit. quum uerò ros calidior sit aqua, est enim factus ex aqua calefacta, & ex tenuiore parte eius, ut coadunetur, maiore frigore indiget: ros igitur magis quàm pluuia frigore indiget, & frigidior est quàm pluuia: & pruina maiore frigore similiter indiget quàm his, & frigidior est: & cum hoc tamen tenuiorum partium. Tertia causa est serenitas: non enim in tempore nubiloso ros gignitur, nam humidum sursum attractum est ad nubem. Aristoteles autem putat fieri, quia dum nubilus est aer, cogi non possit, quoniam non refrigeretur adeò. Mihi autem uidentur noctes nubilosæ & frigidæ: quare non segregatur ros, quia aer crassior est, non quia

frigidus

frigidus non sit similiter, & pruina non nisi tempore sereno fit, etsi frigidissimus sit aer, quia etiam humidus est. At neque quum flant uenti fit ros, aut pruina: uapor enim à uento dispergitur, & aliò defertur, ob id si plenilunium incidat quum sata florent: id est, dum Sol est in Tauro, & nox sit tranquilla & serena, maximum immi-net periculum, ne in ipsa nocte pruina decidat, & fruges, & fructus, & uites quæ germinare incœperint, omnia absumantur & pereant, sequatúrque magna inopia tritici & fructuum, ac uini. Quinta uerò causa, quæ à Philosopho affertur, est, quòd ros & pruina non attolluntur, & hoc, quia singulo die eleuantur uapores, & singulo die decidunt: inditio est, dicit Philosophus, quoniam in iugis montium neque ros, neque pruina decidit, quamuis ea loca sint frigidissima: quum ergo eleuetur singulo die & decidat, ad locum nubium peruenire non potest. Apparet ergo ibi ros in æstate ex frigiditate auræ, quæ spirat: & ideo regio illa uidetur esse salubris & læta, quum tamen non sit.

Ex hoc habetur generatio mannæ, quia fit ex rore congelato, & eam agnouit Theophrastus, (libro 3. de Histor. plant. capite 9. in princip.) & congelatur super frondes, dicit ibi quercus maximè, & dicitur melleus humor è cœlo cadens, alij uocant mel roridum, alij mel aereum, & non dicitur mel, ut quidam putant à calore, sed à dulcedine, neque tamen est adeò dulcis manna ut mel & saccharum. Eius sunt tres species siracosi nobilissima & dura, terrenia in medio mollis, quam ferunt nasci super spinas, & oritur etiam in Aphrica: sed magis in oriente nascitur, & in Creta, quam uidi apud Cardinalem Paleotum, quæ est melior, & suauior, & purior nostra, & est splendidior: non tamen magis purgat Italica, quæ est tertium genus & munus nobile. Colligitur in Calabria, & defertur per totam Europam, cuius sunt tres species, à loci differentia sumptæ. Alia enim uocatur frondis, quæ est pura, splendida, uiridis, quum reliquæ species sint mistæ ex flauo & albo, & sunt longè deteriores: sed pessima ex his est, quæ colligitur à terra: quæ autem in truncis arborũ, est melior. dulcescit ergo, quia concoctum est humidum, tenue à calore Solis. Solis enim uires sunt attenuare & condensare: redditur autem dulcis, quia concrescit, uel potius quia tale est, ut concrescere possit: unde neque ros dulcis est, neque sanguis, neque pluuia, nix tamẽ subdulcis est, & manna, & lac, & quæcunque dulcia sunt, minus dulcia uidentur dum sunt calida, ut mel & saccharum liquefactum, nix autem non est dulcis, quoniam substantia eius non est concocta: & etiam quia frigus adeò magnum est, ut linguam friat. ergo quod conquitur à Sole & est aqueum & aereum, & concrescit à frigore necesse est ut sit dulce, ut etiam ficus & uuæ. Causa uerò cur manna concrescat, & ros nõ concrescat, est tenuitas substantiæ: nam in Apulia & regionibus uicinis manna generatur, non in frigidiore cœlo: aqua etiam concrescit feruefacta, ut inquit Aristoteles, ergo tenuia facilius concrescunt: manna igitur est ros tenuissimus, uerisimile est igitur mannam esse tenuioris substantiæ quàm sit ros. cur autem purget, continere potest triplici ratione, uel quia dulce: nam & mel, & saccharum, & lac, & fructus præmaturi, dulces uelut ficus, uuæ & pruna, hi enim solùm apud nos multum dulcescunt, purgare solent: uel quoniam subijci nequeant, uelut prima Problematum, (43) aut quoniã salsuginosam quandam habeant qualitatem, ut ros omnis purgare ualeat. (libro de Aliment. Comment. 49.) Sed de hoc aliâs.

Sequitur ut causam reddamus, quare quum æstas sit & regio exposita occidenti, manè potius debeat spirare aura frigida, quàm calida, quum sit ex æquo exposita tam austro, quàm Boreæ. Et respondeo quòd quum uentus spiret iuxta qualitatem aeris plerunque, & aer iam sit refrigeratus per totam noctem ex absentia Solis, necesse est, ut fermè semper matutino spiret aura frigida, quoniam nullum tempus noctis magis distat ab occasu Solis, quàm aurora: & ideo nullum tempus noctis est frigidius, quàm subaurora, & motus auget qualitatem seu sensum qualitatis, & ideo uentus apparet frigidior aere, quãdo aer est frigidus, & etiam quia ille aer comparatur ad aerem meridiei, qui est ualde calidus in æstate: ergo quilibet aer mediocris, seu uentus, uidebitur frigidus in æstate, & in hyeme uidebitur esse calidus, sicut de aquis puteorum.

LECTIO XXIX. SVPER EODEM TEX. ET XIII.

DE cætero uerò Sol ad ipsas occidens quã maximè homines percoquit. Quapropter etiã decolores ac infirmos ipsos esse par est, & ex omnibus prædictis morbis participare. Nulla.n.re ab ipsis separantur.

Declarat

Declarat causam habituum morbosorum & morborum: et est quod corpora hominum iuxta uespertinam horam torrentur, & ideo duas subeunt uicissitudines à frigore ad calorem, & à calore ad frigus in magna differentia, adeò ut si corpora essent adamantina, necesse esset infirmari, & breuis uita esse: propterea amplificate istum textum ad regiones, quibus hoc est propriũ, propter uentos modò calidos, modò frigidos, seu constitutionem cum uentis, uelut Romæ, ubi æstate torrentur media die, uespperi refrigerantur à uentis, unde febres pestilentes & mortes subitaneæ, uel ob situm, uelut in omnibus uallibus fermè tempore æstatis, uel ob regiones præcipuè propter aquas, ut in India occidentali, maximè ubi à mari & fluminibus spirant auræ frigidæ, & peius si crassæ sint, & regio ibi torrida est, & ad eos qui exercentur, inde refrigerantur. & ad eos qui bibunt uina potentia, inde aquas frigidissimas, & ad illos similiter qui bibunt uina refrigerata niue & glacie, & ad eos qui ex pluma dormiunt super herbas ob delitias, aut super terram in castris, & ad repentinas mutationes temporum, ut si uer sit ualde calidum, aut æstas ualde temperata, inde fiat calidissima, uel si autumnus sit frigidissimus. & generaliter natura humana non fert repentinas mutationes, ut secunda Aphorismorum. Hi & quantò magis breues sunt, & quantò frequentiores sunt, & in calido & in frigido magis, & in corporibus imbecillibus, delicatis, cacochymis. Hæc enim persæpe statim pereũt, ut senes, infantes, adolescentes, qui parum dormiunt, qui multis & prauis cibis utuntur. Dicit ergo quòd sint decolores: nam, ut suprà uisum est, color significat temperamentum totius, uelut compositio robur operationum aut corruptionũ: & ideo dicit quòd sint infirmi & praui coloris. infirmi enim redduntur propter malam compositionem magis, quàm ob intemperiem, ueluti ob obstructiones iecoris, tubercula, parua œdœmata, corruptiones substantiæ, nodos in uentriculo, ganglia in meseræo, sicchos in liene, putredines in pulmone, obturationes uenarum & meatuum arenam lapidis in renibus, in pulmone, in iecore gibbositates, contorsiones, durities, mollitiem, præter naturam tabefactiones in diuersis locis, hydrocelas, enterocelas, sarcocelas & sexcenta huiusmodi, uelut etiam uermes, pilos, ulcera interiora, fistulas, exesa, hæmorrhoides nõ secundum naturam, sed aut cæcas, aut nimis amplas, aut corruptas, aut obliquas: ossium præterea corruptionem, & quam Arabes uocant uentositatem spinæ, & caries, & obtulationes aurium & narium, & ædæmata palati & cerebri sphacelum: ista sunt ex quibus proueniunt magni morbi potius quàm ex intemperie, quoniam proueniunt per se, ex intemperie autem quasi per accidens. & propterea dicebat Galenus in libro Artis medicæ (capite 99.) quòd intemperies generant morbos per materiam. nam intemperies si parua sit, non efficit morbum, & si magna, etiam uix lædit operationem, nisi per generationem humorum, & humores faciunt morbum in compositione, adeò ut morbus in intemperie uix dignoscatur, nisi in iecore & uentriculo, & adeò ut sit cum imbecillitate caloris naturalis: propterea morbi ob intemperiem potius sunt digni appellatione causarum quàm morborum, & intemperies quæ in pluribus diebus generat humorem, quia non dedit operationem, ut sentiatur esse dispositio neutra, cùm exuberauerit humor morbus. Et ideo intemperies respectu temporum mutat nomẽ, uel dicas quod est causa morbi.

Dixit ergo quòd sunt subiecti morbis prioribus regionũ australiũ, uelut phagedenis, uentris exturbationibus, asitiæ destillationibus, sterilitati mulierũ, sacro morbo, dysenterijs puerorũ, profluuijs alui, febribus diuturnis, hæmorrhoidibus, & in senibus, paraplexijs, præterea duritiei alui, mæximè in hyeme, rupturis uasorum, fluxionibus sanguinis narium. pleuritides etiam & suppurationes his erunt familiares, propter tot genera morborum, tam acutorum, quàm diuturnorum placuit unum tantùm huic regioni peculiare subiungere ideo dicit:

TEXT. XIII.

VEriſimileq; eſt ipſos graui uoce prædictos, ac raucoſos eſſe, propter aerem, eo quòd impurus plerunque iſthic eſt, & morboſus. Neq; enim ab aquilonaribus ualde expurgatur. Non enim perſeuerant uenti. Qui uerò perſeuerant, ac ipſis incumbunt, aquoſiſsimi exiſtunt. Nam uenti occidentales ſimiles ſunt autumno. Et huiuſmodi ciuitatis ſitus eſt ad diei mutationes, eo quòd multum temporis inter matutinum ac ueſpertinum intercedit. Et de uentis quidẽ, qui commodi ſunt ac incommodi, ita ſe res habet.

Docet

Docet hîc peculiarem dispositionem regionis, & cum hoc etiam reddit rationem huius, scilicet quòd tales habeant graues & raucas uoces, scilicet propter aerem impurum: reddit autem rationem aeris impuri, & quum possint esse tres uenti, à quibus possit expurgari, scilicet meridionalis, occidentalis, & borealis: de meridionali mentionem non facit, quia ille non expurgat aerem, sed corrumpit, ut uisum est de septentrionali. Reddit duas causas: prima, quia dicit, Non perseuerat, id est, quoniam paucas habet uires: non enim exposita ciuitas seu locus ad boream, sed ad occidentem. deinde dicit, Est aquosus, ergo non expurgat aerem, imò potius replet. primum autem, & tertium ex his est per se manifestum, etiam 3. Aphorismorum, cap. 15. & 16. quòd autem occidentalis, borealis sit aquosus patet, quia Thrasias & Argestes, seu corus, tales sunt. Intendit ergo duos uentos, non unum borealem, uerùm & hic dicit, Non perseuerat, alij uerò qui perseuerare, possunt. Sed dicetis, Argestes & eurus ei contrarius sunt sicci, 2. Metheor. cap. 6. dico quòd ibi thrasiam & argestem uult esse grandinosos, igitur humidos, eurum quoq; siccum in initio, humidum in fine, ergo & argestem, qui ei contrarius est, quia ibi dat unam regulam, quod uenti contrarij omnes, non principales, ut sunt contrarij in qualitatibus actiuis, ita sunt similes in passiuis. Præterea possumus demonstrare quòd argestes et thrasias sint uenti aquosi, comparatione Europæorum, eo quòd omnis uentus mollis & lenis, qui uenit ex locis humidis, est aquosus, quia defert nebulas, & non potest eas auferre. Sed tales uenti prodeunt ex locis humidis, et maximè thrasias, & sunt lenes, & non ualidi, tum quia ex obliquo feruntur, non ut boreas & auster. & qui ab oriente, uel ab occidente feruntur, æqui distantes motui diurno Solis & stellarum, & etiam quia mouentur contrario motu ipsius aeris, qui, ut aliàs declaratum est, naturaliter mouetur ab oriente in occidentem, & sunt prope nos, ergo habent quatuor causas ut sint omnium uentorum aquosissimi, præter ceciam qui est aquosus, proprietate quadam, quia mouetur secundum circuitum, ut refert Aristoteles 26. Problem. 32. fiunt & pluuiæ à uentis ualidis, quando sunt humidi & contrarij, quia nubes retinentur, & condensantur: ideo fit tempestas, & tonitrua, & grando, & fulgura. & si uentus calidus desinat in lenem, fit pluuia: & si lenis in ualidum, ex nubilo serenitas. Nec illud omittendum, eorum siccum appellatum ab initio, quòd tunc maximè possit abigere nubes, sed in fine humidus est. remissa enim in nubes retinentur, quum ex septentrione ueniat, humidusq; sit, ita concors est Aristoteles & Plinius.

Tertium uenti genus erat Fauonius, siue Zephyrus, à quo par erat expurgari aerem. Dicit Hippocrates, quòd hoc non facit, quia his uentus assimilatur autũno, uelut orientalis ueri. Si enim orientalis est ueri similis, occidentalis erit similis autumno, & borealis hyemi, & australis æstati. De hoc ergo erit quæstio in 10. Contradicentium, 68. an zephyrus uentus sit salutaris, ut Homerus et Aristoteles, an morbosus: quanquam & de hoc suprà dictum sit.

De uentorum utilitate quatuor enumerat Sene calib. 5. cap. ult. Aeris conseruationem, pluuiarum alternationem, satorum et frugum utilitatem & nauigationem.

Quòd habeant uerò uoces graues, non est ut aliunde quæramus causam, nisi ab ipso infrà, ubi inquit, cap. 8. qui circa Phasim fluuium habitant homines, quum regio palustris sit, calida, aquosa & densa, imbresq; in eam decidant omnibus temporibus magni & impetuosi, ipsi uerò domos habeant ex arundinibus in ipsa aqua & lignis extructas à quibus etiam raro prodeant. & si modò exeant ex illis non itinere terrestri, sed nauiculis per fossas, quibus plurimũ abundãt, uehuntur, bibuntq; aquas calidas, & stagnantes, & à Sole putrefactas, & ab imbribus auctas. Ipseq; Phasis fluuiorum omnium lentissimè fluit. ideoq; & fructus qui ibi proueniunt insalubres sunt, et uoces eorũ, si hominum ullorum grauissimæ sunt. & distinctius uoces graues causam sortiuntur cum musculi asperæ arteriæ & epiglotidis, seu potius laryngе & intercostales moueri non bene possunt. Vnde & res ipsa & causa experimento deprehenditur in his qui diu clamarunt, & magna uoce: nam debilitatis musculis, & diuulsa tunica interiere arteriæ, & dilatata larynga, seu fistula supra modum, ut 4. de Locis, cap. 6. post principium, fit uox grauis: ipse uerò q uertit obscurã appellauit. nõ tamẽ prorsus idẽ sunt uox obscura & grauis, sed grauem exemplo declarauit: de obscura nõ est hic sermo. In libro etiã de Voce & anhelitu Trac. 2. qui licet inter spurios referatur Galeni, tamen est, quamuis ex Arabico conuersus, nam ad illos translatus est ex Græco, proponit duas causas grauitatis uocis dilatationem arteriæ asperæ & fistulæ, & humidam substantiam instrumẽti: quia certè minus resonat: sed hoc tamen, ut dixi, magis

ad obscuritatem pertinet, quàm ad grauitatem. Palàm autem est, quòd humidum descendens pòst in cauitatem arteriæ raucam reddit uocem, propter inæqualitatem. Rauca autem à clangosa differt (appello autem raucam eandem cum aspera) dicebat ergo Galenus secundo in primum Epidemiorum, Comment. 78. quòd uox aspera fit ob asperitatem membrorum uoci deseruientium, & enumerat asperam arteriam, guttur, fauces: clangosæ uerò secundo in primum Proritici, dicens, Comment. 12. quòd est querula, plorabunda. sed quòd debent, &c. deterior tamen plorabunda, & quòd ex clangosa fit à siccitate. intelligit ergo per asperam inæqualem, quæ fit aliquando ob pituitam solam, & aliquando quum partes aliquæ sunt siccæ ualde, aliquæ in pituita plenæ. & ideo duplex est hæc asperitas, ut patet, & significat caput imbecille, distillationem ab illo, et debilitatem membrorum spiritualium, & ideo necesse est ut sint subiecti morbis pessimis.

Et huiusmodi ciuitatis situs.] Difficultas huius textus est ex defectu unius uerbi, aut mutatione: nam quum dicat Hippocrates, ὅτι πολύ τε μέσου γίγνεται τοῦ τε ἐνθινοῦ καὶ πρὸς τὸ ἑσπέριον: quorum uerborum sententia hæc est: Quoniam multum inter matutinum & uespertinũ medij intercedit, adiunxere temporis pro medij: quo sensu nihil absurdius; quasi loca quæ occidentem respiciunt longiorem habeant diem: hoc enim pertinet ad urbes, in quibus polus mundi multum eleuatur supra orizontem. Multò minus ad sensum hic pertinet: quamobrem ad μέσον, quod est medium adijcere, uel intelligere oportet in qualitate, seu uarietatis: id est, quoniam multum differt calor uespertinus à frigore matutino, et est clarus sensus, & fundatus in duobus Aphorismis, 4. & 8. tertiæ particulæ, Quando eadem die modò calor, modò frigus. & in constantibus temporibus.

Et de uentis quidem.] Epilogum proponit eorum quæ dicta sunt in hoc 2. cap. & est quod ipse tractauit, de uentis siquidem per quatuor extremos intelligit medios: atq; hìc dubium nõ est, quin eadem sit ratio, quæ extremorum. uerùm contingit dubitatio, quoniã apud Vitruuium lib. 1. cap. 6. iubet urbes exædificari, ita ut uix nõ sint expositæ principalibus uentis. Quæritur igitur an ea ratio etiam multum faciat. Certè Vitruuius solùm intendit, ut molesta uis uentorum tollatur. iuuabit ergo aliquid quò ad qualitatem prauam, non tamen multum in occulta: appello occultam constitutionem, quæ accidit ex uentis de causis eorũ. uide lib. 8. cap. 2. & 5. eiusdem, & Philandrum explanatorem. Sed & de uentorum causis & generatione, in eodem quinto secreta multa explicat: et censet duas esse, unam naturã aeris, cuius partes moueantur, ut in animalibus et aqua maris: sed hoc de mari non nouerat, de aqua generaliter cognouit, & concoctionum eorũ quæ concluſa sunt in uisceribus terræ, nostro exemplo. Modum tradit de aere, quòd spissetur, ac expandat, cõtrahat, ac diducat. ergo à Solis exortu antequam illucescat radijs superioribus aer diffundi tur, quo dilatato, dissipatur aer qui sursus est, & uentus generatur. Sole ascendente dissipatur: quũ autem de uentis egisse dicat, plus hoc posse quàm Solis aspectum ex radijs decreuit Hippocrates.

LECTIO XXX. SVPER I. TEXT. III. LIBRI.

CAeterùm de aquis deinceps narrare uolo, quę morbosę sint, & quæ saluberrimæ, & quæ mala ab aqua fieri ueriſimile est, itemq; quæ bona. Plurimam enim partem conferunt ad sanitatem.

Hìc proponit rursus quoddã proœmiũ, postquam tractauit de uentis transit ad aquas, ostensurus duo quæ morbosæ sint & saluberrimæ: hoc ad essentiam pertinet: quantũ etiã possint aquæ, & quæ mala ac bona efficere ualeant, hoc ad operationem. dicit tertio, quòd omnia hæc plurimum conferunt ad medicinã, non uidetur dicere quòd sit necessaria. quomodo aũt utilia sint hæc medico patet, quoniam aquæ pluribus modis: primum ut potus: secundum ut condimentũ: tertium ut nutrimentum herbarũ & fructuum, ut infrà uidebitur, cap. 8. quartũ, ut aerem mutat: quintũ, ut medicamentum tam interius, q̃ exterius. quomodo aũt duæ hæ intentiones distingui debeant, dicendum est, bifariam ergo ex ratione cognitionis & operationis. & generalis & specialis. Cognitionis ergo, quia multum differt scire an aqua sit bona, uel mala, & quid conferat boni, & quid mali, uelut cognoscere uinũ bonũ, aut prauũ, aliud longè est, q̃ scire proprietates eius. aliud est etiam cognoscere in genere, quòd bona sit, aut mala: hoc enim generale est omnibus, & quòd bona sit huic morbo, uel illi, aut quòd cõferat huic operationi, uel illi. Diximus enim in superioribus quòd aqua plurimũ nocet, aut iuuat in operationibus et morbis

bis membrorum naturalium: aer aũt ſpiritualium & animalium, & hoc eſt per ſe clarũ, ſed in genere: in ſpecie aũt, uelut ſi dicamus, quòd aquæ malæ efficiunt hydropem, ſplenes duros, dyſenterias, & ſimilia. & propterea uidetur Hippocrates præpoſuiſſe detrimẽta aeris detrimentis aquarũ: uel quoniam aer noceat uentribus ſuperioribus, aqua inferioribus. uel quia detrimenta aeris ſint plura in numero ratione generis, uel quoniã ſint maiora: homo enim poteſt ſtatim mori, percuſſo cerebro, uel corde, nõ ita de iecore, uel quia aer ſit communis, aqua non ita. De aquarum igitur origine atq; natura primũ dicere oportet, tum differentijs earum generalibus, ortu ſituq;, utilitate, ac eiuſmodi, ſeu enim ad uitam illius, ſeu ad magnitudinem, ſeu ad uſum reſpicimus, haud indignũ fuerit facere lectionem de ea, quum multi de longè uilioribus libros conſcripſerint. Primùm ergo dico, quòd aqua eſt elementũ liquidum humidum, temperatum. Quod enim ſit elementum Ariſtoteles dixit, & alij antiqui, & nos fatemur, nõ ut de igne. quòd ſit liquida, ſenſu patet: quòd humidum à liquido differat, patet: nam ſal in aquã reſolutũ, & chalcanthum, acetum & uinum etiam ſunt liquida, nõ tamen poteſtate humida: ſed de aqua quòd humida ſit, patet ex balneo: nam corpus molle reddit, ſitis extinguitur, ſomnus conciliatur. ex potu autem humectatur homo, & ſitis ſedatur.

At quòd non ſit frigida, ſicut dicunt, ſaltem in comparatione ad hominis uſum poteſtate (nã de actu talis eſt, qualis ſit, ut uinum, etiam oleum & ſimilia) oſtenditur ex operatione: neq; enim refrigerat iecur, aut pulmonẽ, aut uentriculum excalefactum, uelut ſuccus portulacæ, aut endiuiæ: quinimò bileſcit & amareſcit: grauat aũt & flatus gignit. et neq; poſſet facere quod Galenus fatetur, ut excalefactos refrigeraret, infrigidatos excalefaceret, nec tranſiret ex minimis portionibus medicamentorũ calidorũ, ut modici piperis aut pytethri ad caliditatem, ſi eſſet frigida. lib. de Marco, cap. 7. in fin. Hoc quanti eſt in opere quũ ſecundum iſtos aqua illa refrigeret. conſtat aũt experimento, quòd manifeſtè calefacit. & omiſſis argumentis coniecturalibus Ariſtotelis, de coniugationibus, quũ elementum ſit manifeſtè frigidum, id eſt, caliditate deſtitutũ ſua natura, adducã ſolùm id quod uidetur ueriſimile, ſcilicet quòd aqua calefacta breui ſemetipſam ad propriã frigiditatẽ reducit. igitur nõ niſi ob naturalem frigiditatẽ. Sed quum hoc accidat in uino, pudet me eorũ. reducũt enim ſe ad actũ naturalem, quũ omnia elementaria ſint actu frigida, & à ſubſtantia & continẽte reducantur ad propriam qualitatẽ. Dico aũt aquam eſſe frigidam, ſolùm comparatione ad hominẽ leuiter, etiã non ſimpliciter, quia eſt facta ad nutrimentũ, & tale debet eſſe temperatũ, & ſimile ei quod nutritur, frigida aũt actu quũ ſit elementum, aer aũt poteſtate non indiguit, actu autẽ frigidius: tamen quia tenuius, tũ ut calorẽ animalium refrigeraret.

Primæ aquarũ differentiæ ſunt tres, imbrifera, quæ ex aere: marina, quæ ſalſa eſt, et è terra orta, cuius duæ ſunt ſpecies, naturalis, quam uocamus dulcem, & metallica ut aluminoſa, ferrea, ſulphurea. Imbriferæ ſunt quinq; ſpecies, pluuialis, grandinoſa, niuoſa, pruina & ros. At uerò marium ſolùm unũ, quod Caſpium uocatur, nõ communicat reliquis: ſunt aũt quinq;, Sur, ſiue oceanus borealis: Nort, ſiue oceanus auſtralis: iſta tamẽ duo maria committuntur inter ſe, anguſtis freti Margalani iuxta antarcticũ circulum, iuncta uerò æquinoctialem magis minimo iſthmo diuiduntur, adeò ut naues traducant Hiſpani ex uno in aliud mare. Quartum eſt rubrũ iuxta ſinũ Perſicum & Arabicum. Quintum Mediterraneum, in quo Sicilia, Sardinia, Rhodus, Creta, Cyprus. Sextum eſt Pontus Euxinus, pars tamẽ huius maris, ſed ſita ultra paludem Mæoticã, ita Caſpium ſeorſum eſt, oceani tres & duo Mediterranei, ſeu partes illius. Meritò igitur quæritur cũ aqua marina & ſalſa longè maior ſit q̃ dulcis: quare nõ potius aqua marina uera aqua cenſenda ſit q̃ dulcis, ſeu fluminũ, & lacuum: nempe & hoc membrũ aqua quod à terra oritur, diuiditur in fluuios, & lacus, & ſtagna, & paludes, & fontes, et puteos, et ciſternas, & riuos, & aquã collecticiam. Sub puteali plus cõtinetur aquarũ, q̃ omnibus alijs membris, quoniam tota aqua, quæ ſub terra eſt. dicemus ergo aquã maris non magis eſſe aquam q̃ terram, ſed mixtũ quoddam, ſicut etiã terra mixtũ eſt quoddam ex terra & aqua, in hoc ſuperãte terræ ſubſtantia in mari aquæ: quum ergo aqua etiam pura ſit, ſcilicet quæ fluit: nam pura conſeruari non poterat niſi flueret, idcirco uerisimile eſt & terram puram eſſe, quam ex coniectura exiſtimamus eſſe circa centrũ durã, ponderoſam, & ut dicebat Galenus, ſimilem adamanti. De ſitu autem aquæ, quomodo permixta ſit terræ opportunũ eſt. Si enim aqua terræ permixta eſt, cur nõ deſcẽdit, cur non putreſcit. & ſi fluit ſub terra, cur nõ trudunantur meatus illi, experimentum docet, quòd ipſa aqua ſub terra fluit, ubi cauitatẽ habeat, ſicut uidemus in puteis: & propterea ueriſimile eſt quòd

aquæ perpetuò destillet sub terra, et ubi cauitates inuenerit, sensim erodat, et humus dehiscat. quod uerò est in mari, eleuetur à Sole & à uentis dispergatur, et descēdat cū pluuia, et erit quinta utilitas uentorū, nō quòd aqua maris, ut quidā dicunt, per cauernas transeat sub terrā, cū mare sit in humiliori loco, et ut pars ad partē, ita totū ad totū. partes ergo maris sunt humiliores partibus terræ, indicio est quod uidi in Scotia iuxta Endiburgū. Nā erat ibi fons prope mare, per unū miliare dulciſſimæ aquæ, & poterat deriuari à mari, ut dicūt, qa primum ascendisset, si per latas uenas etiā delata fuisset, nō poterat esse dulcis: palā est ergo, quòd ueniebat è montibus, et ita ascendebat. ergo aqua maris non diffunditur sub terra nisi paucis in locis. nisi quis dicat quòd descēdat uersus centrū in ambitu maris, & tunc nō poterit ascēdere usq; ad terræ superficiē. aqua præterea quæ est mixta terræ, est dulcis, & ideo terra nō efficit eam salsam. Aristoteles autē censet in Metheoris, mare esse in maximè cauo loco, terrā esse altiorē iuxta polos, atq; ita paulò pòst docet quomodo conseruetur mare perpetuò in salsedine et magnitudine. in salsedine quidē, quoniā eleuatur dulcis aqua ad nubes. Salsi enim minima pars propter grauitatē ascendere potest: ergo quod relinquitur, perpetuò fit salsius: sed flumina influentia perpetuò faciunt dilutius, ergo mare remanet in suo statu, simili ratione quantū decrescit mare per id quod absumitur in pluuias, tantū crescit per id quod accedit ei ex fluminibus. ergo necesse est ut aquario descendat per terrā, quoniā si dilueretur per aquas dulces, & quod salsum est detraheretur, dulcescceret semper, igitur in æterno tempore iam mare factū esset dulce. Supersunt pro generali cognitione aquarū duo, uires & natura, et de uiribus tractat Hippocr. hìc: natura aūt dignoscitur octo modis, ab ortu, & sic etiā de hoc tractat Hippocr. in isto libro: reliquos aūt modos cognoscēdi aquas Hippocrates nō attingit hoc in loco, uerū in Aphoris. & Galen. plenius in libro de Phtisena. ergo operæprecium erit, ut hìc de illarum natura et modis cognoscēdi generaliter loquamur. Dignoscuntur ergo aquæ ex quinq; sensibus, experimēto & ratione. ergo primū de experimēto, quæ pota aggrauat, & nō descendit, nec facilè sudorē excitat, mala est, cōtrà bona. Secundum experimentū, illa in qua coquuntur legumina, & reliqua facilè, bona est, in qua difficulter mala: tertiū in qua descendunt grauia plus, ut ligna, illa bona est, in qua supernatāt mala: quarta, quæ citò calefit, & citò refrigeratur, bona est, quæ tardè, mala: quinta, quæ tardè putrescit, bona, quæ uix unq̄, ubi aer est bonus, ubi nulla animalia exanguia, ubi uiscera animalium quadrupedium alba, uel rubra, i. pinguedo alba & rubra caro, & sine lapillis, uel arena, ubi pisces squamosi, candidi, uiuidi, ubi ripæ multo gramine & ualde uiridi cū splendore, et flores odorati, & plantæ salubres, et boni odoris, nullæ noxiæ prouenīūt ubi homines bene colorati et incolumes, bona: ubi uerò locus expositus ad orientem, uel septentrionē, et aer est malus, uel homines uitiosi coloris et morbosi, et animalia plura exanguia, præcipuè pulices, & ranæ, & uermes, et animalia quadrupedia uiscera habēt malè colorata, uel uitiosa in cōpositione, ibi aquæ sunt malæ, ex sensibus aūt à uisu, quòd aqua sit clara, splendida omnino, pura, nullū præferens colorē, in qua non sint uermes, à gustu quòd sit suauis, frigida moderatè, nullū præferens prorsus aliū saporē, quòd sit mollis, quòd palatū corruget et astringat: ab odore, quòd sit expers omnis odoris: ab auditu, quòd effusa multum strepat: à tactu, quòd sit leuis.

LECTIO XXXI. SVPER TEXT. XX.

QVæcunq; igitur paluſtres ſunt & ſtabiles, ac lacuſtres, eas neceſſe eſt æſtate eſſe calidas, ac craſſas, & olentes. Cū enim nō defluant, ſed aqua pluuia ſemper noua inferat̄, & Sol urat, neceſſe eſt ipſas decolores eſſe, & prauas ac bilioſas: hyeme uerò glatiatas & frigidas, ac turbatas præniue ac glacie, ut pituitoſiſsimæ ac raucoſiſsimæ exiſtant.

Incipit ergo tractare de ortu aquarū, ut dixi, et est octauū genus dignotionis, et totū sumitur ab immobilitate earū, ex qua fit, ut nō repurgentur, nec refrigerentur, quæ duo sunt capita conseruandarū aquarū: refrigeratio enim cōseruat substantiam earū, et motus repurgat, ergo si sunt sine refrigeratione & motu, necesse est ut perturbentur & corrumpātur, & à pluuia, & etiā à Sole, & à nimio frigore constringātur in hyeme, quibus tribus incōmodis palā est nihil posse esse deterius. Sed dubium uidetur quomodo ex motu debeāt repurgari, quoniā motus impedit ne descendāt partes crassæ ad imum: quinimò uidemus per experimentū, quòd qui uolunt clarificare aquas, sinunt eas quiescere diu. & sunt tres modi quies, destillatio & percolatio, ob id uidetis quantis tenebris

mundus

mundus usq; ad hãc diem redundauerit: & tamen uidemus experimentũ in oppositum ex aduerso, quoniam aquæ stantes sunt turbidæ manifestè, & quæ fluunt sunt claræ. & quãto uelocius fluũt. unde aqua Padi est turbida, quia leniter fluit: aqua Ticini est clarior, sed aqua Abduæ quia uelocius fluit, q̃ aqua Ticini, est adhuc clarior. et ideo hæc difficultas est pulcherrima, tũ ob contemplationẽ, tum ob usum, scilicet quia quærimus quænam sit salubrior. Dico ergo quòd aquæ, quæ fluunt uelociter, sunt per se turbidiores, sed per accidens, i. casu, ut ita dicã, clariores: nam in eo quòd aqua fluit certè remanet turbida, quia partes terrestres limosæ, cœnosæ, crudæ, pingues, et fila illa alba nõ possunt descendere, sicut etiã aere flante flocci remanent in aere. et similiter homines nõ ita mergũtur in aquis currentibus, sicut in quietis. Sed quia in longo cursu aquarum fundus totus repurgatur à partib. tenuibus, limosis, cœnosis, turbidis, crudis, relinquitur fundus, seu alueus fluminis solùm refertus arena crassa & nitida & calculis atq; lapillis. Et ideo aqua illa tota splendet et clarissima est, sicut experimentũ docet. Quies ergo, ut quies est causa claritatis in aqua, qa quod limosum est residet, et sic repurgamus aquã permittendo eam quiescere. Sed tamen aqua quæ fluit uelocissimo cursu, solũ illa est pura & munda. Oportet tamẽ circa hoc duo animaduertere, primũ quòd aqua, ut latior est & magis profunda, minus clara est, unde riuuli sunt clarissimi, quia stricti & parum profundi. de aqua aũt pura & impura, limosa & cœnosa locutus est Plin. lib. 31. cap. 3. ut nõ repetã amplius locũ, maximè cũ non dignus sit, ut in hoc argumẽto plurimũ ei tribuamus, cuius nõ fuit institutũ docere causas & diligentius prosequi medicinam. Sed tamen cuncta complecti & historiã scribere rerũ naturaliũ, tũ etiã humanarũ, ut secũ causas naturales afferũt. ergo aquæ istæ stãtes, ut optimæ sunt in dolijs, quoniã repurgãtur, ita pessimæ in terra, atq; ideo meliores facerè oportet. Sunt aũt, ut dixi, partim crassæ, partim turbulentæ, & partim corruptæ, omnia hæc tria uitia destillatione emendantur, & ideo dixit Doc. 2. cap. 16. Princeps secunda primi, ubi tractatur hæc materia, uelut etiam tertia primi Doc. 2. cap. 7. & 8. inquit enim in priore autoritate. Aqua enim cocta, sicut testificati fuerũt sapiẽtes, minoris est inflationis, & uelocioris descẽsionis. Et torpidi quidem medicorũ existimãt, quòd aquæ coctæ subtile resoluatur, & ipsius remaneat spissum: unde in coquendo ipsam nõ existit iuuamentũ, quoniã spissitudinem in aqua augmentat. Et loquitur hìc de aqua cocta non destilata. coctio enim nõ repurgat eam, sed rarã reddit, et ex corrupta meliorẽ, adeò ut destilatio in duobus melior sit coctione, quia repurgat eã, & magis immutat substantiã eius putridam; coctio aũt rursus superat percolationẽ in duobus. & quòd substantiã eius immutat ex prauitate in bonitatem, & ex crassitie in tenuitatem. quòd ad repurgationẽ attinet, nõ adeò repurgat, ut percolatio, nisi auxilio quietis. Quies aũt est inferior omnibus in purgãdo et corrigẽdo aquã, aliquid tamẽ prodest: debet aũt destillari uitro, & coqui in uasis terreis, uitro oblitis, & etiã subsidere in illis. Percolatio aũt, ut experimentũ docet, quãtò tardior, tantò melior: fit aũt linteis & spongijs, & arena: sed quæ arena fit, melior est, adeoq; ualida & potẽs, ut si sæpius fiat, & per arenã tenuem densatã, sed prius bene lotã, ut sit immunis à puluere, inde siccatam in aliquot uicibus reddat aquã salsam dulcẽ. De detrimẽtis igitur huiusmodi aquarũ locutus est specialiter Galen. 1. de Tuenda sanit. cap. 11. Quũ ergo tales aquæ sint paruæ trifariã, substantia corrupta, crassitie & putredine. Crassities aũt substantiæ abundat in hyeme, ut ipse declarat: minus ergo detrimentũ est taliũ aquarũ in hyeme longè q̃ in æstate: tũ qa minus malum est ut aqua sit crassa q̃ corrupta, uel terra referta cœno. Est n. triplex mixtio, quæ enim arena referta est, obstruit et generat arenã, sed nõ facilè lapides, quia nõ potest coalescere in lapidẽ: uerũ eijcitur sub forma arenæ. quæ uerò est cœnosa, cogitur, quia lenta est, in lapides: & præterea gignit obstructiones, deteriores & febres, et hydropem, pessima limosa, i. cœno corrupto mista, tum qa coctione nõ facilè emẽdatur in usu præparationis ciborũ, quod nõ accidit in alijs. Quũ ergo sint tres species simplices, densa est minus mala, seu crassa, deinde limosa: deinde peior est corrupta in substantia, quia generat febres pestilentes, & potest interficere breui. His omnib. deterior est crassa & turbida, inde crassa et corrupta: pòst corrupta & turbida. Vltima est omniũ pessima, est quæ est simul crassa, turbida & corrupta, ut sint septẽ species malæ aquæ, imò pessimæ: quanq̃ in hoc ordine etiã sit excessus et differentia maxima. Ostendit autẽ quòd tales sint ab odore, quia malè olent, et à calore, & à substantia, Adducit aũt tria præcipua detrimenta hìc in isto textu, calidarũ quidem, quòd biliosissimæ sint, frigidarum uerò, quòd sint pituitosissimæ et raucosissimæ. Ergo de biliosissimis dicebat Hippoc. 3. de Victu in acut. tex. 40.

quòd aqua amarescit in febribus, & in biliosis transit in bilem: hîc aũt non supponitur quòd sint biliosi natura, sed solũ quòd per corruptionẽ fiat biliosa: quod enim accidit in febrientibus à calore interiore, scilicet ut corrumpatur, & corrupta transeat in bilem, id accidit hîc à calore externo. Circa quod notandũ est, quietẽ facere in passo ad augendã actionẽ, sed in agente quò ad qualitatem & per se: uerùm ex consequentia quadã: & ut dicunt barbari, per accidens natus est, causa augendi actionẽ, dũ comminuit substantiã in minima: et hoc bifariã, uelut in agente, ut magis penetret, & ita magis immutet, uelut patientis substantia dissoluatur in minima: & ita magis recipiat mutationem et qualitatẽ ab ipso agẽte. Dico ergo quòd aqua transit in bilem facilẽ, plus q̃ uinum, licet sit calidius, quoniã primũ uino est diuersarũ partium: ideo ab igne & calore separãtur. aqua autẽ est similiũ, et ideo putrescit. Igneus enim calor dissoluit heterogenea, & congregat homogenea. Vinum ergo, dissolutis partibus per calorẽ transit in acetũ, aqua aũt putrescit. Alia causa est, quòd calor externus efficit putredinẽ, naturalis prohibet: aqua ergo cũ sit expers omnis caloris perfectè putrescit, in uino accidit actio mista ex utroq; calore, ideo uinũ acescit, aqua perturbatur, aqua autẽ putrescit: putrida autẽ amara fiunt. Dicunt autem biliosum bifariã, et quod uidetur tale ob saporem, & quòd uerè biliosum est, i. calidum, siccũ, corruptum, in quo sensu hic est intelligẽdũ, ut in 1. lib. de Vict. in acut. Sed cũ dicit, quòd hyeme tales aquæ sunt pituitosißimæ, palã est cũ immorẽtur in præcordijs, quoniã sunt graues admodũ, iecori inimicæ: iecur enim amat uinũ, & odit aquas, nisi sit supercalefactum: in quo casu etiã peius est, quòd crudæ sint, uel quòd sint optimæ, aut dulces, ueluti lacti saccharo, aut melli permistæ. & eædem peßimæ sunt. Ventriculus aũt nõ eijcit illas, cùm sint ei familiares. neq; enim reijcit quicq̃, nisi concoctũ prius, aut odiosum: et odiosum eijcit per uomitũ: ideo tales nõ solet eijcere. cũ uerò fuerint pituitosißimæ, fiunt & homines raucosißimi, non solùm ob descensum crudi humoris ad arteriã asperã, sed ob impedimentũ quod illi accidit ex simplici consensu gulæ cũ aspera arteria & uentriculi cũ pectore: licet Medici credãt solùm ob primã causam id contingere, cũ contingat maiore ex parte, et maximè suppositio, ut hîc facit Hippocrates, hyemali tempore ex refrigeratione membrorũ spiritualiũ, & illi attinentiũ. Circa uerò aquas stantes quatuor præcipuè sunt earũ genera, lacus, stagnũ, palus, et collectitia quæ ex imbribus colligitur in cauis locis, quã nemo sani sensus etiam in ardentißima siti bibat, cũ nõ solùm mala sit, sed peßima & horrida, aliarũ lacustris minus mala est, quæ motum aliquẽ habeat, & à piscibus expurgetur: peßima palustris, quæ motu caret, neq; temporis siccescit aliquando spacio: neque enim partes habet intercapedine distinctas, in quibus plantæ & terra eminent. his duobus à lacu palus distinguitur. Medium horũ est stagnũ, quod oritur à terra, & in hoc à palude differt, in quã aliunde influunt aquæ, & à lacu magnitudine, ut ita dicã, tantũ: est enim stagnũ exigua res, sed & in stagnum nõ influunt, nec effluunt aquæ, uelut è lacubus solent. quanq̃ sint aliqui lacus, quibus nihil influit, neq; effluit. Sunt tamẽ perpetua hæc omnia, licet, ut dixi, palus persæpe maxima ex parte siccetur. et ob id omnium peßima est. collectitia autẽ nõ est adeò mala, quia pauca est, nec est perpetua, sed in longis siccitatibus euanescit. Grammatici tamen istã confundunt nomina, sed sic propriè distinguuntur, & hîc capi debent.

LECTIO XXXII. SVPER TEXT. III.

Bibentibus autẽ splenes semper sunt magni ac pleni, & uentres duri, tenues ac calidi: humeri uerò & clauiculæ, & facies attenuata: in splenẽ enim carnes colliquant, quapropter graciles existũt. Edaces aũt esse tales, & siticulosos par est, uentresq; tum supernos, tũ infernos calidissimos habere, ut etiã fortioribus medicamentis opus habeãt. Atq; hic morbus ipsis & æstate & hyeme familiaris est. Ad hæc etiam hydropes plutimi, ac lethalissimi fiunt.

Incipit docere specialiter morbos, cosq; distinguit trifariã, ut in superioribus in Endemios, seu proprios ciuitati: cõmunes tamen utriq; tempori, scilicet æstiuo et hyemi, et proprios æstati, et proprios hyemi: & quãdo iungit æstatẽ hyemi, seu cõmemorat cõmunes, patet quòd intelligit etiã de uere & autũno: sed quãdo separat æstatẽ ab hyeme, pars morborũ æstiuorum magis attinet ad autumnum, q̃ ad uer, aliæ ad uer magis, q̃ autumnũ. et similiter hyemales. Ad distinguendũ aũt eos maximè oportet considerare materiã & prauitatẽ, & prauitas extenditur, ut sint lethales ac diurni: qui ergo sunt lethales magis ex æstiuis et lõgi ex hyemalibus magis pertinẽt ad autumnum: qui aũt mi-

tes

tes & breues ex utriſq;,ad uer: humida etiã materia & ſicca maius & certius diſcrimẽ afferũt calida & frigida.morbi ergo ſanguinei ad uer magis pertinebũt, et etiã pituitoſi,q̃ ad autumnũ,melancholici & bilioſi ad æſtatẽ magis q̃ uer:licet in actionis ſint diſſimiles: nõ tantũ qa calor et frigus facilius inuicẽ commutẽtur q̃ humidũ et ſiccũ: uerũ quoniã calor fouetur ab utraq; cauſa ut calore ob ſimilitudinẽ,& à frigore ob antipariſtaſim & ſimiliter frigus.Enumerat ergo inter morbos primi generis ſex: nec ignoro in plures et pauciores poſſe deduci.Primũ igitur proponit ſplenis ſeu lienis magnitudinẽ ac denſitatẽ,ſcilicet quòd pleni ſint. Lien,ut habetur lib. 4.de Vſu part.cap.15.trahit quicquid feculẽti eſt,excernẽte ad ipſum iecore,et nil mirũ eſt cũ imbecillis fuerit,quòd nõ trahat,licet tamẽ iecur tranſmittat:q; igitur anteq̃ debilitetur in cauſa eſt ut plus trahat, q̃ conueniat,& ubi traxerit,ut nõ reijciat et expurget: hæc duo enim neceſſaria ſunt,ſi debet intumeſcere ac impleri,ſcilicet ut trahat plus q̃ debet,et attractũ nõ emittat. Vtinã Galen.hæc ipſa nobis declaraſſet: ſed facilè eſt ſecundã diluere dubitationẽ, modò primã admittamus. cũ enim plurimũ fuerit, quod attraxerit,in debito tempore cõcoquere nõ poteſt, quare repletũ diutius manet. neq; enim ſecernit anteq̃ ſe parauerit, nec ſeparare poteſt, donec aſſimilauerit,nec aſſimilare,donec cõcoxerit: ergo cũ anteq̃ ſecernatur alia portio, ſuperueniat neceſſe eſt impleri & tumeſcere,ac maiorẽ fieri.Cur uerò attrahat, plus q̃ neceſſe ſit, nõ id ab imitio in cauſa eſt, quod ſolum iecur tranſmittat, cũ Hippoc.doceat, hos motus fieri ab utroq; mẽbro,uno impellente, altero attrahente. Et rurſus Galen. idẽ fatetur de uentriculo erga iecur, tũ etiã de iecore erga cor: uidetur tamẽ ubiq; ſubterfugiſſe Galenus hoc, ut fateretur membrũ membro tranſmittere aliquid, ſed ſolũ expellere ſuperflua,aut per loca exitus,ut uentriculũ ad inteſtina: aut per uillos nõ propriui expultrice: ut iecur ipſum nõ ad renes quicquã aut ad lienem tranſmittat. Dignus ſanè qui à tota poſteritate odio habeatur, cùm,ut ne Eraſiſtrato ſubſcriberet,expultricẽ facultatẽ principiũ tranſmittendi urinã ad renes aſſerenti,tã pulchrum & neceſſariũ dogma prodiderit,ſcilicet mẽbra membris mittere,et ſi nõ ad exitum properet,quod ſecernitur ſimul,& ab illis trahi, ut ex illis duobus motibus,ut de fabris ſecãtibus ligna ſerra, una operatio perficeretur. Quærendũ eſt igitur quomodo trahat membrũ cùm adhuc ualet plus q̃ illi conueniat.neq; ſubterfugiendũ,ut dicamus ſolùm id accidere, quod iecur plus iuſto illuc tranſmittat: nam ſi lien recipere nõ uellet,imò nõ traheret ad alia loca iecur, quod ſuperfluum eſſet, impelleret,ſcilicet inteſtina,cutim:nã hæc,etſi nõ adiuuarent attractionẽ, ſaltẽ illã nõ impedirẽt: at lieni ſi ſuccus ille odioſus eſſet,lien repelleret. ob id ergo trahit, ut emptor malas merces: è quib. plus emit q̃ debita quantitas ob impuritatẽ et uitia nõ ei ſatisfaciat. ergo ita eſt de liene,cùm ſanguis limoſus plurimus eſt,nõ ob id lien ipſum trahit quod ei nõ expedit, ſed quoniã debita quantitas ei non ſufficit,neq; ſolita plus trahit : uultq; potius ſupereſſe quod reijciat,q̃ deficere propriũ alimentũ. Cũ uerò iam imbecille factũ fuerit,tũ multipliciter uitiatur,et intumeſcit: attrahit.n.plus ob cõcoquendi imbecillitatẽ,et ob alimentũ uitioſum, quod quantum opus eſt nõ ſubminiſtrat, & diutius retinet, & nõ expellit tempeſtiuè, ſed à noua fece impletur. cumq; fex adhuc deterior ſit,aut nimia,expellitur per aluũ,nec lien tamẽ exoneratur,prauum ſignum eſt : ſcilicet maximæ corruptionis iecoris id generantis,& lienis recipere nõ potentis:& ideo res iam eſt in præcipiti:fit autem hoc ſenſim, confertim autem cum lien ſe expurgat.

Et uentres duri,tenues & calidi.] Dici ſolet lienẽ eſſe Fiſci inſtar,qui cũ diteſcit,exhaurit ciuitatẽ:ita lien cùm intumeſcit,cũ ſanguis corruptus ſit,cõtabeſcit corpus, ut in lib.de Locis in hom.Ex iiſdẽ ſplen efflореſcit,& corpus contabeſcit,non q; ob lienẽ hoc accidat,quanq̃ & id ad hoc adiuuet,ſed cũ lien intumeſcat ob id quòd ſanguis corrũpitur, primũ uenter gracileſcit omẽto, dicit, extenuato, & in eo pinguedine colliquata. ſanguis enim putrida ex aqua genitus, in adipem concreſcere nõ poteſt: fit enim adeps ex ſanguine frigido humido,puro & dulci,præcipuè bonus et candidus adeps,ut in iumentorũ extis. Cũ uerò adeps euanuerit,& ſanguis cõcalefactus fuerit,concaleſcit uenter, & à calore putreſcẽtium humorũ in liene quod ibi eſt per uenas exprimitur,partim nõ receptus humor limoſus à iecore tranſmiſſus nõ recipitur ab eodẽ liene,ſed diſperſus per uenas mæſaræi,quæ à caua iecoris ueniũt,durũ efficiunt uentrẽ. Cũ ergo multis modis cõtingat imaginari hæc tria cõtingere, uelut ut calor ſit cauſa gracilitatis et duritiei,uel durities gracilitatis et caloris, aut gracilitas et calor duritiei,uel ſeptimo modo, ut omnia hæc ex intẽperie et prauitate aquarum pendeãt,ſed ſolũ: uel quòd omnia hæc ex prauitate aquarũ fiãt,tamẽ à liene & mutuò ſe adiuuent. hic modus ultimus omniũ uerißimus eſt. nam etſi

à splene omnia deducas ut sit nona hæc expositio, assentiatq; id quod dicitur 6. Epidem. par. 2. tex. 40. quibus lien est decliuis, pedes & genua calida sunt: sed nō de uentre primū loquitur. Deinde cōstat putredinē sanguinis esse causam caloris, & etiā extenuationis, & calor duritiei alui, resoluto humido. Liquet igitur, cū huiusmodi habeāt plures sensus ac multiplices, omnes ueros esse, ideoq; etiā defendi posse, tumq; præferendū illū, qui cum litera cōuenit, atq; ex ea pēdet: scilicet ut ob aquarū corruptionē atq; craßitiē id eueniat. nā si ad solā craßitiē referretur, esset morbus hic hyemalis.

Humeri uerō & clauiculæ, & facies attenuata: in splene enim carnes colliquantur. Ostendit aliud ex eisdem: scilicet quòd liene aucto hæc membra extenuantur. Galen. in lib. de Marcore, cap. 5. dicit, quòd in maxima & diuturna fame membra omnia interiora extenuātur, præter cor & iecur. Quòd aūt citius absumatur, nō dixit: uerùm uidetur innuere quòd cor sit ultimū: quoniā quicquid est boni, prius ad se trahit, q̄ animal pereat. & hoc etiā uerisimile uidetur, cùm sit ultimū quod pereat, teste Philosopho. Videmus enim sanguinē totū ad cor contrahi, & in iugulatis animalibus iecur sanguine uacuum inuenitur: cor etiā, ut in suibus, quanq̄ uulneratum, nō est prorsus sanguine uacuū. Attamē, ut dixi, in fame nō plus iecur extenuatū inuenitur ipso corde. Sed iecur quidē persæpe corruptū inuenire licet, cor nunq̄. Quòd ergo Galenus aliena recitet, haud dubiū est: et ob id progressus est eousq;, quousque & illi à quibus accepit progressi sunt: nos aūt dicimus cor minus extenuari quouis alio membro, & hoc quoniā eū motu magno & calore multo præditū sit, cū ad mediocrē peruenerit extenuationem interit, iecur aūt uiuere potest: nō ergo iecur magis extenuatur, quia imbecillius: sed quoniā longiorē extenuationē, ac maiorē sustinet. cor enim etsi iecore in attrahēdo ualidius sit, nō tamen cor procul ualidius trahit à iecore q̄ iecur quod habet retinet. Et ob id in his qui à uenarum lethali sectione restituuntur, ut Paulina Senecæ uxor, in posterū pallor in uultu, et imbecillitas in iecore perpetuò conspicua sunt: adeò ut si non recta uictus ratione utantur in ascitē facilè transeant. Primū ergo robore membrū est cor, secundū iecur: hæc enim calida sunt, & sanguinem concoquunt etiā alijs: tertiū est uentriculus, quoniā & ipse concoquit alijs, & cibo primo utitur. Quartum est cerebrū, ob nobilitatē ac respirationis necessitatem, sine qua homo uiuere nō potest, tū sensus, & rationē, & motū, & multitudinē uenarū, & arteriarum, ac earū magnitudinē: pòst pulmo tū ob necessitatē, tam cordis à quo duo uasa recipit propinquitatē. Sexto loco sunt lien, renes & intestina, sed intestina serius ab inedia, lien à sanguinis profluuio eximaniuntur renes celerius utriusq; & utroq; modo. Septimo loco sunt uesica urinæ & membranæ pectoris & cerebri, & uesica fellis. Octauo, musculi, q̄ ad illos ueniāt uenæ grādiores. Nono, caro propinqua oßibus, tenuis, qualis dicta est humerorū et clauicularū: ideo hæ primū partes attenuātur, quòd id quo nutriri debebant ad lienē mittatur, & ab eo trahatur et colliquescat: ita ergo ordine cōuerso singulæ partes magis extenuabūtur, hæ musculosis musculi membranis interioribus, membranæ renibus, renes lieni, si nō patiatur aliquid & intestinis, hæc pulmonibus, atq; ita deinceps. Sed de facie aliam peculiarem oportet mire rationē, cū octauo loco, nō nono collocanda esset. Facies enim macilescit celerius, quoniam sanguine tenui nutritur: hic autem celeriter resoluitur: unde splenetici omnes etiam mali coloris sunt.

Edaces hos autem esse & siticulosos. Dictum est superius text. 8. lib. 2. q. qui multū edunt, nō possunt esse bibaces, aut ergo intelligit, q. hyeme sint edaces, æstate bibaces, aut solum habeāt affectū, nō effectum. Constat sanè pleroſq; lienosos esse edaces: fuit enim mihi parasitus lienosus admodū edax. quod cōtingit refrigerato uentriculo. Si enim liē repletus sit naturali melancholia, esuriunt multū: si horrida et putrida prorsus abhorrēt cibos fœtidos atq; corruptos. quod uerū est, etiā de quartana laborantibus atq; insanis. adeò ut in his fermè nunq̄ seruetur mediocritas. Sunt etiā siticulosi eadem ratione qua hydropici: nō ergo absurdū est laborare illos utroq; appetitu, sed corrupto. Hippocrates aūt uult, nō licere ut sint edaces & bibaces secundū naturā. Sicut enim homo simul calidus & frigidus esse non potest secundum naturā, præter naturam aūt rigent homines, et uruntur, ut in epialis, lipyrijs, ustione pòst gelu, ita & de fame naturali & siti, ac præternaturali dicendum erit: ut sit tertia expositio, cui nihil repugnat, quòd sitis æstate, fames hyeme augeatur.

LECTIO XXXIII. SVPER EODEM TEXT. III.

Ventresq; tam supernos quàm infernos calidissimos habere. Docet quòd

quòd tales habent uentres supernos, id est, caput et pectus q̃ infernos, qui sunt infra septum transuersum, uentriculũ scilicet, & intestina calidos et duros, adeò ut medicamẽtis ualidiorib. indigeãt: siquidem errhinis, apophtegmatismis, catapotijs pro cerebro, eclegmatibus et potionibus pro pectore expurgãdo, cæterisq; pharmacis tã purgantibus q̃ lenientibus usq; ad enemata & glandes.

Hoc primũ uidetur contrarium his quæ dicta sunt superius: quoniã lienosi habẽt partes inferiores calidas, superiores frigidas: sed hoc, ut dictum est, declarat, nõ auget dubitationem, scilicet quòd eiusmodi hominum sanguis ex putredine incalescit, ideoq; uentres fiũt calidiores. ergo febricitãt, non est ut credas hoc: est enim modus putredinis absq; febre, cũ humor crassus et lentus incipit corrũpi, ut in huiusmodi lienosis accidit. Sunt & qui per atrophiã toto corpore incalescãt: hi aũt atrophia laborãt, uel etiã uera hectica: cùm ergo sint tria genera hominũ lienosorũ, uerũ erit de omnibus quòd erunt calidi iuxta omnes uentres. At dices, Si calidi nõ habebunt aluos duros, hoc enim propriũ est refrigeratorũ, ut superius uisum est. Etenim dicit tex. 7. lib. 2. quòd ciuitates expositæ uentis frigidis, habẽt aluos duras. & si dicas quòd eiusmodi habẽt uentres calidos, ut in Aphor. 15. part. 1. tunc incidis in aliã cassidẽ: nã in autoritate superiori, de regione quæ respicit boreã et uentos frigidos, dicit quòd habent uentres superiores fluidos, ergo nõ duros. Respondeo quòd calor est quintuplex: naturalis magnus, qui efficit omnia opera naturæ optimè, & ideò mediocriter, ut 1. Aphor. Commen. 14. cõtra naturã, putridus, aut semiputridus, ut in præsenti casu & febribus ardentibus, uel hecticis: & hic magnus semper est, quantumuis paruus, quia præter naturã: et ideo astringit uentres, cũ exsiccet illos. Venenosus, & hic etiã semper est magnus eadem causa: et tot habet proprietates molliendi, uel astringendi hunc, uel illũ uentrẽ, quot sunt uenenorũ genera, seu species. Quartũ genus est caloris ab aere frigido cogente calorẽ intrò: & hic mollit uentres superiores liquãdo, & duros reddit inferiores, tum quia siccat, tũ quia opus musculorũ comprimentiũ impedit. Quintum et ultimũ genus est caloris aerei, & hic per se humidus reddit aluos, qa colliquat: si tamẽ siccitati iungatur, exsiccat. idẽ dico de uentribus superioribus. Quòd uerò subijcit indigere illos medicamentis ualidis, per se perspicuum est: nã si durũ habent aluũ, medicamẽtis ad mouendũ quod difficile mouetur, indigẽt. Qui ergo eiusmodi indigent medicamentis, operæpreciũ quasi per ocium erit edocere. Primum igitur qui splenẽ habent magnũ & durũ, durã habent aluum, tum ob putredinẽ: tum quia splen refrigerat intestina & musculos epigastrij. Secundò, melãchõlici omnes, quoniã in eis frigus et siccitas dominãtur: et quoniam humor ille difficulter ejicitur: & quoniam quia durities alui plerunq; est causa melancholiæ. Tertiò, qui habitãt in locis uentosis: siccant enim uenti corpora interius, & maximè feces, ut exterius. Et ita qui in mõtibus habitãt, tum ob id, tum ob frigus, tum ob cibos duros, & aquas crudas, et quia multũ exercentur, duras habẽt aluos. Quartò, qui multũ exercentur, et maximè iuxta ignem, fabri ferrarij: uel in Sole, ut rustici & uenatores, duras habent aluos. Quintò, qui habitãt in regionibus aridis, aluos habent duras. unde Hispani & Afri. Sextò, qui habitãt in locis ualde frigidis, & potissimè borealibus, hi habent duras aluos: uelut Germani & Sarmati. Septimò, qui utuntur cibis crudis ac duris, ut Iudæi. Vnde dicit Parsauolus, qui plures ex illis curabat, duplo illos ac maiori etiã pondere indigere. Octauò, senes maximè decrepiti, quoniam à siccitate siccantur, à frigiditate constringuntur, ab imbecillitate reddũtur immobiles. Nonum est, cũ materia fuerit lenta et crassa. Decimum, cùm fuerit procul, ut in articulis, utero & pulmone, & etiã cerebro. Vndecimũ est eorũ, qui omnino nõ se exercent, sed perpetuò sedent, ut textores, tum maximè quòd exercent membra superiora. Duodecimò, in his qui pauco cibo utuntur, & pauciore potu. Vltimum est proprietas quorundam hominum & familiarium.

Ad hæc etiam hydropes plurimæ, & lethalissimæ.] Dixit illa consequi æstate & hyeme, quæ nõ numerãtur propriè inter morbos: hîc uerò docet propriè de morbo maximè lethali, genere toto, tum etiam in his, ob id hæc adiecit lethalissimæ. Propterea de quo genere primò intelligat, dicendũ est. Videtur aũt de ascitæ intelligere, tũ qa ab aqua nomẽ hæc sumpsit. unde hydrops dicta sit, tũ quia tympanitẽ siccã appellare cõsueuit, ut in illo Aph. 4. par. 11. quib. torminæ & circa umbilicũ dolores. tum etiã quòd hæc species propriè uitio lienis procreari solet, tũ demũ, quòd eadẽ sit lethalisma. An quòd de omnibus generibus lethalismis intelligat, scilicet ascite et tympanite? nam ascites fit liene iecur impediente, tympanites eodẽ refrigerante uentriculũ. atq; idẽ amplecti sensum et res Hippocratis, nõ uerba. Quispiam ergo iure merito dubitabit, cur cũ hydrops,

maximè

maximè ascites, fiat iecoris uitio, imò nõ nisi ieco re affecto, 5. de Locis, cap. 7. pag. 2. ex liene dicat plures fieri hydropes, ac maximè lethales. Igitur quòd hydrops quæ cum liene duro est, aut pleno, aut magno sit periculosior, q̃ quæ à iecoris uitio fit, q ignorat, sit logicæ expers saliẽ nostræ, haud dubium esse potest, nec est ratio perquirẽda medica, sed dialectica. Suppositio enim quòd hydrops nõ sit nisi uitiato iecore, seu scirrho, seu imbecillitate, seu quauis alia causa cũ adiungitur, præter id lienis uitiũ quoduis tanto necesse est morbũ fieri graniorẽ: nã & si addas lienis morbũ, nõ tamẽ tollit uitiũ iecoris illud quòd est causa ascitis, seu duri ties, seu quoduis aliud. Duo ergo addũtur mala, ipsum lienis uitiũ, quod curare oportet, & consensus cũ iecore, ut curari nõ tã facilè queat, & ut celerius perimat ægrũ. Iã & si hæc tamẽ clara sint, duo tamẽ dubia restãt: unũ quòd plurimæ fiant hydropes, quod̃q; non necesse sit eas esse lethalissimas: utpote quæ pendere possint ex affectu in liene, nõ per se, sed per lienis consensum: at tũ minus erũt periculosæ. Propter hoc igitur dicimus, iecur etiam in his affici: atq; idẽ cũ dixit, iam uentres duri, tenues & calidi. Sed cur nõ appellauit iecorarios, ut splencticos? quoniã splen manifestè quidẽ eleuatur, iecur nõ ita, sed rarò, & in paucis admodum. Vnde apud Hippocr. inuenies in Epid. 25. splencticos, iecorarios uix 3. aut 5. Quid ergo est in causa cũ latera parua sint, dextra atq; sinistra? quoniã primũ splen magnis tumoribus celerius afficitur, quod excremẽtoso sanguine repleatur, ac nutriatur, iecur aũt bono et lõgè tenuiore. Est etiã lien minus atq; magis suspensum mendosis costis, iecur aũt reconditũ: & si scirrhus in utroq; fiat in iecoris substãtia densiore & crassiore magis latere potest: in liene nõ potest. Et etiã quia qui iecur durũ habẽt anteq̃ eò perueniãt, ut adeò durescat, et attollatur, in hydropẽ perueniunt: unde tumor absconditur & latet in profundo. Quibuscunq; ergo uitiũ iã est in iecore, his cum accedat ascites, adiecto tumore lienis, hi magis periclitãtur, & totidem numero sunt, quot qui lienis uitio uacãt, et sunt ascitici, qui uerò ex cõsensu solùm iecoris cũ liene in ascitẽ deuenerũt hi iã priori numero adijciuntur: sunt ergo plures numero, q̃ si sine lienis uitio ascites fieret. Sed & periculosiores, quoniã qui ex iecore in ascitẽ decidũt, periclitãtur solùm uel cũ scirrhus in iecore cõfirmatus fuerit, aut cũ morbo acuto ascites successerit: seruãtur autẽ ex fluxione aut retẽtione hæmorrhoidarum, ex mala uictus ratione, ex fluxu epatico sanato, ex imbecillitate iecoris nõ magna, quæ propter diuturnum morbũ accidit: at ex consensu lienis si fiat cũ iecoris proprio affectu adhuc sumus in casu duplicis causæ ascitis, & periculo maiore: si aũt sit ex solo consensu, cũ oporteat causam esse magnã & iecoris uitiũ, erit necessariò lienis uitiũ maximũ. Si ergo tale iã fuit, ut posset euertere iecur cùm sanum erat, multò magis illud lapsum iã impedire poterit ne sanetur. habebimus autem tria difficillima, morbũ qui genere est cõtumacissimus, quiq; impedit curationem suæ causæ, et causam causæ maximã, ut diximus: tumores enim lienis nõ nisi longo tẽpore sanãtur: impediuntur aũt ab aqua iã effusa: quod igitur pauci animaduertunt, et pauci rursus credunt, ascites uitio lienis orta frequẽtissima est, et periculosissima, euenit in his regionib. atq; id totũ pendet ex hoc iã quòd habet causam necessariam secum, i. uitium iecoris. Vnde reliqua quæ adijciuntur nõ commutãt causam, sed sunt tanquã additamẽta. Colligitur autẽ in ascite aqua, in tympanite autẽ flatus, in eisdẽ locis, scilicet inter peritoneum & omẽtum: & utroq; modo redditur periculosissima: si ea quæ de iecore diximus in ascite, dicamus de uentriculo in tympanite. An uerò ascites sit tympanite periculosior, minimè locus est ut hìc disputẽ, sed in cõtradictionibus dictum, sed de hyposarca constat quòd leuior sit, & ob id de ea nõ intelligere perspicuũ est. Fiunt ergo ascitici, quoniã morbus hic cõtingit calore naturali, imbecilli, & præter naturã inducto, ut in Commẽtarijs super Prognostica dictũ est: at hi habẽt durũ & gracilẽ uentrẽ, igitur calorẽ natiuum, imbecillem, cũ uerò calidum etiã, ut diximus, & nõ natiuo calore, patet hãc unã esse causam ascitis, 13. Aur. ui. capite 16. altera est ob lienis tumorem, qui cũ nõ possit recipere limosum sanguinẽ iecoris amplius, et ipse calefactus calefaciat iecur, tum uenulas omnes & arterias ipsum corrumpit, et ut aquã prauã & putridã generet, efficit, utq; ea nõ recipiatur ob id à renibus, atq; ita collecta effluat in spacium uentris, et ascitẽ generet. Tympanites uerò calefacto similiter uentriculo, et calore naturali euanescẽte: siquidẽ dictum est de uentre, quòd sit durus & gracilis, eodẽ modo flatum gignit, nõ aquã. nam ex quauis materia flatus efficitur, non autẽ aqua corrupta, ideo ad tympanitem perueniunt, non quidem flatu in uentriculo genito: ille enim extrudi solet ructibus & peditibus, sed humido quodam tenui per substantiam uentriculi defluente. Afficiuntur autem, ut manifestum est in hoc casu utraq; membra, & ideo etiam ascites fit

tympanitis

tympanitis iuncta est tympanites non sine ascitide: quod contingit in his qui ex lienis uitio in hydropem deueniunt: secus autem à iecore ascites, à uentriculo tympanites: non tamen prorsus sine aqua contingit, rariusq; tympanites ob id sine aqua, q̃ ascites sine flatu fit: quanquam conuersa ratione, rarius ascites cum multo flatu fiat, q̃ tympanites cũ multa aqua: interdũ tamẽ quasi ex æquo fiunt.

LECTIO XXXIIII. SVPER TEXT. IIII.

A Estate enim dysenteriæ multæ ac alui profluuia incidunt, & febres quartanę diuturnæ. Hi autem morbi prolongati tales naturas ad hydropas deducunt, ac occidunt. Et hi quidem morbi ipsis æstate fiunt.

An tormina Latinè sint dysenteriæ, Græcè, ut credam non facilè adducar, sed potius difficultas intestinorum dicenda est dysenteria, ut etiam nomen ipsum significat.

An etiam omnis euenta excretio seclusis hæmorrhoidibus debeat appellari dysenteria, hoc non admodum se offert, sed disquisitione opus habet, eamq; diligenti. Galenus 12. Methodi, cap. 7. proponit duos morbos esse maximè notos, dicẽs, non idem in alijs exigi. & dicit esse morbum lateralem, & dysenteriam: ergo dysenteria, ut Iachinus existimat; cap. 58. exposit. super Aleman. ob id laborem intestinorum significat, quia cæteris morbis intestinorum & si acrius laborem coli dolore, uelut & ilei, nullus tamen morbus commune nomen omnibus intestinis habet, qui sit illi proprius, ut dysenteria.

Est ergo ulcus intestinorum propriè, seu dum factum est, seu dũ fit impropriè, ut 3. de Sympt. causis, cap. 2. triplex, unoq; nomine omnes comprehenduntur. scilicet non legitimæ, seu cruentæ. Prima est quum sanguis purus exit tempore, & per circuitus, plerunq; coaceruatur, quòd aliter antea soleret distribui, ut suppressis mensibus, uel hæmorrhoidibus, uel sanguine nariũ, uel abscisso crure, aut brachio, aut fistula sanata, aut scabie, uel lepra. idq; annotandum in hoc casu, quòd huiusmodi dysenteriæ sanguinẽ sanioſum euacuant, & non purum, suntq; deteriores. in scabiosa autem adest serosa pars, ac tenuis multa, atque erodens. Secunda est, quum ex liene defertur sanguis splendidus, ac niger, non tamen erodens à liene. Tertia, quum sanguis aquosus cum fecibus in epatico fluxu. De uera quum sit cum ulcere intestinorum, dubium non est quin faciat dolorem, neq; mirũ est. Et erosio fit uel à flaua bile, uel à bile quauis exusta, uel à pituita salsa. Dicebat Princeps 16. tertij, tract. pr. cap. 2. pag. 3. ulcera fiunt in intestinis à bile flaua in duabus hebdomadibus, et à salsa pituita diebus xxx. & à melancholia diebus xl. & sumpsit hoc à Rhasi, 13. contin. tract. pr. & quomodo ergo potest incipere dysenteria statim ab atra bile, ut 4. Aphor. 24. id ergo plerunq; contingere solet.

Arabibus connixis ad quãdam methodum res redigere. & possunt quidem sed nõ adeò facilem et ordinatam, ut ipsi rebantur. Galenus aũt Com. 2. & 3. putat quatuor esse causas dysenteriæ: duas, quas ibidem expressit, tertiam uerò & quartam in sexta particula eorundem Aphorismorum bilem flauam, et bilem exustam, ac atram, ichores maximè bilioſos & pituitam salsam. Illud uerè refertur à Iachino quod & à Galeno 6. Aphorism. Com. 1. sumptum est, timesmum scilicet & dysenteriam ab eisdem causis fieri, atq; in timesmo ulcerari anum, in dysenteria intestina. Illud etiam ualde ad rem, unamquamq; dysenteriæ ueræ speciem tres habere ordines, cũ mucus sanguinolẽtus exit, & hoc est initium: cũ interioris tutnicæ pars cum multo sanguine educitur, tuncq; iam magnus est morbus, & confirmatus: quum exit tertia tunica, & tunc est tempus ultimum, & æger fermè conclamatus. Curari ergo debet æger primo tempore: sed hoc rarò succedit, quòd tum causa ualde uiget: pleriq; curantur in secundo tempore, nam in tertio exigua est spes. Iam uerò dubium est curetiam in dysenterijs epaticis quum sint citra ulcus, doleant intestina. Causa est, quoniam licet non sit ulcus, magna tamen ui contenta exprimuntur, & quæ exprimuntur, cruda sunt, ideo tũ propter conatum, tum intemperiem, quæ ejiciũtur dolorem mouent: nam & in plerisq; diarrhæis dolores adsunt ob eandẽ causam. quæ enim expelluntur, sunt immodicè calida, uel frigida, uel sicca. & ideo ab initio quandoq; sunt sine dolore, post autem dysenteriæ & alui profluuia dolorem pariunt: quia intemperies augetur. unde eadem causa transeunt profluuia successu temporis in dysenterias.

Quum uerò sit intẽtio in hoc textu docere de tribus morbis, q æstate ob potũ huius aquæ abundare solent, dysenteria, alui profluuium, quartana diuturna: secundò, quòd hi morbi producti hydropem generãt: tertiò, q. ex hydrope pereãt: & prima pars, ut dixi, contineat tres morbos, quorũ

generationem explicare oportet, fiet ut explanatio ipsa exigat sex partes. Profluuia uerò alui dicuntur, quum multa materia deijcitur pro quãtitate ingestorũ et sine sanguine: nam genus illud iam explicatum est. Pleraq; autem alui profluuia sunt, cum multiplici numero deijciendi, maiore quantitate & liquidioribus excrementis. An autẽ multitudo secum non multiplicato numero, nec substantia uariata, ut quum corpus est siccum, & parum nutritur, debeat appellari fluxus uentris, uel profluuium: istiusmodi magis pertinent ad nominum quàm rerum inquisitionem. in declaratione autem causarũ fiet manifestum. Diuiditur autem alui profluuium in intestinorum leuitatem et diarrhœam: quia uel illud quod ejicitur est humor, & fit diarrhœa, uel cibus incoctus & sic est leuitas intestinorum: & diarrhœe quidem materia defluit: aut ob causam externam, uenenum, cibum, aut potum, & aerem: aut ob crisim: aut à membris, quæ sunt quatuor principaliter, ibid. 3. trac. 1. cap. 2. in princ. iecur, lien, caput, & totum corpus. nam à mesaræo, intestinis & uentriculo est quasi mixtus. Dico quòd à uentriculo ut chilosus attinet ad intestinorum leuitatem: ab intestinis similiter à mesaræo est similis epatico: & rarò spoliatur à sanguine. Et qui fit à cerebro, est similis chiloso: qui à iecore plerunq; fit ex flaua bile. & est duplex densa, & est periculosior, et ut icchor, & est difficilis sanationis, & à liene cum nigra deijciuntur multa, & sæpe: à toto autem humores continet plerunq;, licet quandoq; unus tantùm appareat, qui superabundat: est etiam diarrhœa pinguis, quum corpus non nutritur, & est à toto & exitialis. leuitas intestinorum simplex est quum humidus cibus ante coctionem, quam antiqui putrefactionem appellant, deijcitur. Et sæpe sociãtur hæc duo genera, ut fluxu cerebri, uentriculi, & in fine longarum diarrhœarum & leuitatum intestinorum, quorum prioris est causa manifesta, debilitato uentriculo ob intemperiem iecoris & humoris illuc transmissi: sed & post longas intestinorum leuitates solet sequi diarrhœa. huius causa (licet obscurior) est quòd eximanitum iecur cogitur trahere cruda, licet inepta, quæ dum conatur concoquere, transmutat in formam quandam humoris fœtidi.

Et quartanæ diuturnæ accidunt ex his aquis. Sunt diuturnæ per se, quoniam qua ratione quartanæ fiunt ex humore terreo, qui non potest putrescere nisi in circuitu septuaginta horarum: igitur nec celeriter concoqui, diffiari, atq; expelli. omnis enim quartana longa est natura. Sed quum dixit quartanas longas, aliquid plus uoluit quàm naturæ omnium quartanarum longitudinem significare, uelut in Aphorismo 25. illo, æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt: autumnales uerò longæ, & maximè quæ ad hyemem tendunt. Sunt autem quartanæ breues trifariam per se: ex casu autem & arte uno alio modo. Natura quum ex flaua bile tenui, pauca, exusta fuerint, ut in fine quarundam tertianarum, adeò ut persæpe finiantur in uiginti accessionibus, uel si calor æstiuus colliquet materias, ut dictum est, uel si materia pauca admodum sit, & corpus robustum, & origo non naturalis. Fit etiam breuis quum semel intermittitur, ut in magnis timoribus, & exercitatione corporis: hoc enim aliàs est declaratum. Communis autem terminus est centum uiginti accessionum: sin pauciorum breuis, si plurium longa. liquet ergo quum dixit diuturnæ, intelligere illas esse ex materia haud calida exustaue multũ, sed crassa, ac lenta.

Qui autem horum omnium rationem uenari uoluerit, ad ea uerba se reuoluat superius posita: text. 2. Necesse est ipsas decolores esse, & prauas, & biliosas. Et generaliter hæc consequantur, quoniam tales aquæ corrumpunt actionem uentriculi & mesaræi, & iecoris: & ideo corrumpentur etiam humores, nec bonus sanguis generabitur: qui secernentur aut acredinis expertes, et fient alui profluuia: aut quum acres sint dysenteriæ, aut retinebunt donec putrescant: atq; ita aucto liene tandem putrescent, generabuntq; quartanas & diuturnas. omnes enim in hoc authores consentiunt, quòd uitiato liene si fiant quartanæ, continuè affluente materia erũt diuturnæ. Nec in hoc est difficultas, nisi quòd aliquis dicere posset, Nónne alij etiam morbi possent generari, utpote laterales, peripneumoniæ, phrenitides & hemitritrei? Dico quòd ipse distinxit, ut etiam ab initio docui, morbos aeris qui sunt communes pectori & capiti, à morbis aquarum qui propriè conueniunt membris naturalibus. Sed & febres acutæ ab aquis non solent fieri, quoniam generantur humores frigidi: febres autem acutæ fiunt ex humoribus calidis, atque ita relinquuntur quotidianæ. Sed hæ sunt rariores, ut tandem res redigatur in hos tres morbos, quos generant aquarum uitia. Aquæ enim corruptæ propriè corrumpunt omnes humores, & augent ichores in illis. & si natura robustior sit, exonerat se profluuio uentris, si humores acres dysenteria: aliter generant tumo-

res splenis ex quibus quartanæ exitiales.

Commutantur hi tres morbi in hydropes, uidendum an una ratione, an diuersis: an in unum genus, an in plura. neq; primùm dubium esse potest, quia pleriſq; hæc commutatio non fiat ex aquis corruptis in ascitem, cùm aqueum excrementum ob corruptionem non trahatur à renibus. & ideo uel miscetur sanguini, & illum totum uitiat, ideoq; corpora horum, qui sic tendunt ad hydropem grauantur, contabescunt, fiunt mali coloris, & sitiunt, uel retinetur in iecore, & generat uesicas illas, de quibus Hippoc. 7. Aphor. 49. Quibus iecur aqua plenum in omentum eruperit, ijs uenter aqua repletur, & moriũtur. Vnde hoc genus priore lethalius est. Sed & illud pro constanti haberi debet, harũ omnium hydropum initium esse ab alba pituita: quum enim, ut dixi, uitiatus color, sitis infestat, corpus attenuatur, homo grauis redditur, iam par est nõ bene nutriri pedes & tumere, ac ædemati simile quippiam pati, omnibus igitur hæc sunt communia. permisceri autem flatum aut plus, aut minus, ut uis uentriculo fuerit imbecillior: hoc est non omnibus commune, nam flatus propriè consequitur primam coctionem, quæ in uentriculo celebratur, & consequentia, ut quæ in intestinis: iecoris autem imbecillitas generat aquam, ideo si utraq; careat prauitate, rudus & crepitus uentris ex prima, uerma multa ex secunda generantur. Sed si uitiosum fuerit, & cum caliditate externa iunctum quod gignitur in prima coctione nõ iam aer & flatus, sed uapor densus, qui uenas & arterias permeat. fit in secunda ichores, qui à renibus non recipiuntur ob corruptionem: unde tympanites ex uno, ascites ex altero accidit. Cur autem primã coctionem aer aut flatus, aut uapor consequatur, in secunda autem aqua, nõ est arduum inuenire: nam flatus fit à materia tenui & calore uehementi: nam etsi castaneæ in igne crepitum edant, humor tamen earum ignis comparatione non solùm tenuis est, sed tenuissimus: utraq; autem uentriculi coctionem conueniunt: unde etiam locus uentriculi multò calidior est coctionis tempore quàm iecoris: in iecore autem ebullitio non fit, neq; feruor, sed calor multus, remissus, quod concoquitur uiscidum & crassum adeo, ut antequã homo resoluat in flatũ cùm indigeat calore feruido, qui non adest, absumitur ab eodem. At diarrhææ præsertim, aut epaticæ, & à toto, & à liene in hydropem terminatur rarius quæ à cerebri destillatione pendet, quoniam iecur à caliditate humoris corrupti uitiatur, et ab exitu ac mala nutritione debilitatur: unde fit hydrops. omnium enim facultatum nulla est cuius opus tantùm obsit iecori quã expultrix: cui proprium potius est retinere atq; concoquere, quàm expellere. Et, ut breuiter rem peragam, si ascites, de qua magis est sermo, fieri debeat, oportet ut aqua intra peritoneum colligatur, igitur ut non tota trahatur à renibus. Quare quũ renes neq; fatigentur, quia facultas est naturalis, non animalis, & trahitur guttatim, nec iecur eisdem rationibus in expellendo (ut Princeps quandam methodum fictam, ut nunc etiam solent, secutus somniat) necesse est ut non trahatur, quia corruptus ichor & sanguis ei permistus. corruptio autem fit à calore præternaturali: ille igitur cum naturali debilitato ascitem generat. Si ergo non trahitur, & est modicè prauus, expellitur à iecore per mesaræũ, & fit profluuium uentris. quod nisi curetur, transit in ascitem necessario, uides causam. Et quodnam profluuium, scilicet aquosum cum humoribus, & aliquando cũ uestigijs sanguinis, & quandoque subrubrum, quandoq; sine hoc inde ut fiat per circuitus, maximè in nocte, & ut sit diuturnum. Si uerò retinetur, uel ob prauitatẽ, uel multitudinem expellatur, tamen ad uenas fit ascites, ex pedibus inchoans specie leucophlegmatiæ, & ascendit ad scrotum & uentrem, & difficilius sanatur prima. Si enim uerò ob multitudinem & prauitatem non possit omnino expelli, fiunt uesicæ circa iecur, inde ruptis eis ascites lethalis. Si uerò dysenteria conuenta sit, indicium est corrupti multi sanguinis, qui dum retinetur similitudinem refert eorum, qui decoxerunt, dum tamen uiuunt ob authoritatem & solertiam non patiuntur bonorum uenundationem: ubi mortui fuerint, statim omnia hìc inde distrahuntur. effuso enim sanguine, licet maxima ex parte malo uires quæ antea coctionem subsistentabant quum aliquid boni semper cum malo euacuetur, collabuntur. et loco sanguinis malus ichor generatur. Sed & si dysenteria uera sit, causam docuit ipse, dum dixit: Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, hi superueniente longa intestinorum difficultate aqua intercus, aut leuitas intestinorum aduenit, & moriuntur. Diximus ergo de hoc in Commentarijs suis.

Apparet igitur causa quare pereant eiusmodi homines ex regula generali: quoties enim morbus aliquis lethalis est ualde natura propria, & idem fit ex commutatione praua, redditur lethalissimus. At eiusmodi hydropes aut fiũt ex quanta-

uis malè liene affecto, nec tamen liene sanato, aut ex iecoris imbecillitate ac intemperie, nec eo etiam restituto, igitur tales hydropes ualde lethales erunt.

LECTIO XXXV. SVPER V. TEXTV.

HYeme uerò iunioribus quidē peripneumoniæ, & insaniæ, morbi: senioribus uerò febres ardentes propter uentris duritiem.

Oportet reuocare in mentem quæ superiùs dixerat (Tex. 21.) Hyeme uero glaciatas & frigidas ac turbatas præ niue & glacie, ut pituitosissimæ sint ac raucosissimæ existāt. Docet ergo morborum aduentum per ætates non simpliciter ut in æstate, namq; iuuenibus peripneumonias & insanias, senioribus autem febres ardentes, quasi peruerso ordine aduenturas docet. Vnde Alemanus dubitat de hoc Textu. Et quidem dubitare de Hippocratis sententia plane stultum est, præsertim explanatorem, cum iam non habeat quo se tueatur qui librum exponat eius authoris, de cuius fide ipse dubitet, tum quia Hippocrati in medicina saltem summum iudicium fuit: credendumq; est hæc non obiter, uel sola ratione cōfisum scripsisse: sed an hoc scripserit & ne mendū in tot transcriptionibus, in tot seculis irrepserit in illius libros, quo etiam modo Alemanum dubitasse reor, non insulsi uiri est, cum amentis foret obdurata opinione relinquere rerum ueritatem, ut mordici falsam literam si contingat tueamur, quod uitium in ipsis Galenicis nos toties reprehendimus. Ergo ille primum dubitat quod febres ardentes senibus tribuat, cum idem dixerit prima Aphorismorum (14.) Propterea senibus non similiter acutæ febres fiunt, frigidum enim eorum corpus. (3. Aphoris. 21.) Et rursus ardentes febres nemo ignorat morbos esse æstiuos. (Ibid. 30.) Peripneumoniæ etiam parum conueniunt iuuenibus, sed potius ætati constitutæ, ut ab eodem habemus (Ibid. 23.) sicut neq; insaniam hyemis morbum, sed potius ueris aut autumni. Itaque sufficiat in his de quibus iure dubitamus uerisimilia dixisse. Peripneumoniæ fiunt (ut ipse docuit) cum calefacta pituita (1. de Mor. pa. 17.) ac bile & commota pulmo ob caliditatem traxerit ad seipsum ex uicinis locis ad ea quæ iam sunt in seipso, & percalefacit quidem totum corpus ac dolorem exhibet: maxime autem dorso & costis & humeris ac spina, nimium ab his in seipsum attrahens humidi, & superexsiccantur hæ partes, & nimium calescunt: postquàm autem attraxit in seipsum, & tum bilis tum pituita sedem in pulmone occupauit, putrescit ac suppuratur. In his ergo tum propter aquas, tum propter aerem hyemalem fiunt peripneumoniæ. nam hic morbus ex aqua & aere pendet, ut lateralis & phrenitis ab aere solo prorsus. Iuuenibus ergo calor magnus & cruda pituita abundans peripneumoniam pariunt. iuuenes enim pulmonem habent calidissimum. hyeme autem fiunt destillationes, quapropter de hoc non ualde mirum est.

At quomodo insaniæ hyeme & quartanæ æstate? istud magis mirum uidetur, cum potius insaniæ æstate exustis humoribus, quartanæ hyeme fieri deberent. Hippocrates libro de Sacro morbo (pag. penult.) uidetur tangere quatuor genera insaniæ, à calore ac bile dum uociferantur, exiliunt & multa intempestiue agūt: si uero terrores ac timores accedant non solum incaluit, sed bilis ipsa defertur ad cerebrum, dum enim cerebrum incalescit non timet homo, nec terretur, sed furit & agitatur, similiter à frigiditate, seu à pituita angitur, & inquietus euadit ob timorem. Ab humido etiam ob motum agitantur species (dicit) atq; ita sensibus recepta menti perperam repræsentantur. Et breuiter duo sunt prima genera insaniæ, quietū & tumultuosum, hoc à calore aduenit, illud à frigore. Et quod est à frigore est cum obliuione & emotione mentis. Quinta quoq; Aphorismorum dixit, (62.) quod dum disparent tumores in ulceribus repente, siquidem retrò fiunt, conuulsiones & tentiones: si uerò ante, insaniæ: ut insania fiat affecta anteriore parte cerebri, ubi cognitio uiget: conuulsio & tentio posteriore, ubi motus & neruorum origo & spinalis medullæ, & quod fit à materia collecta ibidem præter naturam atq; corrupta. Et sexta eiusdem (23.) Quod si timor & tristitia longo tempore perseuerent, quod id est melancholicum. Vnde à terrea qualitate hæc fieri constat, seu cum materia sit seu non. Quod exponens Galenus (cap. 5.) tertio De locis dicit, quod timor et tristitia melancholicorum est, sicut timor eorum qui sunt in tenebris, illud autem fit à uapore uel humore atro in cerebro, ut repræsententur tenebræ. Idem quinto De locis (cap. 4.) dicit, quod & in magnis febribus atq; biliosis præcipuè. solent ægri delyrare atq; in phrenitide adeò cōstanter, ut ne in morbi quidē declinatione cessare soleant. Et quod homo ante insaniam solet uidere primū per somnia,

dum

dum nondum morbo correptus est, quæ exporrectus, & iam morbo laborans proferre solet. Tertio quod in inflãmationibus septi transuersi post phrenitidem hoc contingit: nonnunquam in laterali morbo, peripneumonia et oris uentriculi abscessu. Sed & illud quod confirmata phrenitide dum oculi caui fiunt et aridi, lachrymis præter uoluntatem fluentibus. uenæq; eorum ex rubore lucescunt, sanguis è naribus paucus stillat, tum nil sani respondent. Quinto quod delyria, uigiliæ præcedunt, et uigilia causa sunt delyrij, atq; id est frequentißimum. Sunt etiam cibi ac potus qui statim insaniam faciunt, quin quod sola ebrietas hoc agit ferme semper. sed & ira & tristitia, hoc enim frequenti experimento etiam didicimus. Admonet etiam tertio (cap. 5.) de locis, quod cum quis in insaniam deuenit duo esse præcipuè aduertenda, an dormiat iusto plus aut minus, aut ut solebat, & similiter narium excrementa: nam frigidam aut calidam aut humidam uel siccã intemperiem deprehendens, frigidæ autem proprium est obliuiosos facere. Idem etiam amentes dicuntur & fatui: etsi pauca defluant, & tamen dormiant frigida & sicca: & si multa & uigilet, humida & calida aut acria. Et si plurimum dormit, & multa defluant frigida & humida, ut in primo super tertium Epidemiorũ (Com. 2.) explicuit etiam Hippocratem magnitudinem desipientiæ uerbo declarasse λυξῆσαι nugatum esse, παραλυξῆσαι delirasse, παραφρονῆσαι desipuisse, παρευεχθῆναι, dementem fuisse, παρακόψαι uesanum fuisse, ἐκπῆναι amentem fuisse, μανῆναι insaniuisse, ἐκμανῆναι furore fuisse exagitatum. Ibidem dicit (Com. 5. ante finem.) si humores cum uaporibus caput petant, dolores & uigiliæ fiunt: si etiã acres illi sint, delyrij periculum est. Clarè autem docuit libro de Symptomatum differentijs (cap. 3.) differentiam corruptionis rationis & facultatis imaginandi per duos ægrotantes, quorum alter querebatur quod tibicines pulsarent in cubiculo, alter uasa proijciebat.

LECTIO XXXVI. SVPER EODEM TEXTV.

Ergo primum distinguamus genera insaniæ in sex, cum incipit nugari, cũ desipit, cum est fatuus, cum stultus, cum est insanus, & cum est cum furore. Insania est ergo delyrium perpetuum sine febre ac furore. Et est ex ea quæ est per essentiam in cerebro, & quæ per consensum aut totius aut partis, præcipuè lienis, præcordiorum et septi transuersi. Et est à materia, à uaporibus, & à sola intemperie calida uel frigida uel sicca uel humida, quæ facilè sanatur. uelut ea quæ est in pueris quã non nominamus insaniam propter cõsuetudinem & frequẽtiam. Et quæ aduenit subito est propter humoris motum, quæ sensim & intermittit propter humoris generationem, quæ autem sensim & est continua ob intemperiem, quæ autem ob uapores subito fit, et intermittit magis ac liberius quàm quæ ob materiæ motum. Et si fiat à calore delyrium, ut in febribus, etiam potest fieri à flaua bile, sed non est insania. Et causæ eius sunt aut animi perturbationes, præcipuè tristitia, timor & ira. Vel uigiliæ uel aer uel cibi & potus aut medicamenta, uel studia diuturna, uel abscessus geniti, uel retentio solitæ purgationis, ut hæmorrhoidarum, lepræ. Et generaliter etiam omnis ualida intentio & animi cogitatio, ut spei facit ad insaniã, uelut in chymistis. Et homines robustæ animæ & sapientes ualde euitant illius aduentum, nõ solum Philosophiæ præceptis superando calamitatum memoriam tum auxilijs inædiæ quæ summũ præsidium est in hoc casu, ut etiam plerunq; aliorum grauiorum morborum, somni, balneorum & curarum placidarum ac mitiorum, sed quoniam spiritus in his sunt melioris temperamenti & densioris substantiæ, & magis obedientes animæ: cum insania nil aliud sit quàm spirituum ad animam inobedientia: contrà mulieres & pusilanimes facile ac frequenter insaniunt. Et inter uiros qui balbutiunt, & non possunt proferrè uerba, iracundi, nigri & pilosi ualde aut rubra facie, & oculis mobilibus, ac palpitantibus perpetuò. Et bene dixit Princeps (prima 3. Tract. 4. cap. 10.) quod hic morbus maximè fit à corde, nam aduenit ex uehementibus eius affectibus, inde communicatur cerebro: & ideo etiam qui pectus habent refertum pilis magnis & crassis, & uiri fortes ut Hercules fuit, frequenter ad insaniam (quæ tamen est cum furore) uertuntur, ut mulieres et timidi ad fatuitatem. & quædam species insaniæ uidentur esse cum dæmonio, & hic non est locus disputandi de hoc. signa autem futuræ insaniæ proponuntur à Principe ibidem (cap. 19.) & primum sunt cogitationes malæ, non consuetæ, & timor & tristitia & solitudinis desideriũ & facilitas ad iram. Post quæ sunt circa caput, dolor, uertigo, tinnitus & sonitus in præcordijs, pòst uigilia magna & inquies & risus & uerba multa, pòst timor & tristitia confirmata & terrores sine causa: cum autem incipit, oculi aspectus mutatur & intuentur

fixè & toruè aut hilaribus nimis oculis, post incipiunt ab uno ex his tribus aut pluribus ex his appellant unam rem pro alia, & post statim redeũt, aut nugãtur multa quamuis satis ad propositum, sed celeriter loquuntur præter solitum, aut fiunt taciturni, & interrogant timentes, aut iudicium in eis sensim corrumpitur, & ex his sunt qui Venerem ualde appetũt. Et licet obliuio accidat persæpe absq; insania, pleriq; tamen ex his fiunt obliuiosi ab initio cum incipiunt insanire. Initium autem in omnibus primum fit ab ordinis agendorum perturbatione, quod id facillimum sit.

Supponamus ergo primum animam nihil pati, sed instrumentum uelut solis radij in fœdam aquam sparsi turbulentum reddunt aerem, non tamen ipsi patiuntur, sed instrumentum & id quod recipit. Præterea insania sapientiæ contraria est: sapientia autem constat in eligendo rectè, & electa ordinando: ut eligamus rectè pro opportunitate causæ & congruentia: tria igitur requiruntur ad sapientiam, ut sciat quo opus est, ut ea tribuat quæ ad id faciunt, ut ordinatè uelut in conuiuio, quod hilaritas requiritur, quæ ad hilaritatem facetiæ & ioci: ea autem pro ratione personæ, temporis, loco & eo ordine, quæ disponi debent. At non aberrare contingit bifariam, uel obliuione uel ignoratione uel iudicio, & primus modus ad insaniam non pertinet, modo quis eam cognoscat & abstineat, reliqui pertinent. Sapientia ergo constat in hoc, ut ratio demonstretur docens disponere ea quæ agenda sunt iuxta hominũ consuetudinem. Oportet igitur ut cognoscat cuius gratia, & quid agendum, & quibus & quomodo. At hæc indigens famulitio triplici, cognitionis per memoriam per uim imaginandi per sensum: ubi aliquod horum desit & abutitur, insania est: si autem desit, sed non abutitur, dicitur obliuio, uel defectus sensus, uel uis illius quæ imaginamur. Vt uero ratio dominetur, & hæc agat necesse est, ut possit uti instrumento quod est spiritus. & ideo frigiditas efficit insaniam, secundo ut ordinatè. ergo oportet ut sit quietus: & ob hanc causam uigiliæ insaniam pariunt. Tertio ut opportuna offerantur uelut condiendi cibum. si postquam salitus est denuo pro pipere sal offeratur fiet salsior, & nõ acris, & ita perturbabitur condiendi ratio.

Illud quoque præsupponendum est, cognitionem ac rationem fieri hoc modo animo lumen habet, quo cuncta cognoscit etiam ante sensum, imo sensu ipsa non indiget, quandoquidem ipsa uel afficiatur ab ipsis, sed antequam ad ipsam deferantur, quæ sentiuntur iudicat nomen hoc, ut recipitur à corpore præparato per alias animæ facultates, & cœlestem inter reliqua uim mouet spiritum, & hoc habet formas sensilium, & seruat eas: neque enim ad animas usque perueniunt. constant ergo formæ illæ luce animæ, à qua prodit lumen: & lumine quod est receptum in corpore quodam, seu potius substantia corporis: quoniam non est cum quantitate sed uelut nutrimentum, ut potentia non actu est, & formis sensilium receptis per instrumentum, & ideo neque sunt ante sensum, nec manent post mortem. Sed illud quod est in anima æternum & ingenitum, ut conuersa ad causam suam incorpoream. Actio autem deliberationis fit contemplante homine per illud lumen formas sensilium per spiritum: & circumuertitur uoluntatis imperio spiritus modò huc modò illuc quærens exitum rei: apprehensoq; fine ordinat necessaria ad illum: mittitq; spiritum in circuitum ad excipiendas formas iam seruatas in lumine illo, nam si seruarentur in anima, non corrumperentur instrumenti corruptione. Et si dicas quod anima non operatur nisi cum instrumento. dico quod ubi post longum morbum cerebrum redit ad sanitatem, non tamen nisi denuo discat, memoratur eorum quæ oblita sunt nisi per memoriam æternam, ut olim diximus. Requiritur ergo ut homo per lumen illud uelut principium mouens proprium, ut in actionibus per primas qualitates cognoscat finem, & necessaria ad finem, & quæ sint & ordinem collocandi ea. sicut homo generat per uirgam, & gustat per linguam quæ sunt corpora: & in uirga calor est causa tensionis, in lingua uis gustandi. Si ergo primum lumen sit corruptum non cognoscit, neque finem neque necessaria ad finem, nec quæ sint, neque ordinem, & est prorsus insanus: quia spiritus nihil possunt recipere: sin autem lumen recte se habeat, sed spiritus non recipiunt lumen, quoniam mouentur, uel quoniam sunt terrei, ut non possint recipere imaginem, sicut lapis aut terra loco ceræ pro sigillo, tunc ignorant finem & ratio perit ex nimio quidem motu, & fit à calore uel ex substantia, & est à frigore, & est ineptia, & est deterius. At uero quia homines dijudicant per sensus cum uident aliquem aberrare circa sensum, nec hoc cognoscere dicunt eum esse stultum: non dicunt si aberrare se intelligat, ergo cognitio requirit duo, ut sensus comprehendat, & ut se habet, & ut imaginandi uis sic recipiat, ut olim nec fallatur. Velut si uidet hominem, imaginetur

ginetur se uidere simile homini olim uiso, & non asino: igitur si aberrat in hoc secundo, dicitur stultus in comprehensione. Circa hoc igitur notandum quod duplex est comprehensio simplex interior, & est ab imaginandi ui & memorandi, sed memoria est potius habitus quàm comprehensio, quia fit etiam nobis non cogitantibus, sicut etiam digiti lyram pulsantis: nihil autem quod comprehendat fit nobis non cogitantibus, nec fieri potest. sensus etiam exterioris cognitio simplex est: sed ut dixi cùm insania sit error facultatis interioris quæ cognoscit, relinquitur iam ut sint tantũ duæ principes facultates, in quibus fiat uis rationis pro compositione & resiliendo, & uis imaginandi pro simplici comprehensione. Et in ratione quidem comprehenditur, est autem hoc leuius quàm perturbatio rationis, eo quòd iudicium peruertitur leuiore causa quæ est, aut cum coniungit homo separata, aut separat coniuncta, aut maiora minora, uel minora maiora esse putat. id ergo accidit, quia nimis celeriter spiritus mouetur & deliberat, aut quia non perfectè quantitatem rerum quas comprehendit assequitur. uideamus igitur quomodo sensus error inseruiat insaniæ, cum non possit esse principalis causa, ut dictum est etiam si aberret: & num insani aberrent in sensu exteriore. Cum ergo, ut res pateat exemplo facilius, homo uult edere gladium panis loco: quinque modis id contingere quisquam imaginari potest. Primus ut gladius oculis tanquam panis repræsentetur. hoc est ualde rarum ut sensus exterior adeò aberret, & maxime constanti errore: etsi adhuc contingeret esset oculi non mentis error neque insania. Secundus ut gladium panem nominet: sed hoc non efficit, ut eo uelit pro pane uti: quoniam electio sequitur cognitionem rei non nominis. obstant præterea multa alia. Tertius ut arbitretur panem esse gladium. sed tunc cum gladius non panis offeratur, non pertinebit hoc ad præsentem disputationem. Præterea non gladium deuorare uolet, sed cum pane potius lignum scindere uelit ac iudicet gladium esse edendum, hoc ut patet ad rationem, non simplicem comprehensionem, pertinet. & est compositionis error. Vltimus modus est ut cognoscat sensu gladium, sed antequam imago deferatur ad lumen illud præoccupet spiritus, ut dixi, uel ob celeritatem motus spiritus comprehendentis, uel ob naturam corruptam recipientis: uel ob perturbationem alterutrius quæ potest contingere, non solum à uapore, sed etiam perturbatione & cogitatione. Cum ergo uult comedere gladium panis loco, potest contingere duobus modis, uelut dixi, quòd existimet gladium esse panem indiuisa operatione: uel quod sensus ad edendum impellat, ipse uerò non cognoscat quod in manibus habeat, uel quia aliud cogitet, uel quia non cognoscat. Est igitur modus erroris in simplici comprehensione duplex: uel non cognoscere & appetere: uel peruersè cognoscere. & secundus modus habet tres causas dictas: primus prauam dispositionem spiritus cum omnino nihil recipit: in secundo male recipit: & non est adeò insuperabile malum. Cum ergo aberrat in ratione seu resiliendo seu cogitando, non uidetur aberrare in sensu. Et quia operatio composita præsupponit simplicem, uis imaginandi recipit delata ad sensum absque motu prauo & intemperie & perturbatione, sed lumen animæ & spiritus intimus alienus factus est ob unam ex tribus illis causis à consuetudine propria. Est autem omnis uis resiliendi & coniungendi cum motu, igitur si ratio perit, perit & motus: perit aũt bifariam, uel quia non coniungit a cum b, & est fatuitas, uel tardius quam è re sit, & tunc est hebetudo, & hæc ambo fiunt à frigiditate: uel iungit a cum e loco b, & est insania, & fit à calore. Ideo solemus senes bifariam delyros uocare, id est fatuos aut ineptos seu hebetes ob frigiditatem spiritus. etiam terreus minus recipit impressionem, ideo sunt obliuiosi rerum nouarum præcipui: & aberrant in comprehensione ob eandem causam. Incidunt & in insaniam ueram, ut dicebat Hippocrates primo Epidemiorum, (Par. 2. Tex. 59.) Natu maioribus & quos calor iam deficit, paraplexiæ, insaniæ, cæcitates, dicit ibi Galenus, quoniam non sunt adeo apti ob naturæ imbecillitatem expurgare caput per sanguinem narium, neque uentriculum per uomitum. Cæterũ iuniores ob motum sanguinis & spiritus ac feruorem & exustionem sunt magis obnoxij insaniæ, longe magis furori: adeo ut uix senes furori corripiantur. Et si quis dicat lienis tumor deberet prohibere insaniam. respondeo quòd dum augetur splen, non adeò sunt in periculo: dum acutus est multipliciter sunt in maiore periculo: & ex materia quæ defluit & quæ coaceruata est.

Ex his patet quòd causa insaniæ maximè est terreus spiritus & motus concitatior & uapores. Ideò ira & uigilia furorem pariunt spiritum mouendo, timor & tristitia refrigerando: & ob id senes his duobus ad insaniam stultam deueniunt,

ueniunt, iuuenes ad furorem illis duobus alijs.

Communia ferme cibi crassi, terrei, acres, uinum potens, nigrum, multa uenus, legumina, sal & salsa etiam, & oliuæ præcipuè: tenebræ autem conueniunt in furibunda, uelut claritas in ueterno, dicebat Galenus in libro ad Thrasybulum (cap. 22.) Sed dicetis, si tenebræ est causa in illis timoris ac tristitiæ, & ob id timent ob humorem illum nigrum in cerebro tenebras repræsentantem, quomodo conueniant tenebræ melancholicis? Et dico quòd tenebræ externæ cohibent impetum motus spirituum, & licet timeant, & tristentur, cura tamen curam & timor timorem dissoluit: adeò ut etiam in placidis mediæ tenebræ & dubia lux magis conueniant quàm locus lucidus aut omnino tenebricosus. Et si quis dicat, furiosi non uidentur omnes timere nec mœrere? Respondeo, quod aliud est fateri omnes melancholicos timere ac mœrere: aliud quod semper timeant. Et quamuis etiam dici potest, quod melancholicos à furiosis distinguat Hippocrates, ut supradictum est, μανιακὰς uocans & μελαγχολικὰς, nihilominus constat omnes quantumuis furiosos tandem timere, & licet sæpe hilares, etiam tristari & mœrere. Vnde etiam non melius tractantur quàm minis ac uerberibus, ut parere discant, & mentem ad rectas cogitationes reuocent Est etiam illud notatu dignum, insaniam & rationem atque scientiam esse in actu primo, dum lumen illud in quo est, absque motione est, in secundo autem actu cum est cum motione aut mutatione quæ fit per spiritus, nec communicatur homini per spiritus tamen, sed per lumen in quo residet. Ideo proprium eius fundamentum est lumen illud per quod toti communicatur.

Senioribus uerò febres ardentes propter uentris duritiem.] Docet causam quare fiant febres ardentes, aquæ enim illæ frigidæ & niuales cogunt feces, & multam pituitam gignunt, & intestina debilitant ac uentris musculos, unde obduratis fecibus bilis, quæ per uentrem euacuari solebat, febres ardentes gignit.

LECTIO XXXVII. SVPER VI. TEXTV.

MVlieribus autem tumores oboriuntur & pituita alba, & uix in uentre concipiunt, ac difficulter pariunt, & fœtus magnos actu/midos. deinde ex alimentis tabescentes ac deprauati fiunt. Et purgatio commoda post partum mulieribus non contingit.

Diuiditur hic Textus à superiore, quia non amplius de morbis agit qui hyeme incolis aduenium, sed tam hyeme quàm æstate. nam in præcedenti & anteriore de morbis temporum egit, (Tex. 4. & 5.) antea uerò egit non de morbis, sed affectibus & corporis dispositionibus, uelut lienis tumor, macies uentris, attenuatio clauicularum. proponit ergo septem morborum genera quæ fœminis contingunt & eorum fœtibus. Primũ œdemata, per œdemata Hippocrates (1. Prognost. 29.) tumores laxos omnes intellexit: Galenus uerò censet omnem tumorem simpliciter qualiscunque sit, eo nomine ab Hippocrate significari, (5. Aphoris. 63.) at capiamus in proprio significatu, ita ut doceamur œdemata pro tumore albo, laxo & molli, quæ à pituita fiunt, ab alba pituita distinguere. commune est ut sint tumores albi, laxi, molles, non elati sed ampli, digitis cedentes, nec in idem redeuntes, in cruribus & circa pedes maximè & uentrem geniti, citra febrem atque dolorem cum malo faciei colore. adeò tot similitudinibus contendunt etiam egregij Medici, quis debeat dici ædema quis alba pituita, nam discrimen successu temporis magnum est. Ex alba pituita transitur in ascitem, septima Aphorismorum, inde ad mortem: ædema in pedibus adeo leuis morbus est ut contemni soleat. sed in alba pituita urina est cruda & praua, non in ædemate. œdema ab alijs morbis, utpote ulceribus, percußione oritur, alba pituita non. alba pituita augescit sensim, œdema non ita: alba pituita amplectitur totum membrum, œdema non ita: alba pituita ambo crura licet non æqualiter uexat, œdema unum tantum, alba etiam pituita crassiorem cutem reddit & sæpe nigriorem, œdema tenuem & aliquando rubicundiorem. Et in uniuersum pituita alba originem ducit à iecore, œdema à propria particula. in mulieribus utrumque facile gignitur ob tres causas proprias, scilicet menses qui non bene purgantur, ut in Textu dicit, & propter pituitæ abundantiam & humorem crudum. mensium autem retentio refrigerat corpus. Est enim sanguis menstruus, ut inquit Aristoteles, sanguis crudus, & quia mulieres sunt natura frigidiores, & ob ocium.

Et in

Et in uentre uix concipiunt, Causa concipiendi est robur uteri, temperies & puritas, quibus omnibus carent cum abundent multa pituita in uentre, & plena sint acetabula muco, & sint refrigerati loci, Et humectata uincula atque laxata, nec possit uterus exacte constringi ut requiritur in conceptione, Tertio de Facultatibus naturalibus (Cap. 3.)

Et difficulter pariunt. In partu facili requiruntur robur fœtus, ut in libro de Natura pueri, (Cap. 12.) robur matris & locus satis amplus, cum ergo in huiusmodi utero etiam fœtus sint debiles & loca transitus impedita et contracta à frigore aquarum, meritò fiunt partus difficiles.

Et fœtus magni ac tumidi. Hoc sequitur ex antecedenti: cum enim infantes oriuntur laborioso partu, intumescunt & inflantur. Dicebat Hippocrates libro de Octimestri partu (Pag. 1.) Quicunque infantes tutò prodierint & in conspicuum exierint, de repente ex necessitate in uentre liberati, & crassiores ac maiores quàm pro ratione statim existunt, his non ex augumento sed laxo tumore, id contingit: & multi sani ex his pereunt. si enim tumor non resedat citius quàm tertio die aut paulo serius, morbi ex his fiunt. Dico ergo quod ex partu difficili infantes tumidi ac magni sed infirmi oriuntur: unde etiam nisi tumor ille breui residat, moriuntur. Cum uerò subijcit:

Deinde ex alimentis tabescentes, &c. Hoc totum uidetur translatum ferme ex superioribus. (Lib. 2. Tex. 6.) ad unguem, ideo explanationem illinc habebis. nisi quòd ibi adijcit, non facile abortiunt: reliqua tria, uix concipere, ibi dicit steriles difficilè pariunt & quòd lac non habent quo nutriantur. non tamen dicit quòd magni & tumidi oriantur: sed intellexit ex eo quòd subiecit maiorem morbum, dicens pueris autem hydropes in testibus fiunt: adeò ut non plenè liberentur.

Et purgatio commoda mulieribus non contingit. Hoc est ultimum ex his quæ ad mulieres pertinent. Et est, ut dixi, superius declaratum. Causæ autem quod menses male fluant, id est ut cessent ante tempus uel ut fluant rarius quàm oporteat, uel minus quàm oporteat, uel cum dolore, uel minori tempore, uel ut sint non bene sanguinei (omnes enim hi modi ad impedimentum pertinent) sunt paucitas sanguinis uel crassities, aut lentor sanguinis ipsius, aut uenarum angustia. Videamus ergo in his quibus modis dicatur impeditus & quomodo. certum est enim quod à crassitie aquarum & frigiditate. quod enim turbatæ sint, liquet eas esse crassas. cum enim terreum miscet aqueo fit turbulentum. differt tamen crassum in substantia à crasso per mistionem, hæ autem sunt crassæ utroque modo, secundum substantiam quia frigidæ & glaciatæ, & secundum contenta quia turbidæ. Dicemus etiam quòd per hæc insinuauit Hippocrates omnes morbos qui ad mensium retentionem subsequi solent. Ergo circa primum scire debetis quod Aristoteles secundo de generatione Animalium inquit. (Cap. 4.) Cæterùm menstrua nullo circuitu certo describuntur: tendunt tamen moueri decrescente mense. Et paulo pòst: Mensium autem coitus frigidi sunt propter lunæ defectum: iamq; fit ut fines mensium quàm media sint frigidiores: igitur postquam excrementum mutatum in sanguinem est, menstrua moueri tendunt eo quem modo dixi circuitu (Cap. 29. in fine.) & dixit Auerroes in Tertio collectaneorum quod tempus breue purgationis est unius diei, longum septem: & intermissionis uiginti dierum & longum triginta. Et debet legi nouem pro septem. ut si ei numero addantur uiginti, fiunt uigintinouem, uel sub triginta uno comprehenso remanent triginta. Et est quod terminus, est à coniunctione ad coniunctionem & sunt dies XXIX, horæ XIIII. fermè. Et si sint extra illos terminos, scilicet unius & septem uiginti duorum & septem sunt morbifici. Et in quibus terminus circuitus producitur, menses etiam plerunque breui fluunt tum ob temporis circuitus breuitatem, tum ob paucitatem sanguinis & crassitiem seu lentorem. Et quibus celerius etiam copiosiores & diutius ob causas contrarias. Longitudinem autem purgationis quandoque consequitur multitudo cùm spatium intermissionis breue fuerit: sin autem longum ægrè purgatur, & tunc parum purgatur & cum dolore & menses atri sunt. Et fit mala purgatio in his ob sanguinis crassitiem & uenarum angustiam. ob sanguinis autem paucitatem non fit in his. aquæ enim crudæ sanguinem multum generant licet ma-

lum. Terminus autem in quo finiuntur est quandoq; dicit Princeps, annus XXXV. & quandoq; extendit ad XXXXX. & ego uidi usque ad LVI.

Morbi autem qui sequuntur retentionem mensium describuntur à Principe: (21. tertij Trac. 3. cap. 1.) Et sunt præcipuè, sputum sanguinis, sterilitas, præfocatio uteri, febres, abscessus, uisus perturbatio, dolor capitis & hydrops. Hic tamen Hippocrates uidetur loqui de purgatione tantum, quæ fit à partu, licet posit transferri ad eam quæ est familiaris omni mensi. non semper autem contingunt omnibus in nouilunio, sed plerisque tamen menses fiunt luna decrescente. Et causa est, quoniam si ante, oporteret ut repeteretur bis in mense uno.

LECTIO XXXVIII. SVPER VII. ET VIII. TEX.

PVeris uerò herniæ accedunt, & uiris uarices & ulcera in tibia. Quare fieri non potest, ut tales naturæ longæuæ sint, sed ante temporis aduentum senescunt.

Tria in hoc Textu ab Hippocrate declarantur, (lib. 2. Tex.) primum quod, ut dixi, etiam supra declaratum est dum de Aere ac regione Boreali loqueretur: scilicet pueris accidere hernias, quæ sunt plurium generum, enterocele cum in scrotum descendunt intestina, epiplocele cum omentum, hydrocele cum aqua, sarcocele cum caro ibidem generatur, & multæ aliæ, quæ conueniunt omnes in duobus quòd locus earum est scrotum intra didymum seu peritonei partem, quæ illuc extenditur: & quod materia descendit per peritoneum ipsum dilatatum aut disruptum. raro tamen accidit ut disrumpatur, frequenter autem ut dilatetur: atque ut dixi hydrops hæc hydrocele dicitur.

Secundum est quod uiris accidunt uarices & ulcera in tibijs, sunt autem uarices quas Arabes uocant uenam Medeni. Dicebat Galenus in libro De tumoribus præter naturam, (cap. 16.) Dilatatio uenarum ex earum imbecillitate ubicunque sit ac repletio ex sanguine crasso uarie dicitur, sed propriè in scroto & cruribus. Dicebat Paulus libro sexto, (cap. 82.) nam fit etiam in temporum uenis & sub umbilico. Vbi illarum curam pulcherrime docet, ut prius excidantur, inde sinatur fluere sanguis diuisa uena superius per uinculum ligata, inde etiam sanguis inferius contentus exprimatur, demum præcidatur: quod et Princeps docet, (22. tertij Trac. 1. cap. 18.) addens quòd nigra non debet excindi nisi prius bene expurgato corpore, sed tantum rubra. Verùm melius est consilium Galeni, quod ipse dum sequi se putat non intellexit, is enim in libro de Atra bile dicit, (cap. 4. in fine.) quòd uarices fiunt redundante & decumbente melancholico sanguine in uenas. Et quod quidem habebat ulcus in tibia cum uaricosa uena, & excidit illam, & sanatum est ulcus antiquũ. Sed nouum uenæ excisæ nõ est sanatum, uerum superueniente Stratonico medico discipulo Sabini & magistro Galeni, ter aut quater secta uena brachij eductoq; sanguine nigro prima die in copia magna, inde pauco post purgato corpore sanatũ est etiam ulcus. oportet ergo primũ euacuare sanguinem collectum, post secare uenã brachij & purgare, atq; ita sanare ægrum. & hæc fuit etiam sententia eiusdem quarto de Medicamentis secundum genera, (cap. 2.) Cura autem quæ ponitur in libro cui titulus est Introductorius siue Medicus, ubi non meminit quòd debeamus sinere effluere sanguinem est cura solum chirurgica non prospiciens sanationi ægri. Dicebat tamen Galenus in libro de Sectione uenæ contra Erasistratum, (cap. 8. in fine.) Dicit ex tali tamen sanatione uaricum solent aduenire insaniæ, & morbi attoniti & laterales & uomitus sanguinis, & sputum sanguinis atq; hydrops, & dolor renalis. At in secundo ad Glauconem, (cap. 6. & 10.) enumerat alios morbos, qui sequuntur ad abundantiam atri humoris cum effunditur ex uenis in membrum aliquod, & uenæ cum hoc sunt nigræ, & sub forma pedũ cancri, uocatur carcinoma: si extra corpus hæmorrhoides: si lien est robustum tumor lienis: nam reliqui morbi, inquit, accidunt cum lien est imbecille. Si uero in totum corpus elephantiasis: si in uenis retineatur uarices, in scroto aut cruribus aut tibijs, aut in alijs uenis, ut dictum est. Quarta autem Aphorismorum adijcit, (Com. 2.) pustulas quartanam & delyrium quod est cum furore & inanitate. Præterea sexta Aphorismorum, (54.) adijcitur cæcitas, sed & comitialis. Tertio de locis, (cap. 7.) ut uideantur in uniuersum esse decem & septem, insania delyrium atrox, Attonitus morbus, comitialis, cæcitas, uomitus, sanguinis, sputum sanguinis, morbus lateralis, dolor renalis, hydrops, quartana, lien, carcinoma, elephantiasis, uarices hæmorrhoides, pustulæ nigræ. Quicunque autem

autem morbi ex eadem materia fiunt mutuò se soluunt: sed non uerè dicitur solui morbus grauiore morbo. Propterea ex his decem & septem quatuor solum dicuntur solutiones morborum, uarices, hæmorrhoides, quartanæ & pustulæ. De uaricibus ergo dicit quod soluunt insaniam, sexta Aphorismorum, (12.) idem dici potest de dolore renum. Sed & caluitiem ibidem, & quæ in scroto, uocis gracilitatem, secundo Epidemiorũ, (33.) & gibbositatem quæ fit infra septum transuersum: ubi dicit, (Par 5. in initio.) quod uarices fiunt ab humore, non solum melancholico sed quouis crudo & crasso, etsi fuerit ualde crassus fiunt in scroto, quia uenæ illæ sunt latiores (& etiam quia minus longè natura potest protrudere) si minus in cruribus. Dico si minus etiam in tibijs, & si minus etiam in pedibus, ut mihi in iuuenta accidit. Docet autem distinguere eas quæ à melancholico humore fiunt, (cap. 14.) & quæ à crudo, libro De cibis boni & mali succi ex colore. Dicebat autem sexto Epidemiorum, (Par. 6. com. 8.) quod uarices curant etiam podagram & articulorum dolores, scilicet cum fiunt uarices ab humore crudo, & sunt rubræ, ut dixi, & subalbidæ. Solutio autem morborum per hæmorrhoidas est melior, quia materia educitur extra corpus: sed longe plures morbi sanantur per uarices quam per hæmorrhoidas, nam ubi materia sit ualde crassa, non potest duci ad hæmorrhoidas: & si ducatur non potest effluere, sed torquet hominem magnis doloribus. Et persæpe producit ad abscessum: & si educatur etiam ægri non ob id liberantur. Quartanæ uero meliores sunt hæmorrhoidibus & securiores uaricibus, ideo quasi mediæ. Pustulæ si finiant morbum, à tenuiore humore fiunt. Et similiter ulcera quæ in insanientibus cum morbus ex his non finitur, lethale signum sunt. Notandum autem quod à solutione ad generationem semper ualet per se, & per accidens, sed à generatione ad solutionem non nisi per se: uelut si dicamus, ex aduẽtu uaricum soluitur renum dolor, ergo sanatis uaricibus dolor renum potest subsequi sanationem, uaricum ergo ex aduentu ascites poterit sanari: non ualet, quia ascites per accidens subsequitur uarices, cum ascites ex aquea materia, uarices ex crassa generentur, ualet etiam si dolor renum per accidens sequeretur sanationem uaricum. Sed non ualet ascites subsequitur, & ulcera in tibijs, si humor fuerit tenuior & acrior.

Quare fieri non potest ut tales naturæ sint longæuæ uitæ.] Constat enim quod abundant humore pessimo, & uitæ contrario, & à quo sæuissimi morbi fiunt, senescunt enim ante tempus. Et non solum propter hoc, sed quoniam generantur multa excrementa, ut quæ sunt contraria uitæ longitudini, ut ab Aristotele libro De longitudine & breuitate uitæ, (cap. 2.) & primo De tuenda sanitate.

TEX. VIII.

PRæterea fœminæ se in utero habere putant, & ubi partus tempus adest, uentris moles illa ac plenitudo euanescit. Hoc autem contingit ex aqua, cum uteri ex aqua concepta laborant. Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas esse censeo.

Postquàm locutus est de pueris ac uiris, & ideo de ætatibus, cum dixit quòd ante tempus senescunt, ut intelligamus etiam quod ægram habent senectam, hic loquitur de sexu. Proponit ergo casum de mulieribus in utero cum nõ sint prægnantes, habere putant, ut habetur in libro De natura muliebri his uerbis: si uteri inflammati fuerint menses omnino non prodeunt, aut praui & pauci: & cum ieiuna est, uomitus ipsam corripit. Vbi uerò quid ederit uomit cibos, & dolor imum uentrem ac lumbos habet, & animi deliquium inuadit. Venter autem aliquando durus, aliquando mollis est & inflatur, ac magnus fit: & putat se in uentre habere. Si uerò contigerit plenitudo illa uacua fit, huic usq; ad decimum mensem plenitudo illa augetur uelut in uentre habenti. Vbi uerò decem menses præterierint, uenter aqua impletur, & umbilicus emimet, & si digitum admoueris os uteri collapsum & gracile inuenies. Et ubi menses apparuerint pauci sunt & praui. (pag. 7.) Et clauiculæ ac collum attenuantur, & pedes intumescunt.

In primo etiam De mulierũ morbis, dum agit de aqua intercute, adijcit hæc uerba: (pag. 24.) Et uenter ipsi magnus erit, & grauitas intus erit, uelut in uentre habenti: & uelut puer in uentre ipsius moueri uidebitur. nimirum dum uteri aqua pleni sunt, & aqua moritur. Aliàs enim atq; aliàs aqua fluctuat in ipsis uelut in uere: & pars infra umbilicũ dolet, & clauiculæ & facies & thorax, & oculi attenuantur, & mammæ attolluntur. De cognitione uerò an utero gerat infantẽ, docuit in libro De superfœtatione, (pag. 3.) & quinta Aphoris. de mulsa (47.) Ideo sunt tria similia uteri,

uteri, hydrops, fœtus mortuus, & infans qui moritur. Discernitur autem certo experimento cum lintea frigida uino rubro astringenti madefacta, & in manu leuiter expressa paululumq; concalefacta diuersis in locis imponũtur super uentrem: ubi enim fœtus trimestri maior est mouetur hinde: si non mouetur, non est fœtus, sed morbus, aut non uiuit.

Atq; has quidem aquas.] Docet huiusmodi aquas omnino prauas esse: Vt etiam Columella ait (1. de Re Rustic. cap. 5.) Nec paludem
" quidem oportet esse iunctam ædificijs quòd calo-
" ribus noxium uirus eructat, et infestis aculeis ar-
" mata gignat animalia, quæ in nos densissimis exa-
" minibus inuolant. tum etiam nauicum serpenti-
" umq; pestes hyberna destitutas uligine, cœno, &
" fermentata coluuie uenenatas emittit: ex quibus
" sæpe contrahuntur morbi cæci, quorum causas ne
" medici quidem perspicere queunt. Itaq; patet ratio dictorum Hippocratis. Adijcit ille quod hyeme licet semper pestilens, minus tamen mala est imbribus edomita palustris aqua.

LECTIO XXXIX. SVPER TEX. IX. ET X.

SEcundo uerò loco eas quarum fontes è petris scaturiunt. Duras enim esse necesse est.

Aquas huiusmodi crudas esse necesse est ob frigiditatem. Si enim à calido omnis coctio procedit, & hæ feruntur per loca frigida, et inter saxa, & oriuntur à locis frigidis, necesse est crudas esse, nec turbidas tamen, ut suprà docuimus, quare ad distributionem inepte & ad coctionem similiter, præsertim si uersus septentrionem aut occidentem ferantur. Quæ uerò ex his accidant mala supra (Tex. 8.) secundo libro dictum est. Durities alui, fluxiones ad pectus, edaces homines, morbi acuti, & hernia gulæ quam quidam uocant Broncocelem. Præterea aquæ omnes eiusmodi malæ sunt, & inimicæ pectori ac neruis, & tormina mouẽt: & tandem in hydropem terminãtur. mouent & hernias quoniam flatuosæ sunt. hæc Oribasius in quinto Collectaneorum (cap. 3.) infra etiam docet, quod tales aquæ difficulter minguntur, & potest etiam transferri ad sudores, & ideò ueniunt iam ad suppressionem urinæ, ad calculum & maxime metallicæ, & generaliter nullum non torbum procreare possunt, sed sunt seges omnium malorum & ægritudinum. Et propriæ longarum uel humidarum, ut destillationum & huiusmodi. Suppressio enim urinæ in partibus superioribus corrumpit sanguinem. Sed quomodo dixit eas esse secundo loco, nam si de bonis agit, nequaquam primum inter bonas sunt connumerandæ: & etiam quia sermo non proprius esset cum de bonis hucusque locutus sit: si de malis deteriores uidentur esse calidæ, de quibus mox acturus est. Et ideo oportet uerba illa transferre etiam ad sequentem textum, ut sub eo comprehendatur, quod nunc subijcit, adeò ut malarum aquarum non tria, sed duo tantum genera commemoret. Et maximè quia hæ & sequentes, ut infra docebit, una sub ratione continentur, quod non sint simpliciter malæ, sed quibusdam malæ, quibusdam bonæ, ideò sunt secundi generis, & tamen malæ appellandæ.

TEX. X.

AVt istic, ubi calidæ aquæ existunt, aut ferrum nascitur, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum. Hæc enim omnia præuiolentia caloris nascũtur. Non itaq; ex huiusmodi terra aquæ bonæ prodeunt, sed duræ & æstuosæ quæ & difficulter minguntur, & ad alui egestionem contrariæ sunt.

Enumerat octo genera aquarum calentium, quæ omnia damnat quo ad usum cibi, in duobus quod sint duræ & calidæ: enumerat quatuor ex his à metallis, ferream, æream, argenteam, auream: à metallicis totidem: sulphur, bitumen, nitrum, & alumen. Et ideo aqua aurea licet sit bona inter reliquas, & argentea post illam, tamen non possunt imbui in has absq; magno calore, sed magnus calor non naturalis, id est à terra, non à sole ac stellis profectus est inimicus naturæ humanæ, igitur tales aquæ non sunt bonæ pro usu humano. Ex quo patet quomodo etiam sint crudæ, nam cum calor præter naturam non concoquat, sed potius corrumpat, tales aquæ sunt necessariò malæ, ex quo colligitur quòd aqua impura quæ coquitur nisi percoletur fit deterior. Aquæ autem coctæ puræ sunt tenuiores, & meliores defillatæ, ideò imbriferæ cum sit similis, ei est melior omnibus, tum quia cocta à calore solis.

Ex hoc Textu uidetur sumi illud dogma, quòd omnes aquæ thermarum excalefaciant, tum ob

autoritatem Hippocratis, tum eius rationem, tum Galeni sententiam, de quo in libro 5. Contradicentium, capite 18. ideo sufficiat adiecisse distinctionem hîc de quadruplici calore: scilicet à Sole, & hoc modo sunt crudæ, quia sub terra perpetuò manent: à calore sensili, ut emergant tales. Et ita clarum est, quasdam ex his quæ uim habent metallicam frigidas nasci, imò etiam ualde frigidas à calore qui misceat, & eiusmodi calidam potestatem nanciscuntur. Quum enim nihil prohibeat frigidas aquas contrahere absque calore uim metallorum, ut uidemus in ductibus aquarũ per fistulas plumbeas & æreas, quum illæ uentriculo ualde noxiæ sint, hæ etiam medicamentosæ, quanto magis quæ transeunt per gypsum, at gypsum frigidissimum est. Eiusmodiq; aquas habemus Bononiæ plus quàm uellemus, etiam quas palàm est caloris esse expertes. Et si quis dicat, fistulas esse continuas, non metalla aut metallica thermarum, respondemus, & moram esse diuturniorem, & cursum tardiorem, & materiam dissolutam magis: adeò ut dubium non sit quin talis aqua sit frigida. Sed in metallicis solùm calida commemorauit Hippocrates: nam alumen antiquorum à modò aliud est, & est calidum, dicente Dioscoride libro 5, capite octauo, Omne alumen calefacit: metalla uerò adeò non possunt abundare, ut perpetuus sit decursus per illa sub terra, & ut ob id uim eorum recipiant, ni à calore comminuantur. De gypso Hippocrates nõ negaret esse frigidam, quia gypsum lapis est: ideo continentur tales aquæ sub genere antedicto, quæ à petris scaturiũt. Quartum genus caloris est ex ui imbuta à materia, & ita ferreæ sunt frigidæ & argenteæ, aureæ autem sunt temperatæ. Et quoniam in hos sermones incidimus, scripsère autem satis copiosè & diligenter in huiusmodi materia tres uiri, Michael Sauonarola, Bartholomeus Cliuolus, & Gabriel Fullopius. Dicamus ergo primùm quòd omnia balnea calida ob ignem accensum sub terra sunt: quæ autem fomenta sunt, ignis sub terra tria sunt, sulphur maximè, imbecillissimum nitrum, nec id antiquorum, sed nouum, medium bitumen. omnia ergo balnea calida sulphure, aut bitumine, aut nitro abundant: sed priorum duorum plura sunt exempla, tertij nulla, aut admodum pauca.

Sulphur igitur, teste Galeno libro 9 de Simplicibus medicamentis, calidum est, tenue, & trahens, hæc cognouit Galenus. præterea etiam siccat, & utrumque in tertio ordine, non in quarto: præterea purgat per aluum, & uomitum ualde excitat. Aquæ autem thermarum, teste Galeno, libro de Tuenda sanitate, capite nono, omnes calido capiti sunt inimicissimæ: quoniam bituminosæ & sulphureæ calidæ sunt, aluminosæ astringunt: hæ igitur si calidæ sint, duplici ratione excalefaciunt: quæ ergo sulphureæ sunt, dum attrahunt & digerunt, scabiei sunt utilissimæ. Expurgant etiam humidos humores & crassos attenuant, aduersantur etiam uenenis. & ob id membris naturalibus plurimùm conferunt, & imbecillitati uentriculi, quæ ex huiusmodi causa pendet. Quantitatem autem sulphuris deprehendes ex caliditate, ex odore, ex sapore, ex operatione, ex substantiæ turbulentia ac destillatione. Quum autem sulphur optimum natiuum sit, quod splendet, quod perspicuum est & subuiride cum flauo misto, absq; terra ac lapillis, quæ lucidior est, melior est. Vehementer autem calida necessariò mala est: quoniam partes plurimas exustas habet. Est autem balnearum omnium quintuplex usus, potus, balneum, stilla, lutum, & fit ex recremento fundi balnei, & in eo sunt partes semper præter materiam propriam exustæ, & aliæ terreæ, aliæ aqueæ. Iuuat etiam in morbo Indico & in doloribus antiquis.

Bitumen uerò calidum est & siccum in secundo ordine, libro undecimo, de Simplicibus medicamentis, iuxta finem. Tria habet propria, emollit, si quid aliud sanguinem intus congelatum dissoluit, & saniem educit ex pectore, hæcque duo sunt à Principe, secundo Canone, capite proprio, commemorata. Propter hæc ad scirrhos iecoris & lienis & phthisicos multis modis utile est. Et eius etiam potio uterinis morbis tum sine doloribus utilis est: & generaliter ut sulphur ad attenuandum ita bitumen ad emolliendum, & alumen ad astringendum, & aphronitrum ad incidendum. sed nitro utimur eius loco, quoniam aphronitrum uentriculo inimicissimum est. Bituminis autem duo præcipua genera, Iudaicum ad medicamenta, & naphta quæ maximè ardet: & in Italia inuenitur, præcipuè Muttinæ, ubi etiam fontes aquarum bituminosarum, & ut olim in Baiano agro, & Lipari insula. Sunt autem splendidæ, molles, oleosæ, coloris sublutei & subpurpurei, & grauè olentes. Oleum quod ex his colligitur, de Saxo appellatur. Proprium est bituminis non secus ardere in aqua, quàm extra, quod etiam caphuræ conuenit, experimento mirabili. Aquæ ergo bituminosæ ex sicco bitumine sunt, quæ exhiberi possunt in potu, non

tu,non illæ in quibus oleum supernatat,quum ferri nequeant.

Nitrum calidum est & siccum in secundo ordine,& est magis siccum quàm calidum,ut sit in initio tertij, incidit & attenuat, & ad aperiendum iecoris obstructiones utile est, et purgat ac siccat uterum: & sistit fluxiones,sed uentriculo,ut dixi, est inimicum.

Dignoscitur autẽ difficulter huiusmodi aqua, propter magnam permistionem & saporis leuitatem,quum etiam odore careat. Est tamen aliquantulum cærulea, & quum tenetur in ore acris est, & linguam totam permeat,& amara est. Salsa autem solùm amara,& salsa est,& non acris,nec adeò permeat linguam. Purgat potenter,& à remotis et uarios humores, ut etiam bilem nigram, licet præcipuè pituitam,sed cit uomitum. Aquæ autem thermarum trifariam mistæ sunt: aliæ secundum qualitatem & substantiam, & tenuissimam,ut metallicæ, præcipuè aureæ & argenteæ, inde nitrosæ. Aliæ permistæ cum substantia mediocri: ita tamen,ut possint igne separari,& non difficulter. Aliæ permistæ cũ crassa materia,quæ solo linteo & longa percolatione separantur: sicut quæ cum arena et sulphure crasso mistæ sunt.

LECTIO XXXX. SVPER EODEM TEXT. X.

Aluminosæ autem astringũt omnes fluxiones, & sanguinem undequaq; manantem, & omnes calefaciunt,sed magis etiam reficcant. Non cognoscuntur odore,nec colore,sed solo gustu: immodicè enim astringunt, ut etiam palatum & dentes, non solùm linguam,sed absq; acerbitate. Dentibus uerò stuporem adijcit: uerum quia & aliæ astringunt,non aluminosæ. Faloppius modum dignoscendi quid in unaquaque aqua contineatur,edocuit. Filtrum triangulum longioris isocelis forma parte basis madefactum simplici aqua extra uas suspendito: caput ipsum intus in aquam immergito,quam uis explorare: tota enim ascendet,& sex in imo uasis subsidebit. Quæcunq; uerò aquæ acidæ sunt, incidendi facultatem tantò maiorem habent,quantò sapor in his exuberat. Sed & ab alumine & calcantho sapor is fit, comminuunt autem lapidem, maximè aquæ Anticolis, iuxta Romam XXX.M.P. circiter,adeò ut etiam uesicæ. Sed quum sint tria genera aluminis, scissile quod uocant scariolam, differtq; parum ab amiantho specie,& quòd utrunq; accensum non uritur,sed minus amianthus: at hic ligneis schidijs interstinguitur,nõ alumen,& rotundum natura medium inter scissile & liquidum,quod existimant esse Roche,id est,ab arce deducto nomine inuentæ. nam ab initio liquidum est, concrescit arte, & rursus liquescit,& aqua & igne. hoc crassius est. Valet aqua propriæ sputo sanguinis, licet non prorsus, quũ calida sit. constringit omnia membra interna,& uentriculum roborat.

Aurea aqua uiribus optimis prædita est,nec apud nos inuenitur, sed ubi thermæ apud Indos in auri fodinis scaturiunt. Hippocrates ponit,ratio suadet: nil natura intentatum reliquit,optima nõ deserit,rarò præbet. Vitam producit,lætitiam gignit,dolorem cordis tollit, & eos qui soli loquuntur,curat. Nec Fallopio credo,qui non putat esse: multò minus his qui eas damnant, dicentes quòd aurum & argentũ sulphure & argento uiuo constant: hoc enim inane est. Optima est & immortalis appellanda, quæ lapide cœruleo & auro constat: hæc enim liberat ab omnib. morbis perniciosis,& iuuentutem reuocat,canos retardat, sensus acuit: nam eum humorem purgat,qui senij & omnium malorum causa est.

Argentea pariter confert palpitationi cordis, non adeò efficax ut aurea. Roborat omnes sensus & facultates,refrigerat. Reperitur in agro Liuentino, ut Falliopius refert, loco appellato Tretto, sed ille negat aquæ metalli quicquam immistum esse. Multis alijs in locis in Germania inuenitur. Fallopius est huius sententiæ,quòd nulla aqua inueniatur imbuta metallica ui, quæ quæstio pendet ex distinctione data superius. nam aliud est de uiribus, aliud de substantia, quæ non potest separari, aliud de ea, quæ potest separari. De uiribus dubium non est, si fateamur aquas, quæ transeunt per plumbum & æs. esse maleficas. Et de hoc habemus experimentum & authoritatem omnium doctorum saltem, quod aqua chalybeata astringit. dicit aliquis, Etiam si in ea carbo ligneus accensus extinguatur. ideo meo iudicio hæc quæstio habet plura capita: primùm an à chalybe, uel ære ignita in aquam uis aliqua decidat? secunda,an citra ignem communicetur: tertia an illa uis possit esse prorsus absq; substantia? quarta an concesso quòd aliquid decidatur ex ære & ferro,quæ metalla comminuuntur, an idem sit dicendum de argento & auro? Inde oritur quinta dubitatio,an aurum prorsus nõ comminuatur in igne, ut aurifices dicunt,uel minimum id sit,quod comminuitur in eo aliorum comparatione, ut Plinius sentit,& ratio dictat. quum sit mistum & res corruptioni

ruptioni obnoxia. Stultum enim uidetur concedere uelle, aurum esse incorruptibile, cum nil prorsus corporeum infra lunam tale sit: nisi forsan elementa. Sexta, an concesso quòd uis metallica communicetur aquæ per moram, aut per ignem: an naturaliter id fiat. nam Falloppius negat, quia dicit nullo experimento deprehendere, potius se aliquã substantiam metallicam, neq; etiam ferri, neq; æris, neq; plumbi, neq; argẽti uiui, in aqua ulla balnei explorasse lucensem Villæ, & Caldarinã Veronensem, in qua pro confesso, omnes habent esse substantiam ferri, & nihil omnino inuenisse. Hic quædam supponere oportet, primum quod quæstiones hæ tractandæ sunt, medica ratione & non ut à Philosopho. Ex quo duo sequuntur, primum quod ubi ex sensu non deprehendatur aliqua substantia metalli, debet Medicus dicere aperte, non adesse, quoniam dirigit rationem totam suam ad opus. Secundum quod cum deprehenditur uis metalli, apud medicum parũ refert, an sit metalli substantia an non sit. Secũdum suppositum est, quod aliud est succus alicuius rei, aliud res ipsa. Et nomẽ succi etiam est homonymum, aliud re est dicere, succus lapideus, & succus succi nominis communis, nomine intelligimus quicquid est perspicue substantiæ, & in qua liquari potest, tale enim ab initio fuit liquidum, & hunc humorem uocat Aristoteles. Et est duorum generum quod inuenitur liquidum propriè ut alumen liquidum, seu roche, & quod iam concreuit, ut sal. succus autem huius aut illius rei ut pote marmoris, dicitur qui eius naturæ est, sed est perspicuum & soluitur aqua uel igne, ut succus christalli qui inuenitur cũ argento, quẽ ego sæpe uidi: is licet non soluatur aqua, soluitur igne. Chalchantum igitur, & quæ sunt eius generis ut misy, psory, chalcitis, ut Galenus refert (9. de Simpl. Med. iuxta finem.) sunt eius generis & succi simpliciter. Est etiam succus quidam in metallis pars, scilicet aquea, quæ ab illis desluit tenuis quæq; prius consumitur. unde referunt in uẽtriculo gallinarum, comminui metalla etiam aurum, & id testatur Auerrois. Quibus intellectis, dico nullam aquam propriè metallicam esse, tum quia sensus ostendit, si uera sunt quæ Falloppius refert: tum etiam quia ratio suadet: cum enim sit multo grauius metallum, ut aliàs ostendi, aqua in ea diu quiescente sustineri non posset, sed descenderet. Esse tamen in ea facultatem liquet, quoniam aqua chalybeata est potentior: ad roborandũ uentriculum & inteſtina & iecur, non solùm ad sistendam aluum quam aqua carbonis accensi in ea extincti. Dico tertiò quòd inueniuntur, aquæ imbutæ succis metallorũ, quia difficile est ponere ueres in aliquo sine aliqua substantia. Primæ enim qualitates etiam permeant, cum substantia uaporosa. Et si illæ sine ea permeant ut in adamante posito in ignem, & in auro quod etiam difficile est admittere, tunc non succedet aliqua qualitas, secũda aut tertia in illo: Medicus enim non debet concedere qualitates secundas aut tertias permeare sine substantia, cum uideat semper coniunctas cum illa: secus de primis, cum uideat in cœlestibus hoc, sol enim calefacit hæc inferiora, absq; hoc quod substantiam suam communicet. Et quamuis sol trahat & rarefaciat per caliditatẽ: hoc est quia illa est in actu nõ sola potestate. At in aqua chalybeata quomodo astringetur. Postquam refrigerata fuerit, cum calor non astringat sed laxet: Si dicas quia exsiccauit, eam iam non astringet, sed minus laxabit cum uel sic sit humidissima. Portio ergo succi chalybis admista aquæ, est illa quæ astringit. quoniam transiuit & colliquata est, dum chalybs candaret in aquam: & cum portione terræ tenuissima. & non prohibet quod non sit succus: quia in succis est etiã portio terrea, aliter nõ concrescerent: sed sufficit ad hoc ut sit succus, ut portio terrea non sit tanta ut prohibeat perspicuitatem. Ideo metalla non dicuntur succi, licet ab igne liquescant, quia non habent tam parum terræ, ut uel cõcreta, uel etiã liquata sint perspicua. Quod autem in aqua uillæ sit aliquid succi ferrei liquet: quoniam nil aliud est metallicum, ut patet per singula quod habeat uim eam, quam illa præter ferrum & chalybem, utpote quod sistat sanguinem undequaq; fluentem, maximè menstruũ & hæmorrhoidarum, prohibeat conceptionem & sanguinis mictum & sputum, & confirmet uentriculum laxum admodum, ut etiam facit substantia eius, et scobs bibita cum uino, ut narrat Princeps Secundo Canonis (Cap. 688.) unde usus exhibendi uinum cum scoria ferri in oliuis, & cum hoc refrigeret & uenerem iuuet, & lienem imminuat & extenuet, qui effectus penè contrarij sunt. Et causa etiam est huius, quoniam succus cum sit potestate aqueus, & ab initio metallum imperfectum mi scetur, in thermis ab initio ut materia metallica non ut metallum, hoc enim est generale ut principia in omnibus ab ipsa generatione misceantur, cum autem perfecta sint tunc secernuntur: & hoc est uerisimile, et uerum etiam, & congruit omnibus experimentis. & si quis dicat, quod nulla materia talis inuenitur in experimento destillationis

neque per filtrum neque per ignem: dico quod inuenitur plus de aqua clara quam in alijs: quia illa est admista succo ferri, uel est ipsemet succus, & ideo experimentum concludit oppositum. Ideo dico quod idem contingit de argento, licet multo rarius, & de auro etiam sed rarissimè, non enim aqua quæ transit per aurum, sed quæ per loca ubi generatur, & quando prius succus est, eas uires habet. nam inter tempus dum succus est, & dum perficitur aurum multa secula interueniunt, & iam desinunt aquæ illæ dum aurum perfectum est. Sit a locus generationis auri, nunc quod perficietur in duobus millibus annorum, & aqua c, fluat per locum illum b, autem locus ubi est aurum, & d. Aqua fluat per eum, dico quod aqua quæ fluit per c, est eligenda nunc non d: d autem iam duobus millibus ab hinc annis poterat dici aqua aurea, sed forsan tunc nulla fluebat. Est etiam istud difficile in aqua calida, quia calor ille præter naturam impediret generationem auri, seu perfectionem illius: idem dico de aquis argenteis, ferreis & æreis. ideo frigidæ sunt meliores & tutiores. imò cum hoc ubi transeunt, metallum non perficitur: sed partes succi metallì quæ sunt propè in aquam per terram descendunt, & aqua eluit terram ita inficitur illo succo. Et licet modus uideatur difficilis: nihil tamen difficile in tanta magnitudine terræ, & tanta profunditate, & tam uarijs locis, atque tanta seculorum multitudine. imò tanto uerior est æstimanda hæc ratio quo nobis difficilior uidetur, nam, ut recte dicebat Philosophus (2. Prin. Philosophiæ in initio.) quæ nobis sunt obscurissima perspicientibus mente, tanquam noctuæ lucem solis, ea sunt naturæ clarissima, ideoq; etiam facillima & consueta.

Aereæ uerò aquæ uomitum prouocant, corruptum habitum corrigunt, & aquam hydropicorum soluunt, & lienem sanant, & iecur robustum reddunt, ac ad bonam temperiem reducunt. Est enim æs colore simile ualde substantiæ iecoris. & Princeps hoc affirmat (2. Canonis cap. 235) & experimentum id docet. sanant etiam ulcera maligna interiora, & astringunt, unde etiam roborant uiscera, sunt tamen calidiores ferreis, & tamen cum hoc non procul à temperamento, reliquarum nulla est antedictis præstantior: nam ex metallis hæc sunt temperatiora, robustiora & præstantiora, ac magis cocta ex metallicis quæ retulimus singula habent præstantiorem quandam facultatem, & proprietates nobiles, & sunt magis innoxia cæteris: unde etiam meritò ab Hippocrate relata & sola connumerata.

LECTIO XLI. SVPER EODEM TEX. X. ET XI.

Circa usum earum Archigenes, ut ab Aetio habetur, incipiebat ab heminis tribus, & sunt prope XL. unciæ, & finis erat duplum unciæ scilicet LXXX. uel circa. inde regrediuntur sensim ad eandem quantitatem, quamuis Herodotus de mora balnei loquatur, non de quantitate potus. neque etiam regulæ aliorum sunt habendæ pro norma, nisi rationem prodant, aut ab Hippocrate proditæ. Sed neque de temporis longitudine prodiderunt quicquam, quidam de tempore anni. sed omnia sine ratione & plerunque nocitura: sumuntur ergo aquæ thermarum ad educendum, ad sistendum, ad mutandum temperiem, ad molliendum, ad aperiendum. Quæ ad educendum humores bilioſos iuxta finem ueris, antequam exurantur (nam semper calido tempore indigent propter quantitatem immodicam) quæ ad pituitoſos initio æstatis: nam sub cane & ante canem difficiles sunt medicationes, (4. Aphoris. 5.) Ad sistendum sub fine ueris, uel in fine æstatis, ad mutandum intemperiem si calida sit, tempus frigidissimum requiritur, ut aer non prohibeat opus. ideo in medio ueris ad frigidam, in calidam finis ueris: nam aer adiuuabit. Ad molliendum finis ueris, & si materia crassa sit, & æger robustus initium æstatis. Ad aperiendum aut detergendum pauca quantitas sufficit, cumq; mora in his noxam afferat statim, ubi occasio adfuerit. Tempus donec finem consecutus fueris perfectè, solet breuius reddi, uel quoniam uires non ferant, uel quia noccant, uel quoniam non iuuent, uel cum suspicio est magni periculi. quo scopo omisso aliqui ægros etiam ex leui morbo occiderunt. Semper autem cum non exit, aut non pro ratione metuere oportet. Quantitatem metieris ab exitu, ab operatione, à facilitate ferendi. si bene prodeat, facile feratur & sufficienter operetur, debita est: si feratur facile minus tamen operetur, augenda est: contra si bene operetur, & non prodeat, aut non facile feratur minuere oportet, si non facile feratur, & non prodeat, aut augenda est, aut desistendum: nunquam minuenda est, nam minus prodibit nec magis operabitur. Quantitas ergo maxima unius diei est librarum duodecim,

duodecim, si lenis sit ut uillæ, octo si mediocris ut Aquarij, quinque cum sulphurea fuerit, & potentissima ut Patauinæ pleræque. Ab initio (quoniam præterquam in educendo tempus producere melius est, seu mutare temperaturam uelimus melius, & sine periculo longo id quod breui tempore facere licet: seu aperire meatus, seu sistere fluxiones, seu mollire) à quarta parte incipiemus: nam & in mutanda intemperie aliquando sufficiet, ut maxima quantitas unius diei sit quatuor librarum. totam ergo quantitatem definiemus præterquàm in aperiendis obstructionibus à libris sexaginta ad centum. quam diuidemus sic ut in purgando medium sit duplum initio, in cæteris quadruplum. Non enim multum producere tempus licet ob periculosam illius mutationem. reliqua, ut dixi, ex fine definire oportet. Calidam assumere oportet præsertim cum purgare uolumus, aut ad calidum mutare intemperiem. tepidam cum uolumus mollire aut aperire uel detergere: temperatam cum sistere aut refrigerare. Quæ ualde mistæ sunt deferri in longas regiones, possunt & diu seruantur, ut Lucenses, Veronenses, quæ turbidæ sunt & sulphureæ in loco ipso eas bibere oportet. Euanescit enim uis earum & corrumpuntur.

Cum purgare uolueris ab initio exhibent aquam Montis Catini, quæ uulgo dicitur Tettucij, aut salsam aquam, aut mannam: ego autem soleo addere Sacchari rubri, quod in panibus uendi solet, & est manifestè salsum & parum dulce, uncias duas aut tres, & nunquam uoto frustratus sum. Sin autem per urinam ducere uelimus, syrupum Byzantinum aut acetosum de duabus radicibus sub eadem quantitate ab initio dabimus aquæ mistum. In prandio parum aut nihil assumat ob uentriculi laborem, uitellum oui & modicum panis ex iure: neque enim dormire potest, neque cœnare poterit, sed in cœna quæ erit sex horis post prandium, assumet carnes pulli cum omphacio. panem ualde leuem nec multum, uinumq; album, leue sumat, aquam crudam, & fructus & olera cæteraq; huiusmodi deuitet.

Sed sunt qui aquis thermarum cibum incoquunt. sed hoc non uidetur esse conueniens rationi: nam substantia illa corrumpitur, & cibus etiam corrumpitur à qualitate medicamenti: nihilominus usus docuit posse in morbis contagiosis, imo debere cibos esse imbutos in medicamenti, ut in Indica lue. Difficultas ergo solum est de corruptione uirium aquæ ab igne, non de corruptione cibi ab aqua. Et sicut incoquimus cum cibis herbas, ità etiam aquas thermarum: sed quia ignis separat coniuncta, & coniungit separata ideò aqua thermarum, quam constat facile separari, & per destillationem & filtrum ex coctione corrumpitur. Sed neque cum cibo sumenda, namq; parum inutilis est. quid enim confert libra una aquæ Lucensi aut duæ cum cibo? Sin autem ualida corrumpet cibum & uomitum excitabit, ut sulphurea, dixi enim quod omnis materia terrea uomitum excitat. non est autem idem iudicium de aqua ligni Indi aut uino, quoniam neque lignum neque cortex sunt inimica naturæ nostræ, neque uomitum excitant, ideo utiliter exhibentur. Relinquitur solum aqua quæ mista esset succo potenti, uelut lapidis alicuius aut quæ plurimum succi argenti aut ferri contineret: sed hanc quæ sit ignoramus. illa enim si haberetur posset commodè exhibita prodesse.

TEX. XI.

OPtimę uerò sunt quæ ex sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt. Hæ enim & dulces sunt, & claræ, & uinum modicum ferre possunt, & hyeme calidæ fiunt, æstate uerò frigidæ. Tales enim fuerint ex profundissimis fontibus. Maxime uerò laudare eas oportet, quarum fluxiones ad solis exortus erumpunt, & præsertim ad æstiuos. Necesse est enim splendidiores esse, odoratas ac leues.

Cum aquas à quatuor generibus distinxerit, à natura loci unde oriuntur, ab aspectu, ab origine & transmutatione seu materia ex qua fiunt, proposuissetq; pessimas primi generis tum malas, scilicet ratione loci & terrarum undę oriuntur, nũc optimam proponit quam probat ex tribus conditionibus, prima quod ex sublimi loco descendat, moderatè tamen, id est ex collibus. Secunda, quod fluat per terram & arenam, non lapides aut lutum, tertia quod fons respiciat orientem & feratur ad occidentem.

Probat autem ex quinque conditionibus à colore, ut sint albæ, ita interpres transtulit, à sapore dulces, ab accidenti quodam quod uinum paucum ferant: à mutatione quod æstate frigidæ, hyeme calidæ sint, demum quod ex profundis fontibus. singula non leuem difficultatem habent, pri-

mum quod albæ sint: nam declaratum est à nobis in libro de Coloribus & gemmis, quod nullum perspicuum potest esse album, nec ullum album perspicuum: album enim est in quo lux retinetur, ut in niue, cerusa, calce, lacte, & ubi multa uidetur ibi manifestè, at in perspicuo non retinetur, ideo nullum album potest esse perspicuum: cum ergo aqua bona non sit nisi etiam sit perspicua, hæc enim aquæ prima conditio, aqua alba planè corrupta erit. λευκὸν significat & album & clarum etiam & serenum, & ideo debemus legere clara non alba. Candida etiam uocatur ac pura & nitida. Vnde λευκάπτιν Sophocles diem uocat serenum & candidum. Splendidam denique interpretari oportet, si ad sensum respicimus medium inter uerum sensum, at qui ad dictionis significatum pertinet, est clarum seu serenum seu candidum. Nonnius λευκὰς φωνὴ uox candida & aperta, nam alba nullo modo esse potest, nitida etiam optime aqua significatur.

Dulcis autem non propriè est aqua bona, sed iucunda & grata gustui, nam in libro de Ptisana dicebat, (capite secundo) ut neque dulcis, nec salsa nec acida nec acris, sed omnis prorsus sit qualitatis expers, quod Græci ἄποιον uocant. Et quarto in sextum Epidemiorum. (Com. 10.) Dico autem optimam aquam, & omni uitio carentem, quæ neque limi quicquam habet, neque malè olet & gustantibus nullam qualitatem præ se fert. Quo circa eam probabimus quæ dulcis est, quoniam sitientibus expers saporis dulce non leuiter uidetur: nam quæ alienæ particeps est qualitatis nunquam dulcis aut suauis, prorsus etiam sitientibus uidebitur.

Et uinum modicum ferunt.] Imo forsitan uinum ipsum dicemus parum aquæ ferre quod leue est: Alemanus exponit quod uinum illam citissimè penetret, & ei permisceatur. Sed quid hoc ad Hippocratis uerba? oportet ergo interpretari: quæ à modico uino uincitur, ut iam non sentiatur: hoc est aquam modicum uinum ferre: nam à plurimo, imò etiam mediocri adeo immutatur cum optima fuerit, ut prorsus aquã permistam illi esse non iudices. at si salsa sit etiã quod multum uini miscueris subsalsum totum fiet. idem si limosa aut malè odorata fuerit.

Et hyeme calidæ sunt, æstate autem frigidæ.] Hippocrates in libro de Natura pueri (Pag. 8. & 9.) inquit, quòd profunda pars terræ calidior est in hyeme quam in æstate: suprema autem contrario modo. De hac secunda parte ratio clara est, quia aer talis est. Et ob id etiam aquæ quæ non sunt profundæ, sunt terræ & aeri similes. Sed de profunda parte reddit rationem, quia ima terræ calida sunt, hyeme autem calor refrigerari non potest, quoniam densata est terra, tum quia imbuta aqua, tum quia constricta à frigore: in æstate autem cum sit rara terra, & calor expirat, & spiritus frigidus ingreditur. refrigerata terra refrigerantur aquæ quæ in illa continentur: ueluti uasa & contentis in eo. Et ideo quanto profundior est fons seu puteus, eo magis incalescit aqua hyeme, & hoc certum est: sed dubium relinquitur, quia æstate etiam calidior esse deberet. Et reddit testimonium ex exemplo quod conculcata & constricta magis incalescant quam rara exemplo firmi: & dicit quod uidit uestes pelliceas constrictas, quæ exustæ sunt perinde, ac si ab igne. Et dicit quòd humida magis incalescunt, quoniam magis in eis prohibetur spiritus. Dico quod ratio hæc est, omnia elementa participant calore, sed terra minus omnibus ob siccitatem, & quia rarior est, & aer ob tenuitatem: aqua uero multum caloris continet, sed quia est in perpetuo motu, ideò frigida est. Et uult quòd aqua ut profundior est æstate, tanto est frigidior, & quanto magis mouetur. Sed hoc tam æstate quam hyeme: adeò ut causa frigiditatis aquæ sit duplex, una generalis motus, alia tempori æstatis propria profunditas: Quies autem caloris semper, & quòd non sit profunda: sed hoc in æstate tantum. nam hyeme quæ profunda non est, est frigidior profunda. Nam motus est causa frigiditatis, profunditas autem ut sit aeri dissimilis. Humidum ergo prohibet, ne à uentis ima terræ imò intimum cuiusque rei refrigeretur. cum autem non refrigeretur, rarescit humidum à calore, & attenuatur, & incalescit magis inde putrescit & accenditur. Verùm inquit spiritus, id est uapor qui calidus est, & hyeme cum non possit exire redit ad aquam, & calefacit eam, & eam etiam adauget, ideo fontes & putei magis aqua abundant hyeme quàm æstate. Adijcit quod talis aqua cum sit copiosior, & semper moueatur, & descendat, magis descendit hyeme quam æstate, & profundior fit, & magis dilatat terram. Si enim spiritus prodiret aquæ minuerentur. In æstate contraria ratione spiritus exhalat, & ideo aquæ minuuntur, & terra perfrigeratur. Quòd autem spiritus ex aquis fiat declarat, quoniam uidemus hoc in flu-

in fluminibus & nebulis, dico & fontibus, atque omnibus huiusmodi spiritus, ac quasi firmus ascendit hyeme paucior, sed uidetur ob crassitiem, paucior tamen, quia aquæ minus decrescunt: æstate copiosior. Sed non uidetur. Ideo dicit talis fumus seu nebula, nil aliud est quàm aqua attenuata & rarefacta, quod ego aliàs docui. Et dat exemplum de utre perforato subtiliter comparans ipsum hyeme, ex quo nihil effluit: & perforato late ex quo effluit spiritus, ut in æstate. Suspendit enim utrunque aqua semiplenum dicens, potius aqua exit per foramen angustum quam spiritus, per latum autem spiritus facilius quam aqua. Inde docet aliud utile ex hoc, quod motus refrigerat dicens, putei ex quibus aqua hauritur frigidiorem illam remittunt, quam ex quibus non hauritur, quia spiritus non retinetur. Eadem autem sed breuius Alexander prima Problematum (56.) habet.

Cum ergo eiusmodi fontes sint profundi, quia terra mollis aquam excipit. Vel quia supponit eos esse profundos, ideo calor hyeme circa suum principium & refrigerantur æstate, adeo ut hoc de profunditate posit esse, uel suppositum quartum, uel sequens & conditio.

Tertia conditio est, quod habeat fontem ad orientem positum, non quòd ad orientem fluat, hoc autem ostenditur, nam & uentos orientales uocat, qui ex oriente ueniunt, non qui ad orientem tendunt. igitur male feciſſet Hippocrates, si eodem nomine contrario sub sensu locutus fuisset. Secundo, quia tales fontes effugiunt radiorum solis uim immoderatam, & excipiunt moderatam. Verùm dicet quis in uentis cum procul ueniant causa manifesta uidetur diuersitatis: in tam paruo autem spacio quomodo poterit esse uarietas? Præterea quomodo dicemus fontem situm esse ad orientem, cum ubicunque sit & ad orientem & ad occidentem constitutus, & ad meridiem & boream dici potest. Ideo dico quod comparat fontem aquarum decursui: ille fons dicitur ad orientem positus, cuius aquæ ex orientaliore parte decurrunt, exemplo etiam uentorum, qui similiter initium ducunt ex parte eiusmodi. Ex terreis collibus, non possunt montes esse terrei, nam longo temporis spatio dehiscunt: lapidei esse possunt, & quòd non subsidant, & quod perpetuò lapides augeantur, terra autem non augetur. idcirco non adeò magno impetu feruntur, neque duræ & frigidæ euadunt, tum quia motus, ut dixi, non adeò uehemens sit, tum quia non refrigeretur à lapidum frigiditate. cur ergo aliquæ quæ per terram fluunt turbidæ sint, aliæ claræ? Id uerò euenit ex natura terrarum, quæ enim argillosæ sunt aut lutosæ turbidas efficiunt: & cœnum inde lutum, minus autem argilla. Aqua uero per terram fluens excauat eam, & efficit turbidam, ac ripæ descendunt quo fit ut perpetuò turbida sit. at si arenosa, iterum cadente arena remanet alueus arenosus, atque ideo clara aqua efficitur elota primum sorde. Si ergo præceps ruat, cruda & turbida manet in cœno & lucto, uerùm ob frigiditatem cogit lebas in lapides, & quanto riuus fuerit minor, & tunc claresçit, multa ergo aqua leniter fluens per cœnosam terram semper manet turbida, ut Padi qui iam tot seculis talis fluit. Sed & multa rapido cursu (ex collibus cum non possit ferri quod humiles sint) nullam habet rationem. nulla enim talis est pauca, durat alueum in lapides tandem, si lento feratur cursu profundior fit solum, sed alueum in lapillos non uertit: quæ per arenam fluit clara manet, quoniam totum eiusmodi est, pars autem totum uincere non potest.

LECTIO XLII. SVPER TEX. XII. ET XIII.

QVæcunque uerò salsæ & crudæ ac duræ sunt, ad hoc quidem ut eas omnes bibant non bonæ sunt. Sunt tamen aliquæ naturæ, & morbi quibus tales aquæ in potu commodæ sunt, de quibus statim dicam.

Dixit superius has aquas esse secundo loco, quia neque bonæ sunt, neque prorsus malæ, quoniam non omnibus noxiæ sunt, generaliter tamen dicit non sunt utiles in communi usu. Verùm non de his tractat, sed statim se confert ad tractanda secundam aquarum differentiam ab aspectu. Et circa præsentem Textum sufficiat adduxisse Galenum in libro de Cibis boni & mali succi, (capite decimo.) dicentem: Qui alimentorum facultatem materiæ exactè teneat, nisi idem corporum, naturas cognitas habeat, quibus adhibenda ea sint, eum nondum neque auxiliorum, neque uero uictus salubris rationis scientiam assecutum. Sunt enim corporum quæ-

» dam densa nec perspirabilia, quædam rara &
» quæ facile diffluntur: at prima quidem alimen-
» to opus habent humidiore: altera uerò siccio-
» re: & hæc quidem glutinosiore, illa tenuiore:
» hæc minore, illa uberiore. Ad eundem planè mo-
» dum, quicunque sanguinem habent plus iusto me-
» lancholicum, his alimentis opus est temperamen-
» to calidis, & humidis: sicuti frigidis & humi-
» dis ijs qui biliosiorem: qui pituitosum, calidis
» & siccis. Quibuscunque uerò sanguis bonus
» multitudine excedit, ijs alimenta ex usu fue-
» rint pauciora illa quidem, sed quæ facultate nul-
» la prædita sint manifesta quæque medium tene-
» ant, ut nec euidenter calefaciant nec frigefaciant,
» neque uerò humectent, aut exiccent: eódemque
» modo crassitiei, ac tenuitatis in medio consi-
» stant, nec non glutinositatis, qualitatumque hu-
» icipsi contrariarum, Augilitatis scilicet, & fria-
» bilitatis.

TEX. XIII.

HAbet autem & de his hoc mo-
do. quæ quidem aquæ fon-
tes suos ad orientes habent, hæ præ
omnibus optimæ sunt. Secundum
ab his locum habent quæ inter æsti-
uos solis exortus ac occasus emer-
gunt, & magis hæ quæ ad orientes.
tertio loco sunt quæ inter occasus
æstiuos ac hybernos scaturiunt. Pes-
simæ uerò quæ ad austrum, & quæ
inter æstiuum ortum & occasum.
Et hæ quidem ad Australes par-
tes ualde prauæ sunt, ad boreales ue-
ro meliores.

Cum incœpisset tractare de ui aquarum iuxta rationem habitus ad plagas cœli, nunc prosequitur singula membra. Aliàs diximus (tertio Contrad. 53.) quomodo Galenus aberrat in Hippocrate interpretando: siquidem primo de Tuenda sanitate inquit: praua & dura est cuius fons est ad meridiem decursus ad septentriones, contrà, cuius fons ad orientem tendit, quoniam illa à sole non concoquitur, hæc autem concoquitur. igitur si quæ tendit ad boream cruda est, quoniam soli non obuiat, quæ ad orientem concocta quia soli obuiat, igitur per fontem ad orientem uersum intelligit eum, cuius aquæ ad orientem tendunt. Sed cum posſimus seruata ueritate, & Hippocratis sententia etiam bene interpretari Galenum, melius esse reor quàm accusando uanam gloriam quærere, perturbata tota ratione aquarum. Dicemus ergo quod aqua cuius fons est positus ad orientem, & quæ defluit occidentem uersus, solis radios ab oriente excipit. Sed dices pariter & quæ à meridie ad septentrionem? Dico quòd non, quoniam obliquè excipit, non enim in eadem linea consistit, sed eam quæ tendit ad occidentem semper sub eodem angulo latitudinis prosequitur. Oribasius uidetur in quinto Collectaneorum interpretari, ut Galenus (capite tertio.) dicens: Fontanæ aquæ ad orientem uergentes, « humidiores, tenuiores, synceriores odore, & « moderatæ in calore & frigore sunt: quæ ad se- « ptentrionem dulces illæ quidem sunt, sed immo- « deratæ refrigerant, quæ ad meridiem spectant « magis salsæ sunt & calidiores, & ad meiendum « non idoneæ, sed ad descendendum præstantio- « res sunt. Quanquam tamen aquas quæ ad me- « ridiem sunt non laudem, Nilum tamen ita com- « mendo, ut aquæ bonitate paucorum fluminum « potus ei posſit comparari: nam & aluum sub- « ducit, & purgationes mulieribus ciet, si in pu- « erperio bibatur. Quin cùm lacustres omnes a- « quæ praue sint, Nili tamen solæ salubres haben- « tur, quod hyeme ob frigus minime putrescant: « Autumno uerò incrementis suis ueteres eluit a- « quas & nouis explet. Quem sermonem nemo est qui iure non admiretur: nam de æstiua ratione par erat reddere, cùm æstas ante Autumnum sit: & tum calida est. ob id ne uitium tanto authori frustra impingatur, Aestate pro Autumno legerem. Nilus enim incipit ab initio æstatis excrescere, decrescit autem per Autumnum, ita ut quadraginta diebus exundet, uiginti alijs prorsus restituatur, & tunc sementem incipiunt. Recentiores totidem reponunt dies in decremento quot incremento, ut sint omnes LXXX. Causa sunt niues è montibus, tum pluuiæ sequentes, & reditus aquarum sub terra per circuitum, tum humilitas terræ Aegypti & altius mare, nam & materiam adesse necesse est, & ut retineatur nec effundi posſit. Ad id etiam iuuant tesiæ quæ à septentrione ueniunt (nam & aliæ ab occidente) retinent enim tumore maris aquas fluminis: sed hæ potius in tempus decrementi incidunt, quàm incrementi. Dissoluuntur autem niues ibi

ues ibi post solstitium hybernum: si autem pluuia sola fieret incrementum, maderet tota Aethiopia ante, non solum Aegyptus, at inhabitabiles iam redditæ essent. ob id diuersas necesse est esse magnitudines incrementorum & tempora etiam uariari. tametsi ergo nondum repletæ sint fossæ ac paludes noua aqua ueteri educta, tamen incipiunt tum moueri cum nondum supercalefactæ sint: ideoque minime putrescunt. Quanquam ego causam aliam esse arbitror. Sed puduit ueteres adeò ambitionis & furatæ sapientiæ amatores dicere, nescio ut falsas causas pro ueris subijciant. Et si hoc non sufficiat, etiam historiam rei corrumpunt. quemadmodum hic. nam & ante solstitium æstiuum adeò calet aer, ut quamcunque aquam stantem corrumpere possit: & mense Martij fabas habent & rosas & cerasa, & quæ nos habere solemus Iunij initio, Aprilis autem mense & pepones & reliqua æstatis seræ premia: Maio autem & ante Nili incrementa non solum triticum, sed & legumina & milium & uuas colligunt, secusq; male ageretur cum dum inundat uictus, omnia trahantur quæ in agris relicta sunt, ut necesse sit eis hyemem pro uere, uer pro æstate esse: æstatis initium pro Autumno, quandoquidem æstatis mediæ & autumni nullus prorsus sit usus ad rem rusticam ob tantam inundationem. Siquidem referunt mediocria Nili incrementa esse decem & septem cubitorum, quæ altitudo excedit trium hominum quantumcunque magnorum longitudinem. (Vide Strabonem libro decimoseptimo, & Diodorum Siculum libro primo, capite quarto, & Fracast. in primo uol. itinerum.) Et ratio etiam suadet, cum nobis summa æstas est, Sol prope per uiginti duos gradus accedit, at Aegyptijs quorum partes maximè boreales non accedunt ad triginta duas, cum Sol peragrauit Arietem, Sol minus distat uiginti duabus partibus à uertice eorum, multo minus autem his qui interiora eius incolunt, uelut Nitriotæ: nam hi solum uigintiseptem partibus distant ab Aequinoctij circulo. Et auriga meus nunc quamuis Alexandrinus sit, quæ urbs omnium Aegypti urbium magis uergit ad septentrionem nigerrimus est, quamuis non omnes tales esse existimem. adeo ut nil prohiberet quin Martio & Aprili putrescerent hæ aquæ, si causa quòd non putrescant ad frigus esset referenda. Quin etiam aqua Tyberis Romæ etiam per multos annos in dolijs per maximos calores non putrescit. Et aquæ igne destillatæ non putrescunt. Esset autem durissima quam saluberrimam fatentur Nili aqua. si ob frigus solum seruaretur à putredine. quamobrem aliam causam quare non putrescat aqua in fossis illis seruata statuere oportet. Quin etiam subijcit statim, sed plæreque ex aquis ad meridiem resides sunt, quibus duplex est noxa coniuncta una à regione contracta, altera quod non effluant. liquet hic quod non effluxum uersus regionem accipit, sed fontem. Nam si Nilum ad meridiem spectare ait, cum ille palam feratur ad septentrionem, clarum est de fonte non effluxu, quemadmodum Hippocrates & nos illum interpretamur, intelligendum esse, ut sit positus ad orientem, id est cuius fons ad orientem positus sit, effluxus autem ad occidentem. Quòd si exemplum de Nilo non subiecisset uerba potius in contrarium sensum recipienda fuissent. Vide modo quanta caligine obductæ sint sententiæ antiquorum: ut fateri cogaris illos, uel non intellexisse quid dicerent, neque authorum priorum mentem, aut explicare quæ dicere uellent nesciuisse. Ergo melius in omnibus his atque tutissimum, primum res ipsas contemplari: nam illæ neq; errore ullo authoris aut interpretis aut scriptoris interuerti possunt.

Secundum ab his locum habent.] Intelligit ut dixi (quoniam ueritas ueritati astipulatur) orientem a uel b, ita ut habitantibus in m a sit oriens: in n b: & ita in p c, & hæ aquæ dicuntur habere fontes ab oriente. Dupli-



citer autem intelligitur fons ab oriente uel à situ, id est quod comparatione loci ad orientem positus sit, licet sit in eodem loco: & simpliciter, id est quod procul aqua ueniat, uelut ex Istro aut Pado aut Nilo, quorum fontes sint sub æstiuo aut hyemali ortu aut occasu, & ita sub zona torrida. Dico ergo quòd posito circulo Arctico s t, tropico cancri h c, pars tota c t dicitur oriens, c e autem quod est inter hybernum orientem & æstiuum. Et cum aquæ ueniant ad m uel o uel p, non tam uadunt ad occidentem, quàm ad boream, & ideò non sunt adeò bonæ: ut ergo sint bonæ, oportet ut rectà ueniant ab oriente, id est iuxta solis mõtum, aut saltem ab ortu æstiuo, quia rectius tendunt ad occidentem: est enim c m proximior a m quam e m. Et magis quæ ad orientes, id est quanto proximiores c t: ob causam dictam. Manifestum est ergo quòd omnes aquæ quæ simpliciter oriuntur à partibus orientis & tendunt ad urbem illam, etiam comparatiue debent appellari ortæ ab oriente. Idem dico de ortis ab æstiuo oriente seu hyberno, transuersim enim feruntur, ut etiam oriuntur in parte illa.

Tertio loco sunt quæ.] Proponit has quæ non sunt adeò excoctæ, non tamen sunt putridæ neque crudæ: quia moderatè excipiunt radios solares licet præposterè. Cum autem in uentis alium ordinem seruet ac regionibus: nam occidentales Autumno comparat, & peßimos ac deteriores Borealibus facit atque Australibus: hic uerò occidentales aquas præponit Borealibus atque Australibus, rationem afferre expedit, scilicet quod aer minus uitiatur à manifestis qualitatibus quàm aqua, cum neque crudus dici poßit cum coctione non indigeat, neque putrescere poßit. Sed à qualitatibus occultis magis afficitur cum penetret ad cor & cerebrum, aqua contrario modo, quoniam oportet ut concoquatur, ideò seu cruda sit seu putrida totum negotium peruertitur. igitur cum ab occidentali parte inæqualitas, & mala qualitas occulta magis prodeant, à meridie & septentrione calor & frigus, putredo atque corruptio tum cruditas aquæ peßima erit quæ Austrum aut Boream uersus tendit: aer qui ab occidente uenit.

Peßimæ uerò quæ ad Austrum.] Scilicet fontes suos habent: nam hæ immodico calore torrentur: nam de ortu simpliciter non comparatiuè intelligendum est.

Et quæ inter æstiuum ortum, & occasum.] Hoc est clarius: cum hæ non sint adeò exustæ, sed prope tropicum cancri exoriuntur, ideoque minus salsæ & corruptioni obnoxiæ, hæ igitur sunt in quinto ordine. Sed harum quæ nobis sunt Borealiores, meliores sunt quam quæ ad Austrum, duplici causa: prima quòd sunt minus calidæ, & melius coquuntur à sole cum pergant uersus meridiem, quæ autem oriuntur à meridie, sunt magis calidæ ob situm & crudiores, quoniam tendunt ad Boream.

Eiusmodi in Italiâ sunt Hosa & Rubicon fluuij: nam Rubiconis aqua longè deterior est: cum Rubicon in Simum Adriaticum, Hosa in Tyrrhenum pelagus deuoluantur, quasi è regione positi.

LECTIO XLIII. SVPER TEX. XIIII.

HIS autem hoc modo uti conuenit. Quisquis sanus est ac ualet, is nullum discrimen faciat, sed semper eam, quæ præsens est bibat. Quicunque uerò morbi gratia eam, quæ commodissima est, bibere uolet, is, si ita fecerit, maximè sanitatem assequi poterit. Quorum quidem uentres duri sunt, & idonei ad hoc ut amburantur, his dulcissimæ & leuissimæ ac splendidissimæ conducunt. Quorum uerò molles uentres, & humidi ac pituitosi sunt, his durissimæ, & crudissimæ, ac subsalsæ aquæ conferunt. sic enim maximè reßiccari poterunt. Quæcunque enim aquæ optimæ coctu sunt, ac facillimè liquescunt, eas par est & uentrem maxime exoluere ac eliquare. Quæ uero crudæ sunt, & minime coctu bonæ, hæ magis constringunt uentres ac reßiccant. At enim mentiuntur homines de salsis aquis propter imperitiam, in eo, quod per aluum secedere eamque soluere putantur. Maximè enim contrariæ sunt ad alui egestionem ac secessum, sunt enim crudæ & coqui non possunt.

possunt. Quare uenter magis ab ipsis adstringitur, quàm eliquatur. Et de fontanis quidem aquis hoc modo se res habet.

Docet in præsenti Textu, quæ aquæ unicuique magis conueniant: & optimè sanis optimas conuenire docet: sed cum dicat quod eam quæ est præsens bibat, uidetur uelle quod non interfit quam bibat seu bonam seu malam, quod absurdum uidetur. Ideo dico quod uult ut non assuescant se obligare cuipiam aquæ dum sunt sani: quapropter consulit, secundo Aphorismorum, (50.) ut ad inconsueta transeat, non ergo de continuo usu, sed quotidiano & familiari, quod etiam consulit Celsus (in principio sui Operis) Melius est enim longè abrupta sæpius consuetudo si necessitas eueniat maximum periculum mutandæ consuetudinis euadere, quam continuando etiam si non cogaris unquam mutare facilitatis tantæ emolumentum perfectæ apathiæ sentire. At qui tam morbosus est aquis prauis pro medicamento commodè ita utetur, ut malum ei bene cedat. commoda autem bonæ aquæ ut uino comparatur, & tanguntur ab Aëtio (libro tertio, capite 165.) ad duodecim genera: capitis morbis sensuum, ut etiam per se sunt, maximè uisus, neruorum & flauæ & nigræ bili, uteri affectibus, febri cuilibet ut febris est, pueris. Quibus robustus est uenter & intestina, exudantibus, carnosis ac pinguibus: nimium purgatis, & calidis naturis. Vult ergo Hippocrates quod aqua optima bona sit his qui uentres habent calidos & duros: qualiscunque autem non pro usu perpetuò, sed interdum his qui perfectè sani sunt. nam qui duras aluos habent & calidum uentrem, hi quasi medij sunt inter perfectè sanos, & habentes uentres humidos, molles ac pituitosos, hi enim morbosi iam sunt quibus aquæ dulces, & leues morbum adaugent.

Quomodo autem aquæ subsalsæ (nam de his loquitur) & crudæ conferant huiusmodi hominum generi, si uelimus cognoscere, scire oportet qualis sit earum natura prius: & si hoc, etiam qualis ortus earum. uisum est autem supra cum dixit (libro secundo, Textu primo.) aquæ uero eius multæ & subsalsæ, hyeme frigidæ. Et loquitur de regione exposita Austro & à Borea protecta. Quomodo autem aqua illa salsa fiat exemplo ex Galeno, (capite undecimo, decimosexto, et uigesimoprimo.) sumpto declarabimus. Galenus enim in quarto de Simplicibus Medicamentis docet duo præcipua. Primum, quod salsus & amarus sapor fiunt per ulteriorem excoctionem, & ex salso si diutius excoquere perseueres mutatur in amarum. Secundum, quòd amarus sapor differt à salso quòd hic in sicca & humida substantia pariter sit amarus in prorsus sicca. Docet etiam quod aliqui sapores temporis uetustate sponte exsoluuntur, quidam augentur, augentur acris & amarus dicit ut in uino & absynthio exsoluitur maxime austerus, inde dulcis, adeò ut mel uetustate, inquit, (capite decimo & undecimo.) interdum amarescat. Dico inter salsum & amarum aliud discrimen est: nam amarum in crassa, salsum in tenui est substantia, nunc comparatiue loquor non simpliciter. Propter contrarium & alia, nam si metallica plantis comparaueris alia ratio erit. Propterea etiam Philosophus in libro de Sensu & sensili dicit, (capite quarto.) quòd salsum & amarum fermè idem sunt, & in altero extremo, scilicet non nutrientium: nutriunt enim dulcia & pinguia, nil amara & salsa: in medio inquit acria, arida, austera, astringentia. Et ob id salem addimus, ipsis dulcibus & pinguibus, ut adeò nutriant & ad remouendum fastidium, ne supernatent. Sal uerò per se, inquit, terreum est. Idem paulo pòst inquit, (capite quinto.) salem habere odorem & mare etiam, & magis quam nitrum, quia intus oleum continet. Proprium salis, quarto Metheororum, (Tex. 45.) est liquescere, non mollescere, ut adeò transferri possit qui nullus flectuntur precibus sed ui, aut ut postmodum pœniteat acerbitatis ac duritiei. Causa autem salsedinis est humidum coniunctum siccitati. Vnde secundo de Anima, (Tex. com. 102.) salsum non sentitur nisi quia proximum habet humidum, quod liquescit: ideo natura coniunxit linguæ saliuã, ut per eam sapores discerneret. Amarum autem qui nil habet humidi, non per se percipitur, sed ut in saliua: propterea non statim ut siccum est, ut quilibet experiri potest, sed ubi dissolutum est per saliuam ipsam. Et causa salsedinis in mari, inquit Auerrois, (secundo Metheororum com. primo.) est exhalatio exusta aqueo admista. Et dicit quod unũ mare etiam est altero salsius: Et credendum est quod intelligat etiam de partibus. nam maria omnia præter Caspium communicant inuicẽ, nec est ueri simile quod gustauerit Caspiũ: ideo per maria intelligit partes maris, ut Oceanũ, Adriaticum, Tyrrhenum, Rubrum, & eiusmodi. Et dat exemplum de urina, sudore ex cibo & potu, &

tu,& sumpsit ab Aristotele in libro de Sensu & sensili. Docet autem ibidem Philosophus, (cap. 3. in fine.) non solum maria sed & fontes quosdam salsos esse, ut in chaonia: & modum conficiendi salem ut in Vmbria, & est pars Italiæ, quam uocamus Abrutium, esse fontem ubi arundines & iunci abundant, qui exusti uertuntur in cineres, ex quibus multum salis colligunt. Et quod non solum ex exustione terræ fit sal, sed etiam aluminis & calcis ac talium scilicet metallicorum. Et quod pluuia aqua maxime Austris collecta ob exhalationem terream exustam etiam salsa redditur. Ex his non obscurum est quædam non omnia salsa etiam fieri ob putredinem, nam & putredo quædam occurrit. De proprietate autem salsedinis dicebat Galenus quarto de Simplicibus Medicamentis, (cap. 20. in fine) quòd omni sali est uis obscura astringendi densatq; maxime fossilis & siccat. idem fermè tertio de Alimentis, (cap. 41.) ubi adijcit quod attenuat & digerit. Verum in nono de Simplicibus Medicamentis dicit, (cap. proprio.) quod tantum astringit quantum detergit. Idem secundo de Compositione Medicamentorum secundum locos inquit, (cap. 5.) Sal hoc habet eximium ut magis astringat quàm purget. Sed ibi loquitur de externa ui ut per modum emplastri. Et tamen in sexto de Compositione Medicamentorum per genera, (cap. 2. sec. 2.) inquit scilicet Atramẽtum plurimum habet astrictionis, sal autẽ modicum. In uniuersum ergo aqua salsa & cruda ob cruditatem non facile expellitur, sed remoratur in uentriculo donec coctio perficiatur. Et ob siccitatem exsiccat superfluum humidum: ob caliditatem attenuat & resoluit: Detergit præterea ac digerit humidum ac pituitam & humorem crudum, demum astringit & corroborat ipsa membra naturalia, illa condensando ut ad futura munera coctionis & expulsionis tum retentionis sint magis idonea. Inde reddit rationem contra illos qui purgare aiunt. Sed ad Dioscoridem dicimus, (lib. 5. cap. 12.) quod aqua marina mouet aluum, & quia multum salis habet, & seorsum non cum cibo exhibetur & multa.

LECTIO XLIIII. SVPER TEX. XV. ET XVI.

DE pluuialibus autem, & quæ à niue fiunt, ut habeat, deinceps dicam. Aquæ igitur pluuiales leuissimæ, & dulcissimæ, & tenuissimæ ac splendidissimæ sunt.

Antequam autem tractationem de aquis spontè nascentibus prætereamus, adijciam quid de herbis illis innascentibus sentiat Oribasius, (lib. 5. cap. 3.) inquit enim herbæ salutares, sicut præcipuum stium, nepita & adianthum prauis aquis si innascuntur minuunt illarum prauitatem: optimas tamen & inculpatas uitiant & reddunt deteriores: nam de herbis prauis aut malè olentibus, aut saporis ingrati dubium esse non debet quin omnibus obsint tam malis quàm bonis.

Hæc est tertia aquarum differentia sumpta à materia, constat enim pluuiam, niuem, & grandinem fieri à uapore humido ascendente ui solis: tribuit autem ei quatuor præcipuas conditiones, quod sint leuissimæ, tenuissimæ, splendidissimæ et dulcissimæ. Interest tamen plurimum quomodo cadat, nam quæ cum tempestate cadit, ut infra uidebitur, melior est: Melior etiam quæ uere cadit, & hyeme post Autumnum atque in eo, & noctu quàm interdiu, quæ autem guttis minutis cadit, & post caniculam eiusq; tempore, & post brumam & maximè in die, mala est. nam quæ post brumam nix est liquefacta, quæ in diebus caniculæribus multum habet terrei exusti, quæ guttatim cadit haud repurgata est, ut infra docebit: Discrimen de die ac nocte exiguum esse puto.

TEX. XVI.

PRimùm enim sol, quod tenuissimum & leuissimum est in aqua, educit ac sursum rapit. Clarum autem hoc, ipsum mare facit. Quod enim salsum est, isthic relinquitur præ crassitudine ac grauitate, & fit mare. Quod uerò tenuissimum est, sol sursum rapit præ leuitate. Rapit autem tale non solum ab aquis stagnantibus, sed etiam ex ipso mari, & ex omnibus in quibus aliquid humoris ineſt. Ineſt autem in omnibus rebus. Et ex ipsis hominibus tenuissimum ac leuissimũ humorem ducit.

Eius

Eius rei maximum signum inde sumere licet, ubi homo uestibus indutus in sole iter fecerit, aut sederit. Quascunque enim corporis partes sol aspicit, hæ non exudant. Sol enim, quicquid comparet sudoris, sursum rapit. Quæ uerò sub ueste contextæ sunt, aut sub aliqua alia re hæ exudant. Educitur enim ac domatur à sole sudor. seruatur autem ex tegmentis, ut ne disperdatur à sole. Cum uerò in umbram deuenerit, totum corpus similiter sudore perfluit. Non enim amplius sol affulget.

Reddit rationem quoniam aqua eleuatur à sole sub uaporis forma, sed sol quod leuissimum est, semper eleuat: nam leuis solius est ascendere: quod autem leuissimum est, idem etiam est tenuissimum: hoc igitur probat inducendo singula à stagnis, à mari, dicit à quibusuis rebus, non hoc adijcit quod necessarium esset ad id quod sumpserat demonstrandum, sed ad id quod postmodum subiungit, scilicet quod aqua pluuia est collecta ex diuersis partibus, licet in uniuersum leuioribus & repurgatis.

» Dicebat igitur in secundo de Diæta (pag. 9.)
» idem quòd hic, sol & ignis corpora siccant. Ve-
» rùm ubi non sint solis radij, ut in umbra aut sub
» uestibus sudor seruatur. Quòd uero dicit: Quæ
» uero sub ueste contectæ sunt, aut sub aliqua alia re
» exudant & reliqua. Sensus est clarus licet uerba uideantur obscura & interuersa: & est sensus huiusmodi partes quæ soli detectæ sunt non exsudant, quoniam sol enim quicquid trahitur extra consumit, quæ uero sub ueste contectæ sunt, cum homo est in sole etiam exsudant, educitur enim sudor à sole atque domatur, non tamen absumitur quia integumenta illum seruant, cum uerò ad umbram peruenerit sudor asseruatus confertim effluit. Ex qua sententia duo habentur: primum
» quod facit ad eius intellectum. Primo de Tuenda
» sanitate, (cap. 12.) ubi dicit: Reliquum excre-
» mentorum genus in singulis animalis nascitur
» particulis ex ipso unde aluntur succo: aliud qui-
» dem ceu semitectæ quæpiam reliquiæ quæ absimi-
» lari nutriendæ parti nequiuerunt: aliud quod
» prius transmittendi alimenti fuit uehiculum
» nunc functum officio humidum tenuéq; superest:
» quale nimirum seorsum illud iam dictum quod ex
» uasis, id est uenis & arterijs in uesicam defluit.

Huic excremento nullus certus à natura præscriptus meatus est, expellitur tamen partim actum per ipsa molliora corpora, quæ fluentis eius uiolentiæ cedunt, potissimum cum à spiritu maiore impetu irruente impellitur: partim etiam per exiguos omnes corporeæ molis meatus, πόροις Græci uocant: quorum non modo reliquum corpus uniuersum, sed etiam tota cutis plena est. Dictum autem nobis de generatione, horum est in libris quos de Temperamentis edidimus. Ergo tenuissimum huius generis excrementum facile sanè ejicitur, partim in speciem halitus ab insito calore solutum, partim uero lento motu confertim erumpens. Appellant uero quòd ita excernitur sudorem. Alterum uerò, cui nullum publicè nomen est, quòd uidelicet nec uulgò est cognitum ut quod conspectum præ tenuitate effugiat ab ijs, qui id ratione contemplati sunt, ἀδηλον ἀεροβύσιον Græce, id est transpiratio uel perspiratio uel perflatus sensum latens uocatur. In hoc insensibili perflatu etiam crassioris excrementi nonnihil excernitur. Huic autem & uehementiore deducente calore, & impetu impellente maiore opus est, cum alioqui periculum sit, ne ante itineris finem sistatur saltem ad cutim. Secundum est quod Aristoteles dicit secunda Problematum: (37.) Cur ad solem acrius calefacientem corpora quæ nullo indumento teguntur, nihil penè sudant, quæ autem ueste intecta sunt copiosissimè sudant? nam non uult quòd non sudent, sed quod sudor asseruetur sub uestibus & immergatur, Aristoteles autem considerat solum effectum quòd sudent: Hippocrates quod appareat: Vt sit sensus hic, corpora in sole nudata non sudant, quia tenuissimum absumitur: contecta autem pannis sudant, licet non appareat sudor, quia & sol extrahit quod tenue est, & integumenta prohibent resolui: sed cum ad umbram uenerit tunc effluit. Sol ergo leuissimum attrahit ergo tenuissimum, igitur aqua pluuialis est leuissima & tenuissima, igitur splendidissima, quare etiam dulcissima. non enim idem est de aqua pluuia, quod de aqua fontium aut fluminum, nam pluuia potest esse dulcis reliquæ non ita. cum enim tota sit aerea ac, ut ita dicam, aquæ spuma dulcis esse potest. nec suspicio est de ea ut illa dulcedo sit ob terræ mistionem, aut alterius rei uitiosæ.

Nunc superest ut uideamus quomodo fiat pluuia, grando & nix. H. Fracastoreus in sua disputatione, (Itinerum uol. 1. fol. 284.) de pluuia dicit,

cit, quinque sunt necessaria ad pluuiæ generationem, primum est materia ipsa aquea, quæ colligitur à mari non solum & stagnis, paludibus, lacubus, fluminibus, fontibus ac riuulis, tum alia aqua collecta, ex puteorum exhalatione, quam hyeme perpetua uidemus, sed à terra madefacta & humida, adde in magnis caloribus etiam ab aqua ipsa quæ sub terra fluit etiam profundißimè latitante. Secundum est calor solis ac stellarum dissoluentium aquas in tenues partes quas uapores appellamus, unde tum ob leuitatem tum ob motum ascendunt quasi relisa à loco inferiore. hoc ipsum non declarat: sed solum quod dissoluatur ob raritatem, quæ à calore proficiscitur. Quod autem relisi & non attracti, & proprio impetu elati ascendant, ostendit experimentum, nam flante uento eleuantur paleæ, festucæ, puluis, pluuiæ: calor uerò impellit humidum in contrariam partem, quia humidum cupit conseruari, & calor illud dissoluit. Et si ponatur ignis à latere, aqua ab alio, uapores secedunt in contrariam partẽ ignis. sed ascendentes sponte ab aqua, aut terra humida retinent illum impetum dum exeunt. Et inde resiliunt moti à sole uersus terram. Et si hoc non esset quid prohiberet, ne ascenderent usque ad cœlum lunæ, aut saltem multo altius? Vix enim ascendunt ad tria millia passuum cũ maxime ascendũt. Et si dicas quod balneum euocat sudorem, cucurbitula trahit: sed non quia calor trahat, sed motu uacui ut appellant seu continuitate. Calor autẽ attrahit ad se, quoniam materia subiecta rarescit, & occupando maiorem locum non minus intrò pellit quã extrà ducat. unde qui in balneo sunt & tempore æstatis suffocari uidentur: quod nullo modo fieri posßit nisi uapor etiam intropelleretur. Natura etiam animalis ob hoc detrimentum extrapellit. Vnde aliqui moriuntur in balneo suffocati, ut ille iam triennio elapso Bononiæ, cum fuerint uires imbecilles, & humidum multum, & cor calidum. Nec est quicquam certius experimento, cum uideamus uaporem ubi locus pateat refugere à calore. Tertium est, ut uapores illi in unum coeant, idq; partim à sympathia materiæ unius generis, partim à frigore in aere quod refugiunt uapores, ut dixi iam quodatenus calidi, seu eti i manifestè calidi. quod frigus ipse ad quandam antipa ristasim cum alijs Peripateticis reducit: nos ad aeris naturam propriam traducimus. Quartum est ut coacti uapores in unum nubemq;, quam uocamus efficientes in aquam transeant. Et tunc nubes ipsa ob opacitatem nigricat: dum candida est aut rubea non descendit pluuia nisi per guttas magnas & raras. potest enim alba esse & guttis constare, sed ob raritatem à sole necessariò illuminatis: aliter non esset alba neque rubra. cum ergo nigricat iam tunc densata est in guttas, et guttæ etiã inuicem coactæ sunt. quare grauior effecta descendit, & hoc est signum certum imminentis pluuiæ. Et tum etiam si coeat nebula ut æqualis sit seu plana, seu caua et solis radij ex aduerso ad illam perueniant iris repræsentatur. Et propterea iris serenitatem futuram nunciat, quia claritatem solis ex parte ubi est, id uerò signum serenitatis certum. Et ob id dixit Moses, quod illam posuit Deus signum fœderis Dei cum genere humano, quia significat aerem humidum præsentem & futuram serenitatem: & ideo securitatem à diluuio & conflagratione. Demum, ut descendat & hoc efficit grauitate, sed prius si dissoluatur, magis liberè descendit. ostendimus enim aliàs Germanos colligatis brachijs tranare flumina: quod graue diuisum in minima uelocius descendit cum sphærula unius unciæ æquali uelocitate feratur ad terram ut decem librarum, si sint ex eadem materia.

His uisis supereſt, ut uideamus cur nix fiat grando aut pluuia? cur pluuia utriq; sociari possit grando, & nix non simul? Cur nix hyeme solum, grando solum æstate? Cur nix in glaciem transire nequeat: cum flumina & lacus ac mare glacientur? Ergo materia horum trium una est uapor humidus à calore sursum attractus: qui si mediocriter cogatur fit pluuia: si cogatur nimis, & ut durescat, grando: si non cogatur sed antea geletur, nix. cum ergo pluuia media sit inter niuem & grandinem, ideo extrema illa inuicem sociari non possunt: medium utriq; extremo seorsum potest. habes primorum duorum Problematum causam. Vt uero geletur antequam cogatur tria sunt necessaria, ut geletur antequam consistat, hoc accidit hyeme cum aer hic frigidus sit: cuius inditio est pruina, ideo nix & pruina necessariò eisdem temporibus fiunt. Et pruina iuxta terram, nix altius, pluuia altius, grando uerò altißimo loco, ut iam consiterit. Secunda ut non cogatur à uentis: nam uenti trudunt uapores, & nubem ueram efficiunt: at hyeme silent uenti, ut aliàs ex Aristotele docui. ideo cum nix futura est, tempus est tranquillum. Tertia ut frigiditas tanta sit, postquàm uapor qui coactus est adeò leuis est, ut potius sursum ferre natus sit quàm descendere ut magis cogatur, utq; ob id grauior factus descendat: id fit iam multitudine ipsa & frigore proprio, ut dissolutæ partes iam

tes iam incipiant cogi, & non descendit præsertim quod à uentis nullis sustineatur. Nebula autem nuis, non propriè nebula est, quia rara est, ni gresci tamen ob immensam altitudinem, sicut omnes aquæ altissimæ, etsi splendidissimæ sint uidentur opacæ. Contrarijs ergo causis fit grando: nam & uapor ad altissimam regionem cogitur, quæ cũ frigida per se sit, ut aliàs ostendimus, quia aer talis est, bifariam etiam secus refrigeratur, & per Antiparistasim ob calorem solis undiq; locum ambientem: Vnde nunquam potest esse grando eadem hora quæ totã prouinciam occupet: quoniam adeò refrigerari ille aer non posset ab Antiparistasi. Secunda est uentus: unde sine uentis imò magnis & contrarijs inuicem grando decidere potest. Venti enim contrarij tria efficiunt, cogunt nubem in guttas: frigus ipsum constringendo adaugent, & terream partem grandini, ut magis durescat, intrudunt. Hæ igitur duæ causæ cum non nisi æstate esse possint, eo solo tempore grandinem generari contingit. cur autem nix non in glaciẽ transire possit, nec à frigore hyemis quamuis gelata in guttas coeat, causa est quoniam si motus non adsit quanto maius est frigus, eo magis gelascit, & non potest neque dissolui in uaporem mollem, neque uerti in aquam. Si uenti superueniant etiam quòd sint frigidi, uel abducitur uel cogitur in aquam: sed cum est conuersa in aquã descendit: & hæc est causa quod quandoque transit nix in pluuiam. Si uero dũ conuersa est in aquam per uentos, uenti illi cogant eã altius resilire cogitur in grãdinem. Et tum media hyeme grandinat. Et quoniam omnis grando ex altiore loco uenit, descendit etiam magno cum impetu.

LECTIO XLV. SVPER TEX. XVII.

QVapropter etiam ex omnibus aquis hæ citissimè putrescunt, & odorem malum pluuialis aqua habet, eo quòd ex plurimis congregata est ac permixta, ut citissimè putrescat.

Cum docuisset formam aquæ pluuialis quæ optima est, scilicet quoniam tenuissima, leuissima, splendidissima atque dulcissima: declarat modò materiam quæ est obnoxia putredini, & malo odori, uelut collectam ex pluribus natura dissidentibus, cadaueribus, mari, cloacis, lacubus, paludibus, stagnis, luto, cœno, sordibus, aquis crudis, metallicis. Vnde constat primum post magnas clades neq; uentos neq; pluuias esse tutas, ut neque post interitum locustarum, & post terræmotus. Ac rursus aquas destillatas uim habere, eorũ à quibus destillantur. Inæqualitas hæc atq; natura substantiæ diuersa, est causa putredinis. cur autem id contingat ut mista non loco sed substantia uaria, facile putrescant, duabus contingit id potissimum rationibus: tum primum quia quæ facillimè pars putrescit, ea omnes alias in consortium trahit. Secunda quod quæ diuersa substantia constant, aut ut in generationem coëant necesse est: aut in corruptionẽ. cum igitur calores sint diuersi, unusquisque alteri materiæ externus erit. putredo autem fit à calore externo, ut quarto Metheororum habetur, (cap. 2.) Experimentũ etiam docet, nam si cerasa, poma & carnes confuderis, singula celerius putrescent, quàm si per se & seorsum dispo-
nantur. Vnde fit odor prauus, uelut bonus à concoctione, ita malus à corruptione. est enim concordia magna sensuum, et maximè eorum quæ ad salutem spectant. Boni odoris aqua nulla tamen est, (lib. 31. cap. 3.) ut dixi, quoniam alienam refert qualitatẽ, præterquam Caburæ fontis in Mesopotamia. Quòd autem dulcissimam appellauerit, forsan in dubium reuocari posset, quoniam est simplex elementum, quomodo ergo dulce esse potest? Respondeo quod nisi uideremus Mannam adeò dulcem magis quàm lac, licet minus quàm mel & saccharum, & tamen constat solo rore cœli, ut manifestum est, possemus dubitare, nunc cum uideamus concoctionem tantum posse, & in eadem materia scilicet uapore aqueo, non est ut dubitemus. De causa autem aliud est, ut Plinius refert. In uniuersum ergo uult Hippocrates ut aqua pluuia statim bibatur cum cecidit, (lib. 3. ca. 16.) quod etiam testatur Aëtius. Debet autem colari. « Sed ille addit præter hæc, Febricitantibus tamen « & his qui bilem superne ac inferne reddunt, & « regio morbo laborantibus incommoda. Igitur hoc penè modo ferme reddetur inutilis, quoniam quis usus eius erit nisi quotidie pluat. hanc difficultatem ut reliqua sicco pede transeunt. Cæterum & illud grauius Oribasij, (lib. 5. cap. 3.) accedit testimonium dicentis: De aquis pluuijs « ita statuo: aquæ pluuiæ leues sunt, tenues, purę, « & gustanti dulces: siq; in eis aliquid elixes, celer- « rimè elixabitur: siq; eas calfacias celerrimè cale- « fient, & uino perexiguo temperantur, quo circa « bonæ sunt, & ad concoctionem, & ad urinarum « excretionem, itemq; accommodatæ iecori, lieni « renibus,

» renibus,pulmoni neruisq; : cum enim uis non ad=
» modum refrigerans in eis sit, idcirco benigniores
» hisce partibus fiunt. Vernæ igitur atque hybernæ
» maximè oportunæ sunt atq; optimæ,quas ego lau
» do uel maximè.autumnales uerò atq; æstiuæ fue=
» rint quidem alijs meliores, sed non omnes omni=
» bus,nam uiribus quidem antecellunt eas,quæ sunt
» in terra,uerum quantum superentur à uernis atq;
» hybernis ne dici quidē potest:nam æstate atq; au=
» tumno terra sicciores uapores edit aerq; multas
» terræ sordes habet quæ pluuia expurgantur. Id=
» circo fit, ut tales aquæ sicciores & nitriosiores
» sint,& ad abstringendum,ac per intestina descen
» dendum accommodatæ, sed neq; renibus neq; pul
» moni neque arteriæ,idoneæ. quin etiam plus uimi
» nas ferre necesse est, ut nitrosa facultas uincatur.
» Iam uero aquæ non parua differentia ex uentis
» aquilonaribus,& austrinis accedit:nam flantibus
» aquilonaribus,dulcior pluit quidem,sed frigidior:
» austrinis uero spirantibus minus dulcis sed cali=
» dior. Quin etiam Galenus quarto de Tuenda sa=
nitate,(cap. 6.) in compositione oximellitis ne=
gat sibi placere aquam pluuiam. Princeps secun=
da primi, (Doct. 2.cap. 16.) dicit illam exco=
quendam. Versamur ob id inter plurimas difficul
tates:uerùm una est responsio: duo insinuat Hip=
pocrates quæ sit optima aqua pluuialis respon=
det:eamq; optimè seruādam ac curiosissimè quod
facillimè putrescat. indicio esse malum odorem.
quandocunq; ergo occasio dabitur, ut superius di
xit,ea excolata utemur, seruabimusq; donec cor=
rumpatur loco perspirato & frigido : indicium
erit odor. Quod uerò hoc uel illo tempore deci=
dat licet intersit, melior tamen semper est fonta=
na, fluuiali & cisterna, propter rationes addu=
ctas:cocta autem,aut potius destillata diutius ser=
uabitur, & erit melior etiam fontana, non ta=
men ea quæ nuper decidit. Et hoc docebit infe=
rius.(Tex. 21.)

Hinc subit recordatio earum quæ in cisternis colliguntur quæ non putrescunt, maxime si fre=
quenter hauriendo agitentur,& hæ sunt pluuia=
les non corruptæ neque ab igne mutatæ.has ergo
constat optimas esse inter omnes.quamuis Plinius
(lib.31.cap. 3.in initio.)ab hac opinione dissen
tiat. construuntur ut ipse docet arenæ partibus
quinq; calcis quam uehementis partes duæ,silicis
fragmenta miscentur:sed nostra ætas spongias ad=
dit, ut sordes in his colligantur. Io. Brunerius
(lib.36.cap. 23.) multa tamen his aquis obijcit:
quòd limosæ sint,quòd animalia parua innascan=
tur fœda & odiosa, quòd pigræ sint,quòd calcis
uirosum saporem retineant. (lib.16.cap.9.) At
hæc omnia non aquas damnant, sed custodire eas
docent. quippe ex uetusta cisterna uirus nullum
manat,si perpetuo hauriatur non putrescit: si pi=
sces candidi in ea nutriantur,animalculis carebit.
Si ædificium construatur argilla,topho,arena car
bunculosa, sabulum masculum etiam & glareæ
& rubra saxa probantur,quæ ratio est obseruan
da etiam in riuulis, fontibus,ac fluuijs tum pu=
teis. Hæc igitur Hippocrates non illis quæ pluuia
decidunt, sed ad ostendendum quod optimæ sint,
dixit: Propterea adijcit.

LECTIO XLVI. SVPER TEX. XVIII. ET XIX.

ADhæc uerò, ubi rapta est & in sublime eleuata, dum circumfertur & ad aerem permiscetur, & quod turbidum est in ipsa ac noctem refert,id excernitur ac decedit, & fit aer, & nebula: quod uerò tenuissimum est ac leuissimum in ipsa, hoc relinquitur ac dulcescit, dum à sole uritur ac coquitur. fiunt autem & alia omnia, quæ coquuntur, semper dulcia.

*Tria sunt quæ difficultatem magnam pariunt in hoc Textu: primum est relatio ad præceden=
tem,cum enim sensus sit exhalatione in sublime
rapta quod turbidum est,& terreum dum circum
agitur ab aqueo & leui secedens in aerem & ne=
bulam. Sic ostendit non de eisdem partibus loqui,
sed pluuiam ex aquea & tenui,terreum uerò ab=
ire in aerem, ἀὴρ enim caliginem etiam significa=
cat et obscuritatem, ut Homerus ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῷ, id est, texit multa caligine. Aether
uerò apud antiquos liquida & clara pars aeris
ipsius intelligitur,idq; secundum. Tertium est ma
ioris ponderis uox ὁμίχλη, Aristoteles (libro de
Mundo.) Ὁμίχλη δέ ἐστι ἀτμώδης ἀναθύ=
μιασις τις ἀνονος ὕδατος, ἀέρος μὲν πα
χυτέρα, νέφους δὲ ἀραιοτέρα. Id est ὁμίχλη,
quam pro nebula interpretantur est expiratio
quædam roscida aquæ nequaquam genitrix, aere
crassior,nube autem rarior. Interest inter nubem
& nebulā quod inter νέφεον & ὁμίχλην. Est
autem nebula uapor qui non dum concreuit in nu
bem:Mediolanenses proprio nomine nebiam uo=
cant Veneti Caligo: Vnde Virgilius*

At Venus

At Venus obscuro gradientes aere sepsit
Et multo nebulæ circum Dea fundit amictu.

Nubes autem uapor humidus in sublime elatus qui solem obumbrat. Vnde Cicero, (secundo de Diuin.) Si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Adeò ut inter nubem & nebulam duo intersint: nubes altior est atque inde densior, nebula humilior & rarior, cuius causa est quòd nebulæ materia aut terrea est aut nimis arida, ut uel ob grauitatem possit ascendere, aut ob siccitatem concrescere, ideò diuisa manet. nebula autem tenuis & humida, ideoq; ascendit atque concrescit. Dicebat Galenus primo in primum Epidem. (Com. 8.) Nebula noctu descendit in rorem, & similiter si ascendat fit nubes quam si sol illustret, & radijs pertranseat fit alba, sin autem plane excludat eos atra. Quibus intellectis non est obscura sententia Hippocratis quæ talis est: Pars uaporis nigra & terrea, quæ sursum trahitur in aerem transit, & ipsum obscurum reddit æstate, hyeme autem efficit nebulam, quod uerò tenue est, & humidum concoquitur altius attractum atque dulcescit, nam & alia omnia eiusmodi dum coquuntur dulcia euadunt. Quocirca notanda est una regula dialectica, quæ est, quòd propositio per se quatenus simpliciter recipitur fit uniuersalis. Velut in hoc casu, omne aqueum coctione dulcescit, id est donec manserit aqueum dulcescit: nam & mel ab initio dulcescit. uera est ergo propositio Hippocratis generaliter. quia & si mel dum ulterius coquitur amarescat, cum amarescit amplius non erit aqueum, uerum est ergo dictum Hippocratis. Et ideo melius etiam ad propositionem per se deducetur, si modo Galeni quarto de Simplicibus (cap. 17.) medicamẽtis eam determinauerimus sic, omne quod non est maxime dulce à calore dulcescit. nam mel aliquando fiet coctione dulcißimum, & tunc amplius dulcescere non poterit. Sed quoniam saccharum aliquod est, quod neque maximè est dulce, nec coctione dulcescit: ideo præstiterit ad propositionem per se eam reducere scilicet: omne aqueum coctione dulcescit: quia cum non dulcescit desinit esse aqueum.

Dubitat Alemanus ex Theophrasto, qui dicit sexto de Causis plantarum, (cap. 3.) & sumpsit ab Aristotele, quod sapor & odor non sunt nisi mistorum, quomodo aqua in nubibus dulcescere possit, cum aqua sit simplex? Sed facile est respondere, nam argillam dulcem esse ait, quia parũ mista, ideo subdulcis est, uelut etiam aqua. Quousq; aũt aquam coquere expediat artificiosa coctione declarat Galenus quarto in sextum Epidemiorũ (Com. 10.) dicens: cum aquam esse coctam cũ aerem admittat, quemadmodum dicit Hippocrates in Textu: uerùm ego interpretor cum in spumam tota conuersa fuerit non pleno uase ne disrumpatur & cum operculo, sic enim melius & tota æqualiter coquitur, nam si sine operculo quamuis bulliat in summo, in fundo frigida est, ut experimentum docet.

TEX. XIX.

QVandiu igitur dispersa fuerit, & nondum congregata fertur sublimis. Vbi uerò coaceruata fuerit, ac simul congregata derepente à uentis inter se aduersarijs, tunc deorsum prorumpit, qua parte plurima collecta fuerit. Tunc enim hoc magis fieri uerisimile est, cum nebulas à uento stabilitatem non habente concitatas ac procedẽtes, derepente uentus contrarius, ac aliæ nebulæ relisserint: atq; tunc quidem prima ipsius pars congregatur, quæ uerò à posteriore parte sunt, insuper accedunt, & sic crassescunt, ac simul congregantur, & præ grauitate deorsum prorumpunt, & pluuiæ fiunt.

Ostendit quomodo aqua descendat, & qua parte descendat, & causas cur congregetur, & quod non tota descẽdat. cur igitur descendat dicit, quia congregata, fit enim grauis, & omne graue deorsum tendit: ideoq; descendit, cõgregatur autem ob uentos contrarios qui eam constringunt: nã simplices uenti transferunt nubem. Et qua parte primum congregatur, eadem primum descendit. Vnde sequitur, quod tota unquam uix descendat, quia uix etiam fieri potest, ne unius uenti impetus desinat ante alium: aut saltem ut non sit è regione oppositi, & tunc reliquiæ nubium transferuntur in aliam partem: quod uidemus aperte in finibus æstiuorum nimborũ manifestè. Et quia huius proposuerat duos modos subijcit secundum.

Tunc enim hoc magis fieri. *Proponit alium, ut dixi, modum qui frequetior est. rarò enim accidit ut uenti contrarij simul oriantur, sed post instabilẽ & uariũ frequenter suboritur unus qui incertum uagantes nubes cogat et collidat, actum descendit pluuia. Et dicit quod tunc primum prima pars, id est uento propior cõgregatur cum aliæ anteriores hincinde frãtur, & fit nigra, inde*

descendit, post statim pluit: perseuerante autẽ uento illa pars & sequentes præoccupant & superueniunt quasi fugientibus, si uenti alij nõ propriè contrarij sint & imbeciles, & tunc augetur nubes atra & pluuia. Ideo ex hoc etiã facile est conijcitari procul ubi nubes moueri nõ conspicimus, qua parte uentus ueniat, nam & hoc ad salubritatem corporum, & forsan etiam aquarum aliquid potest. Hinc colligitur nubem non totam fieri, sed sensim ut pluuia decidit.

Hic licebit exquirere quomodo fiant fulgura? scilicet, an uerum sit quod ex cõcursu uentorum, de quo hic in litera, ut aiunt Philosophi. Nam Aristoteles secundo Metheororum, (cap. penult. toto & ult. in fin.) Proponit tria principalia quæsita, cur corruscatio? cur descendat & nõ ascendat, cũ sit de natura ignis? cur tonitru? alia tria minus principalia: cur non sereno tempore? cur non semper dum nubes adsunt? dicitq; duas esse corruscationes? Addo ego totidem, cur cum tanto impetu? Et cur aliquando lapis & an adsit? & cur redoleat sulphur? Fulgur appellant tenuiorem corruscationem, fulmen crassiorem. & de hoc est libellus filij mei: ex quo colligam quæ his proponuntur. Aristoteles, cum ex similibus ad similia processerit, unum præsupponit quod est uerum. Exhalationem seu uaporem siccum ac terreum eundem esse causam terremotus in terra: & uẽtorum in aere, & fulguris ac tonitrui in nebulis. Sed in hoc aberrarunt Peripatetici omnes, quoniam conantur reducere in uentorum uim tonitrui sonum & impetum fulminis. narrat autem Auerroes ex authoritate Principis, (2. Metheor. com. ult.) quod fuerunt inuenta frusta quædam similia ferro & æri quæ deciderũt ex fulminibus quæ ipse igne conatus est liquefacere, & non potuit, sed corrumpebantur ab igne. De descensu dicit Philosophus & rectè quod reliditur à superiore parte, tanquã à contrario quia frigida, cum exhalatio sit calida & delata ab inferiore parte ad superiorem: ideo pari impetu extruditur, & si leuis sit ignis ad inferiorem: & dat exemplum pulchrũ de nucleis exclusis à digitis, qui superius tendunt ob impetum, quamuis graues sint. Auerroes autem uult quod ad hoc etiam faciat grauitas partis terreæ in fulmine: nam fulgura uidetur sentire quod non semper ad terr descendant: & est ratio non leuis pro ipso, quoniam tameti & fulmina sursum aut in transuersum ferãtur, tamen tandẽ cum graue semper necessario in fine inferius tendat, necesse est cũ impetus ob uelocitatem maximam non posit mul tum decedere, ut feratur demum ad terram cũ impetu magno etiam. causa quòd accendatur exhalatio, est frigus contrarium cogens eam: ut de calce & aqua, tum motus ob uentos: unde accensa occupat longe maius spacium, ipso Philosopho & experientia testibus, & cũ accendatur statim magna pars illius exhalationis dissecat aerem & nebulã uelociter, & cum nebula non possit adeò celeriter loco cedere, ut quæ quanto magis cedit, eo minus cedere possit ob densitatem, eo deuenit ut pars superior & latera sint immobilia, & habeant hæ partes rationem culi & laterum machinæ igneæ, & non fit hoc infra, quoniam natura ignis est, ut tendat sursum. Ergo tanquam ex machina pendẽte defertur fulmen, quod aliquando est sola corruscatio, aliquando ut arena & frustula lapillorum, & aliquando lapis palmi longitudine aut maior, frequentius minor, aut lapides. adeò ut sint fulmina trium generum, defertur deorsum cum illo impetu & bombo, sicut uidemus hic in machinis ad unguem, quas bombardas uocamus, & ideò olent sulphur omnia fulgura, ut etiam uisum est in Palatio Bononiæ cum cecidit fulmen: & de arena: nam perfodit muros in pluribus locis, et palmi, aut amplius lõgitudine, & nõ penetrauit nisi in uno aut duobus locis, pars ea quæ erat lapidea & parua, ut ex foramine deprehendebatur, in alijs erant foramina quæ stylum tenuem uix caperent & tamẽ longa. Ex quo patet quod sereno tempore non potest fieri, quia & si fiat ignis nõ concluditur inter nubes, sed exhalatur ad superiora & ad latera. Et si nubes sit rara, ut niuis tẽpore in hyeme, non fit, nam rara est ut superius dixi, nec exhalatio terrea tunc sursum ferri potest. Solum remanet illud admiratione dignum, quomodo possit in tam breui spacio pars illa sulphurea: uerti ac præparari in formam pyrij lapidis, ut totus simul possit accendi, ad hoc sublato neq; fulmen neq; tonitru fieri posset.

LECTIO XLVII. SVPER TEX. XX.

ATq; hæ quidem aquæ optimæ sunt secũdum hanc rationem. Verum opus habent ut decoquãtur, ac excolentur: Sin minus, odorẽ prauum habent, & raucedines & uocis grauitatem bibentibus inde accedere par est.

Ostendit aquas pluuias quæ hoc modo descendunt optimas esse: quod tamẽ his aduersari uidetur, quæ dixit quarta particula sexti Epidemiorũ

(Tex. 19.)

» (Tex.19.)Aquarum arte carentium quæ ab Ae=
» there excreta est,aut cũ tonitru temporaria: pro=
» cellosa uerò mala. Vbi uidetur naturali præpone=
» re etiam artificiosam,cum dixit(arte carentium)
» quasi uelit non simpliciter pluuiam etiam si ab æ=
» there excernatur optimam esse. Proponit autem tria illius genera:quæ ab Aethere,id est quasi se=reno tempore nubibus albis excerni solet: aut cũ decidit sine tonitru guttatim,ac quasi repente, ut in æstate fieri solet,cũ hæc purissima sit. alia quæ cum tonitru decidit temporaria, id est repentina aut temporaria, respondens tempori ut in fine ueris principio Autumni & per totam æstatem,non autem in fine Autumni,uel per hyemẽ, aut etiam à principio ueris: tunc enim hæc temporum perturbationes cum sint præter naturam,fiunt à uiolentis exhalationibus,ut aquæ illæ non sint adeò tutæ. Sed redeo ad Textum illum: dicit procellosa uero mala. Sed quæ est procellosa illa? Græcus codex habet λαιλαπῶδες à λαίλαψ,quod est imber cum turbine, id est delatus impetu uentorum. Propterea Galenus, qui tot ibi dicit, uellem ut hoc saltẽ explicaret,in quo differat ab ea quæ cum tonitru uenit:nam procellæ tonitrua habent. Dubium non est, illum tres aquas describere pluuias:quarum, quæ ab æthere est, id est puro aere optima est,cum pars cœli serena est,pars non admodum nigra nube tenetur:alia quæ est conueniens tempori,& cum tonitru.liquet ergo cũ procellosam temporariæ opponat,hanc uocare quæ solitis temporibus euenit,& moderata est:uituperare eam quæ insolito tempore, & confestim ac breui tempore perdurans effunditur.quasi immoderatis uentis concretam,nec à sole concoctã cùm tempus undequaque serenum extiterit, ipsa uero repente proruens exciderit è cœlo. Vt procellosa tempestiue è directo opponatur. Est ergo tempestiua quæ uerno tempore aduenit tum æstatis initio, & sub arcturo,& in ortu & occasu signorũ,uelut pleiadũ aquas effundentium procellosa intempestiua. Sed et quæ cũ grandine uenit, omnis procellosa est,quoniam frigida & altius concreta,ubi fit grando, uitare etiam oportet aquas quæ à tegulis fluunt,& maximè ab initio pluuiæ: nam cũ eas abluant sunt sordidissimæ et nigræ etiã. Quæ igitur hic dicuntur de duobus primis generibus aquarum,scilicet quæ à puro Aethere,& cum tonitru temporaria sunt intelligenda,nam prima est absq; exhalatione terrea prorsus quia sine tonitru,secunda concocta cum sit temporaria & præcedentibus nubibus.

Reliquum est ut uideamus an tales aquæ debeant statim excoqui:& si iam putrescant,an excoquendo emendentur:& quomodo, seu qua parte decrescente sint excoquendæ?et cur noceant præcipue uoci,rationem etiam excitando? Alemanus(lib.31.cap. 3.)consulit aquam usq; ad dimidium excoquendã ex Plinio,sed melius cum Diocle apud Oribasium dicat, (lib. 5.collect.ca. 4.) ut tertia pars decedat admiscetq; alba ouorum,& in amphoram aquæ argillæ siccæ semisexturium, id est partem XXVII. imponit,nam amphora pro mensura XXXVI.continet sexturios. Aquam præterea malè olentem iam calefactã manu sub uento agitando in magno uase inde in parua transfundendo corrigere docet. Galenus quarto in Epidem. (Com.10.)proponit duos primũ usus excalefaciendæ aquæ,unum cum est lutulenta,sordida,fœtida,ad remouendum has prauas qualitates:alterum cum etsi bona sit,uentriculo noxia est aut quia tardè descendat aut percellat aut quia laxet aut prægrauet ipsum, in utroq; casu meminit solum ut calefiat nõ ut decoquatur ad dimidium; nam ex calefactione dicit, duplex accedit commodum ut tenuior,& ideo concoctu facilior,& minus inflãs euadat,alterum ut quæ in ea mista sunt sponte descendant,dum permanet quieta, & ita purgetur.dico quod potest addi tertium exhalatio uaporum tenuiorum,& ita ut abscedat malus sapor & odor: Et si quis dicat, quod etiam absq; refrigeratione quiescendo poterũt descendere partes terreæ,& ita purgari:dico quod non,quia calor illas in aqua sustinet. Dicit ergo ibi,aquas coqui in usum ut reliqua. Et ideo duplex est usus coctionis maxime herbarum. Sed & carnium unus, ut res quæ coquitur melior & suauior reddatur: alter ut uis eius quod coquitur in aquam transfundatur,unde etiam fiunt iura. Docet præterea usum duplicem talis aquæ calidæ & frigidæ:frigidæ dicit,ubi nil noceat, est enim iucundior gustu, sitim magis sedat,& nauseam non moueat: contra calida maximè tepida non solum nauseam,sed etiam uomitum cit,ut in uita Aesopi, seu historia seu fabula sit,de illo qui ficus deuorârat. Iuuat autem calida primum in uomitu ciendo, utemur & in doloribus,ut quinta Aphoris.(22.)& ubi pectus laboret,& sputum emittere opus sit,nam frigida astringit & cohibet: iuuat autem frigida in tribus casibus præcipuè, in animi deliquio & uirium defectu,in sanguinis effluxione,& in erysipelate interiore non ulcerato. cum ergo dicat Galenus bis quod sufficiat excalefacere,(23.)intel=

ligendum tamen est ut ab Hippocrate in Textu, quod bulliat, non est ut coctionem requiramus ad dimidium.

Quod uerò aquæ tales efficiant grauitatem uocis ac raucedinem: Alemanus exponit causam, quix concoctionem corrumpunt, inde ex hac caput prægrauant, atq; ita per destillationes efficiunt grauitatem uocis ac raucedinem. Hic est error maximus, dixisset enim expresè quòd sunt noxiæ uentriculo, iecori, capiti, & ideo cum oppositum dicat, & uelit quòd sint maximè leues & tenues, ideo aliam oportet requirere causam, quæ est, quòd eiusmodi aqua cum bibendo transeat ad asperam arteriam, propter loci propinquitatem, ut primum docuit Plutarchus (pag. 34.) in libro cui titulus est Stoicorum contrariorum dicens, Platonem hoc docuisse fuisseq; sententiam Hippocratis, Philistionis ac etiam Dioxippi Hippocratici, tum inter poëtas Euripidis, Alcæi, Eupolis & Eratosthenis. Quin etiam illud idem à Galeno, (cap. ult.) tribuitur octauo de Placitis Hippocratis & Platonis, & clarius in secundo de Simplicibus medicamentis, (cap. 17.) & magis mirabile: inquiens, Percolatur autem aliquid perpetuò ex potu per asperam arteriam in pulmones, quod si salsum fuerit illam exasperat, sin autem mordax etiam tussim excitat. talis autem aqua pluuia non purgata præcipuè neq; colata scilicet neque cocta, cũ subsalsa sit, quare præstiterit omnem pluuiam prius percolare, securius etiam ab initio coquere.

An uerò aqua corrupta per coctionem possit emendari? Respondemus, primum illud accidere ei quod de uinis, secunda Aphorismorum dicebat Galenus, (Com. 17. in fine.) quando corruptio fuerit modica, & in initio iam transuasata corriguntur, corrupta prorsus nequaquam: idem de aqua, remanet tamen imbecillior quasi resoluta compage. Quantumuis autem corruptum sit, minus mala tribus rationibus tum quia leuior nam rarior, ideò facilius penetrat, & magis mouet excrementa, præcipuè urinas. Secundo quia minus putrida fit exhalantibus uaporibus: Tertio quoniam descendit in ea pars commista, cum sit attenuata. Et potest addi quartum, quòd si calida bibatur, minus sentitur sapor & odor malus: quia minus redditur abominabilis: Indicio est potius calidarum sponte nascentium quæ frigidæ uix bibi possunt. (Secunda primi Doct. secunda, capite decimosexto.) Et Princeps dicit, quod acida si edantur prohibent aquarum pluuialium corruptionem. Et hoc confert, nihilominus magis gutturi & pulmoni nocent, nec sufficiunt ad prohibendam corruptionem: ideò melius est insistere percolationi atq; coctioni. sed hoc in casu necessitatis.

LECTIO XLVIII. SVPER TEX. XXI.

AT uerò aquæ ex niue ac glacie fientes, omnes malæ sunt, cum enim semel concretæ fuerint, non amplius in pristinam naturam restituuntur, sed quod quidem in ipsa clarum ac leue, & dulce est, excernitur ac disperditur. Quòd uerò turbidissimum est ac ponderosissimum, relinquitur. Hoc uerò cognoueris hoc modo, si enim uolueris hyemis tempore uasculum certa aquæ mensura infusa sub Dio exponere, quo maxime congeletur, deinde postridie in locum calidum deportatum sinere, quo maxime glacies liquescat, & ubi exoluta fuerit, aquam metiri, reperies aquam multo pauciorem. Atque hoc signum est, quòd à congelatione id, quod leuissimum ac tenuissimum est, disperditur, & non, quod grauissimum ac crassissimum existit. Non enim hoc disperdi poterit. Hac igitur de causa has aquas, quæ à niue ac glacie eliquantur, pessimas esse puto ad omnes res: Itemque eas, quæ ad has sequuntur. Atque sic quidem de pluuialibus & niualibus, ac glacialibus aquis res se habet.

Aquæ quæ ex niue & glacie fiunt opponuntur è regione pluuijs, ut par est, quoniam sub eodem genere continentur, in illis enim assumitur solum quod tenuissimum est, leuissimum atque dulcissimum relinquitur, crassum, ponderosum, crudum, at in glacie & niue contrarium ad unguem accidit, cum dum fit nix aut glacies tenuissimum, leuissimum ac dulce euanescat, quod relinquitur & concrescit est crudum, crassum, turbidum. Duo autem genera iactaræ sequuntur generale ac primarium: & speciale ac secundarium. Palam enim est eiusmodi aquas

quæ esse frigidissimas, quoniam frigore concretæ, crassas, quia tenuis pars & leuis exhalauit, & terreas, quoniam glacies fit à terreo aliquo, ut etiam dixi de grandine.

Glacies enim seu gelu potius infestat, & aquam & terram & concreta ex ipsis, ut quinto de Causis plantarum docet, (capite 18. 19 & 20.) unde plantæ gelascunt uel propter aquam, & hoc est minus, uel propter terram gelatam, aut propter ipsas, & hoc est pessimum. Cur autem pruina congelascat, nix non, quod satis experimento constat, cum ratio uera esset satis manifesta quasdam recipit ualde leues, tertiam dubiam & forsitan falsam, scilicet quod pruina sit tenuior niue: constat enim, id est in materiã niuis esse uaporem qui ascendit, & ob id leuiorem, pruinæ, humilem ac crassum. ratio ergo est, quod in niue cum sit tenuior minus imprimit quam pruina, uelut è diuerso minus palea accendit, quam ferrum aut lignum, quia rarior illa, hæc densiora. at nix tenuior est, quia materia eius altiore loco constitit, & plus habet aeris. Neque idem est à frigido aere atque alijs corporibus congelari quæ non penetrant, sed exterius manent, ut ferrum, glacies, nix, pruina. hæc enim ut densiora sunt magis cogunt in glaciem quæ tangunt, aer ut tenuior est ac siccior pari frigiditate maius frigus induit, & in gelu cogit, quia magis intus penetrat. quamuis ut gelascit omne etiam magis concrescat. Et ideo à sereno tempore maiores fiunt ac duriores glacies quàm nubiloso. Similiter quod gelascit ut tenuius est, licet gelu concretione constet, celerius gelascit. quæ etiam crassiora sunt in maiorem duritiem concrescunt, ut terra aqua: & celerius, inquit, cum diuersa fuerit substantia aut pari ratione: nam in rariora magis penetrat frigus, & quæcunque natura frigida etiam celerius, ut Galenus inquit primo de Simplicibus medicamentis, (capite decimosexto & decimoseptimo.) Inter refrigerationem autem & congelationem hoc interesse putat, quod in refrigeratione sola qualitas mutatur, in congelatione non solum qualitas, sed etiam substantia concrescit atque durescit. Et congelatio etiam duplex est, alia cum calidum à mediocri frigore concrescit, ut plumbum, æs, & fere omnia metalla, ferrum enim congelatur, sed uix perfectè liquescit: alia à superfluo frigore uelut glacies. Quæcunque autem à mediocri frigore congelantur, ea sensim duriora euadunt ut metalla dicta, & ossa. quæ autem ab extremo ut glacies & grando ex aqua in duritiem, ex duritie in aquam ferme sine medio transeunt. Auerroes quoque quarto Metheororum in commento magno, (Col. 19.) inquit, Causa autem quòd non congelantur à frigido, cum hoc quòd frigidi est congelare res aquosas, uidetur quòd sit quia calor naturalis non separatur per frigiditatem, sicut in aceto & aqua lactis, aut quia pars terrea est ualde pauca, unde difficile est illa exsiccare. Cum ergo in aqua resoluta ex glacie aut niue, nam & nix est quædam species congelationis, remaneat priuatio caloris proprij, & crassities substantiæ, ob partem tenuem & leuem resolutam, & pars terrea, nam & lutulentæ aquæ celerius concrescunt in glaciem, sequitur necessario ut tales aquæ sistant aluum & urinas, & obstruant meatus omnes, & ideò ut generentur morbi omnium generum, & maximè ex retentione bilis: nam si illa flueret ad aluum, aluus flueret, cum ergo non fluat, necesse est consistere bilem, & ideo plena uesica illa corrumpet temperaturam iecoris, atque inde etiam spargetur per uenas, & generabit morbum regium: & inde rapietur ad cerebrum, & gignet phrenitidem, aut putrescet & generabit febres acutas: & generabunt etiam aliquando anginas, quæ citò præfocabunt, & si aduratur, melancholiam. & ita erit seges & lerna malorum.

Propria autem mala scribuntur quinta particula Aphorismorũ, (24.) his uerbis. (Tex. 2.) Frigida qualis nix et glacies pectori inimica, tusses mouent & sanguinem & destillationes. Et hoc est quod dixit, & quæ ad quas sequuntur: id est quæ ad primas iam dictas suprà de aquis crudis, ubi dixit quod tales quæ sunt turbatæ præ niue ac glacie pituitosissimæ sunt ac raucosissimæ. hi enim primi sunt morbi ex quibus alij progignuntur. Quod autem dignum est obseruatione, & à nobis usu cognitum, est quod talibus maximè contingunt scirrhi in iecore, & hoc est frequentissimum inter magna mala, & pessimum inter ea quæ frequenter eueniunt. Secundum est uentriculi læsio magna, adeò ut perueniant ad interceptionem pulsus. & hoc contingit ex aquis illis niue aut glacie infrigidatis. Tertium est, dolor coli, quartum lapis renum, in aliquibus uesicæ. Hoc quę obseruaui de duobus primis in purpuratis Romæ, qui consueuerunt refrigerare aquas niue uel glacie, &, quod maiorem inducit frigiditatem, halimitro, ut etiam in libris de Subtilitate docui.

Hoc uerò cognoueris hoc modo.] Vult oſtendere, quod in aquis quæ congelantur pars tenuiſsima & leuiſsima exhalet, relicta craſſa ac grauiſsima, & utitur hoc argumento euidentiſsimo & pulcherrimo, dicens: aqua quæ fit diſſoluta glacie ſi comparetur ad illam ex qua glacies facta eſt, minus occupat ſpacium longè quàm antea, ergo reſoluta eſt non occultè, quare cum non pars craſsior & grauior ſit reſoluta, quoniam ſemper quod leuius eſt ac tenuius, celerius reſoluitur, ergo aqua dum facta eſt glacies, reſoluta eſt pars tenuior. Ad hoc quis poſſet dicere, quod non minus argumentum probat de diſſolutione quàm congelatione, quia dum congelata eſt, non uidetur facta minor, nec minus occupare ſpacium quam antea: & quamuis aliquantulum decreſcat à lateribus nihilommus fit humidior in medio. nec eſt diſcrimen notatu dignum inter aquam priorem & glaciem, ſed inter aquam diſſolutam potius & glaciem antecedentem. Ad hoc diceret Hippocrates, quod glacies licet fiat coacta aqua & reſoluta parte, tenui: tamen loco eius ſubingredi aerem, & ideo aqua calida facilius & celerius congelatur quàm frigida, quia aer qui eſt intus antequam prodeat gelaſcit ab exteriore aere ob ſubſtantiæ tenuitatem & ſimilitudinem: idem refrigeratur coquit aquam: quia aer ob tenuitatem non poteſt adeò ſpiſceſſere ut fiat durus, & ideò neq; ut gelaſcat: nam glacies, ut dixi, eſt dura.

Propter hoc dico quòd glaciei generatio ſic fit, partes aereæ quæ ſunt intra aquã, id eſt uapores: nam ſub aqua aer eſſe non poteſt niſi ui etiam magna contentus (uelut ſi ueſica inflata ſub aqua alligaretur, aut magno pondere ſub aqua continetur) coguntur auxilio partis terreæ, & denſantur & tranſeunt in materiam ſpiſſam, & ideo inſpiſſant aquam propinquam: & fit res quæ eſt ſicut paſta, & quoniam actio quæ fit ab agente quod manet ſemper intenditur & augetur. & ob id dicit Ariſtoteles, (1. Cœli. Tex. 89.) quod motus naturalis eſt uelocior in fine quam in principio. & iſta propoſitio quæ adeò fuit probata, etiã eſt uera, non tamen eſt per ſe, quia non quatenus naturalis hoc accidit ei, ſed eſt commune etiam omnibus motibus uiolentis & uoluntarijs, & quorum cauſa agens non diminuitur, nec debilitatur in agendo: ut in ſcindendo ligna. Et cauſa eſt, ut dixi in libro de Proportionibus, (Ex cor. 30. Propoſ. Et demonſtratione eius & 31.) quoniam agens omne quod agit aliquid, præparat illud ad actionem ulteriorem, ſicut in actione imitium præcedit medium & finem, partes igitur remotiores ſentiunt initium actionis, ſed hoc eſt ut præparatio ad medium illius, & medium ad finem: igitur omne agens tam uiolentum, quàm uoluntarium aut naturale præparat paſſum: ſed in paſſum præparatum actio ſemper intenditur: ergo omne agens auget ſuam actionem eis quanto magis operatur, quando uis eadem manſerit. At frigus externum quod eſt agens principale congelationis manet: igitur à media concretione ad perfectam duritiem longè breuior fit tranſitus, quàm ab aquæ ſubſtantia ad mediam concretionem longe plus temporis interponitur quàm à concretione ad glaciem: Et hæc eſt cauſa quod glacies uidetur fieri in inſtanti ſeu momento: & forſan hæc eſt cauſa, ut generatio uideatur fieri in inſtanti, et tamen fiat in momento in tempore breui, non tamen in inſtanti. Et partes non æqualiter congelantur, ſed abſque forma coguntur hincinde, deinde reliquum adijcitur, nam cùm diſſimilitudo partium ſit communis omni corpori, adeò ut etiam cœleſtibus, ut uidemus in uia lactea, & docuimus in libro de Proportionibus, (Propoſ. 218.) de luna, neceſſe eſt ut in aqua hoc idem ſit: & inter reliquas cauſas pars ſuperior aquæ & proxima aeri eſt leuior, ima craſsior & media loco, media etiam ſubſtantia, & ideò partes ſupremæ celerius gelaſcunt, ſed minus duræ euadunt, quoniam ſunt tenuiores & proximæ frigori magno, inde mediæ fiunt duriores ſed tardius gelaſcunt: inferiores aliquando non gelaſcunt, quoniam calor intro refugit, & ibi ſe tuetur. Et remanet perſæpe aliquid non congelatum in ſuprema parte, & in infima aliquando, & rarius in medio: in inferiore parte, ut dixi, quoniam calor illuc ſe condidit in ſuperiore ob motum, motus autem refugit impreßionem: ſed in medio ob puritatem. Et ideo etiam in cryſtallo illud accidit maximè ſi aer adſit: nam aer diuidit aquam, & eam gelaſcere non ſinit, ſiquidem non ſolum concreſcere ſed dureſcere oportet quod gelaſcit.

LECTIO

LECTIO XLIX. SVPER TEX. XXII.

CAlculo uerò maxime laborant homines, & ex renū affectionibus, & urinæ stillicidio, & coxendicum morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, ubi aquas omnigenas bibūt, & de magnis fluminibus in quę alia deferuntur, & de stagno, in quod fluxiones multæ ac omnis generis deueniunt.

Hoc est quartum genus aquarum, nam primum fuit sumptum ab ortu, secundum ab aspectu, tertium à descensu, quartum à mistione. Proponit ergo duo genera mistionis ex errore, cum quis modo bibit fontanam, modo pluuialem, modo ex flumine, modo ex puteo: Secundum cum bibit aquam per se mistam ex pluribus, ut Tyberis, Padi, Istri, in quos fluuios plurimi alij influunt. inde subijciet genus non syncerum conducticiarum aquarum per canales, quales Romæ plures olim erant: atque omnes has aquas damnat, & proponit morbos prauos, qui ex potu earum oriuntur, & enumerat quinque præcipuos, omnes qui cum pudendis habent commertium, calculum, dolores renum, urinæ difficultatem, herniam & coxendicum dolores.

Primum igitur uidendum esset, quod hi morbi inuicem haberent commune, sed quia id nesciri potest, cum sint sede diuersi, nisi sciamus quomodo ex hac aquarum dispositione pendeant: hoc etiam non sciri potest cur potus aquarum diuersarum procreet hos morbos, nisi prius sciamus cur sit noxius, ideo primum scire decet cur potus aquarum diuersarum sit adeò noxius, ut deterius sit bibere aquas, modo prauas modo bonas, quàm prauas non multum & semper. Causa igitur huius est quod si uarietur potus natura non concoquit adeò bene, sicut de cibo etiam, ut secunda Aphorismorum, (38. & 50.) nam & consueta ut eiusmodi, & ut quia suauiora facilius concoquuntur insuetis. Et si dicas quòd aliud est de potu qui non concoquitur. dico quod potus eadem est ratio, nam si aqua bona sit & facile distribui apta, alia mala & quæ non sit apta distributioni, seu simul seu diuersis in cibis sumantur, natura hæret, & multum facit in cibo, & bona trahit malam extra uentriculum, & lutosam ad iecur ante separationem, & fiunt in uentriculo turbationes & inflationes: Et idem dicendum est de uarijs uinis: de uino praeter consuetudinem cum aqua misto. Sed istud est minus malum ob duas causas: prima quia aufertur caliditas uini: secundo quia uinum mutat aquam in sui naturam, & hæc magis refert: tertia etiam potest addi, & est quod mistio est ex duobus bonis. In consuetis etiam accedit quarta. Sed de duobus uinis est ualde malum, & quanto plura fuerint. Vt Epidaurij qui ob uectigal quod Turcæ persoluunt quotidie uina mutant: cum tota ciuitas ex eodem uino bibere cogatur.

Hoc igitur supposito, uidetur principium omnium morborum, aut uentriculus, aut iecur, aut renes: nam uesica non potest esse principium nisi stillicidij & lapidis, non doloris coxendicis, aut renum aut herniæ. Sed iecori cum hernia nil ferme commune est. uidetur ergo alterum duorum, aut ut læsio fiat in renibus aut in neruoso genere, scilicet in uentriculo, ut communicat partibus illis. Et hoc etiam de renibus uideretur sufficere, nisi esset quod adiectum est de hernia: & non dixit etiam de quo genere illius cum tot sint, aut igitur intelligit de grauiori aut generaliori, & ita est enterocele: quamuis uaricosa & carnosa, scilicet sarcocele difficilius sanetur, aut quòd omnes proueniant ab eadem causa, & ita intelligat de genere earum: aut quoniam ad unam reliqua sequantur. Et uidentur hæc omnino ex sequentibus potius deducenda quàm certa ratione cum difficillima sit. Dicit enim post: (Tex. 25.) Quòd autem non omnibus (scilicet eadem eueniant) consequenter declarabo. Quorum quidem aluus satis fluida est, ac sana & uesica non ardens, neque stomachus uesicæ ualde coardescit, hi facile urinam deijciunt, & nihil in uesica eis congregatur. Vnde patet ipsum intelligere de lapide uesicæ & comparatione uentriculi ad membra sub eo quæ afficiuntur: dico uesicam & renes & didymum ac scrotum. Et de uesica causa est: si enim impura urina eo deriuatur & ardens fit lapis in uesica: sin autem ardens & non crassa nec lenta, aut lenta uel crassa, sed non ardens fit difficultas urinæ absque lapide. Et si fuerit lenta & crassa, sed non urens, erit difficultas urinæ, sed absque dolore, si urens non lenta nec crassa erit dolor, difficultas autem meiendi parua. Ex quo patet

quòd

quòd lapis cum conficiatur ex utraq; causa adducit etiam difficultatem meiendi & dolorem. Et si adsit crassities sine lentore fiunt arenæ non lapis. Causa enim lapidis est maxime lentor inde crassities aut calor uehemens, nam etsi desit calor etiam potest generari lapis à frigiditate ob uesicæ imbecillitatẽ, sicut uidemus in alueis aquarũ frigidarũ. Similiter patet causa doloris renũ. nam iuuenibus & adultis conuertuntur hæ materiæ in renibus in lapidem & arenam ob uehementiam caloris, etiam quod mora non adsit: quia loca ibi sunt angusta: uesica autem non cogit lapidem ob robur musculorum eam comprimentium: unde exprimere in mictu uesicam ualidè (quod etiam aliàs dixi) securos nos reddit à lapidis generatione. Superest ut dicamus de causa generationis herniæ, an sit ex intestinis, an in uasis seminarijs, an in inani. Et de enterocele causa est potius in flatu comprimenti intestina inferius: ut in clamoribus & inflatione cornuum: sed hic motus est uoluntarius, & fit à ualida compressione musculorum uentris & septi transuersi: idem de epiplocele: sed nullus cibus aut potus potest esse causa huiusmodi compressionis: ergo nullus potus potest hac ratione facere herniam: nam neq; flatus ipse interiectus inter intestina & septum transuersum: uehementem enim faceret dolorem, at herniæ adueniunt sine dolore, ut experimento docemus, atque adeò ut incautè nos aggrediantur. Multo minus hæc potest esse causa rupturæ dydimi, cum illa fiat ex casu potius, ex uehementi clamore, ex ponderum eleuatione. Simul etiam uerba illa essent interpretanda, stomachus uesicæ, coardescit: sed hæc suo loco cum erunt declarata, non est ut hic laboremus. Sicut neq; cur coxendicis dolor, nam planum est ex renibus ad coxendices deuenire uenas & arterias, & ob propinquitatem etiam maximum esse consensum renum & coxendicum, dextri ad dextrum, sinistri ad sinistrum. Vt & à Vesalio in tertio libro delineatæ sunt, (Fig. sexti cap. litera ε, & 12. cap. 9.) uenæ quidem & arteriæ. Arteria enim ad coxendicem ueniens, propago est exterior interioris rami post diuisionem arteriæ magnæ descendentis, (literis utrinq; iuxta truncum in magnis ramis υ & θ.) cum ad renes perueniat multo altius ex magnis ramis à nondum diuiso trunco. Et de uena quidem clarius agit his uerbis: Præter hos ramos unus etiam articulum coxendicis accedit proprio sinu coxendicis ossis acetabulum priuatim subitus. Et ibi in margine ad literam κ est adiectum. Ad regionem ei. Apparet igitur consensus specialis. Generalis autem etiam adest in omnibus membris propinquis: uel solum simplex: ut cum dente dolente os etiam mandibulæ, id est partes illi adiacentes dolent: licet nulla materia transfusa. Est & tertia ratio sumpta ab Hippocrate (cap. 9. pag. 4. post med.) cum materiæ permeant per totum corpus, cum totum sit conspirabile inuicem, licet etiam non per uasa. Verum id potissimum accidere liquet ob attractionem ex similitudine factam. membra enim neruea, ut inquit Galenus, (2. Aphoris.) ex lentis & frigidis humoribus nutriuntur. Sed reuertor ad herniam. uerisimile est bisariam ex hoc potu aquarum illam contingere, & ex duorum generum, altero scilicet hydrocelem & enterocelem. nam serosum illud in sanguine cum fuerit cum qualitatibus, ut non superetur & sit corruptum, tunc efficit hydrocelem, si fuerit locus angustus & materia plurima, sin autem pauca & locus latus laxat peritoneum & fluunt intestina aut omentum: & ideo est species aquæ intercutis, sed non uitio iecoris factæ, & in hoc differt ab aqua intercute: quia in illa causa & uitium est in agente, id est in iecore, & non in potu, in hac autem est in potu non in agente seu iecore. Conueniunt autem in tribus: quia in aqua intercute, & hydrocele non est superatus ille ichor à calore naturali, & est corrupta substantia per calorem non naturalem, & ex his duobus sequitur, ut à renibus non trahatur. In aqua ergo intercute uel retinetur in iecore, uel primum spargitur in uenas. quia iecoris facultas expultrix est debilis, in hernia cum sit illa facultas integra, conatur iecur expellere ad intestina, sed ob prauitatem effunditur in cauitatem quæ est inter omentum & peritoneũ, ideo non relinquitur locus ibi in quem possit effundi nisi scrotum & didymus, ergo peruenit eò & fit hydrocele.

Nunc quærenda est causa causarum horum omnium, scilicet, quare ichor ille non superetur, seu postmodum non expellatur nisi ad concauitatem prædictam inter omentum & peritoneum, quia sit pessimus, seu sit magis terreus, & non adeò putris, & retineatur quod terreum est in renibus. seu natura renum sit ualida, & materia non terrea, & transmittatur ad coxendices, seu sit materia crassa & non lenta & uesica ardens aut lenta solum, sed ualde, & tunc, ut dixi, accidat difficultas urinæ: seu sit materia crassa lenta & uesica ardens, & fiat lapis. Et causa omnium est obstructio & clausio meatuum, atque interceptio

propter

propter coctionem impeditam. Impeditur ergo coctio ex ista aquarum uarietate, quia primum aqua mista, aut miscetur ex bonis aut malis aut utrisq;. Ex bonis nulla esse potest, quoniam optimum consistit circa medium, medium non est nisi unum ideò nulla aqua talis est. & si aliqua talis esset, esset bona, nec de hac sermo est Hippocratis. aut malæ inuicem miscentur, & tunc una non est peruia, alia nauseam mouet, alia flatus, alia fastidium parit: neq; dubium est quin deteriora sint plura mala quàm unum? Quod si mista sit ex bonis ac malis, cum bona aqua sit quæ cito descendit aluum mouet urinas, cito hæc descendens, trahet malas secum, & coctionem impediet & corrumpet iecur & uiscera: ideo aqua hæc maximè noxia erit.

Et de magnis fluminibus. Hic dubitari solet propter Nilum cuius aqua saluberrima est, cum tamen sit maximus ferme fluminum præter Indum Gangem et Macagnonum. Et in ipsum influunt etiam Astapus & Astaborus fluuij, qui à meridie orientali ueniunt, ut Ptolemæus docet, (Tab. 4. Africe.) Dico breuiter quòd terra illa est uniusmodi, ut etiam fluuij: & quòd postmodum cum Nilo diu deferuntur: & Nilus eorum comparatione est ualde magnus, ideo non possunt mutare aquas illius. Forsan quòd si Hippocrates nouisset Nilum hæc non adeò absq; exceptione scripsisset. Nam quòd non nouerit eum declarat inferius, ubi de Aegypto tractans non meminit illius. Et indicio huic sunt uerba Strabonis, (lib. 1.) Verum enimuero eius nomen (scilicet Nili) ea ætate nec dum cognitum fuisse credibile est: ostia uero tum obscura tum paucis nota (lib. 17.) Alibi autem sub nomine alio:

Ἀψ δ' ὡς Αἰγύπτοιο διιπετέος πολαμοῖο.

Et ut Gregorius Trifernas uertit.

Rursus ad Aegypti cœlestem nauigat amnem.

Non forsan ad hoc aduertit Hippocrates. Vnde Aristoteles in primo Metheororum, (cap. ult.) inquit, Thebæ Homero notæ fuere. Memphis autem nõ, seu quòd nondum esset, seu non tanta. Est autem Thebe uersus Aethiopiam, & suprahabita ratione decursus Nili, Memphis autem iuxta mare mediterraneum, quasi dicat quod mare occupabat eam partem, ut terra paulatim detegi cœperit: non tamen dicit quòd Nili fecerit mentionem. Difficultates etiam esset de Choaspe & Euleo, de quibus solis Parthorum reges bibunt, cum sint magni fluuij. Sed de his etiam infrà.

Et de stagno. Damnat nunc alia ratione stagna, non quia aquæ immobiles sint, sed quoniam ex pluribus aquis conflata sint. Noster Alemanus putat non omnino malam esse aquam, quæ in stagnis habetur: nam si in eis nascantur anguillæ frequentes, non erunt incommodæ.

LECTIO L. SVPER TEX. XXIII. XXIIII. ET XXV.

ET qui aquis inuectitijs utuntur, quæ ex longo, & non breui locorum interuallo afferuntur. Non enim fieri potest, ut alia aqua similis sit alij. Sed aliæ dulces sunt, aliæ salsæ, & aluminosæ, aliæ de calidis fluunt. Vbi uerò hæ simul inter se miscentur, dissident: & quæ fortissima est, semper superat. Præualet autem non semper eadem, sed aliâs alia.

Hic est tertius modus mistionis artificiosus aquarum. Et non est promptum diuinare quid per aquas inuectitias ἐπαγόμενοις intelligat: an inuectas canalibus ac fistulis, an fossis deriuatas, an nauibus aut iumentis delatas. omnes malæ sunt forsan, & quam excipies in una excipies, & in alia ratione atque interpretatione ἀγομένοισι afferuntur, uertit Cornarius & Alemanus. Sed magis ad rem, quoniam uerbum id amittit aduehuntur. nam tales per terras multas transire necesse est, ideo uariè affici. nam subijcit si prope id non accidere. id etiam ualde absurdum est, cum de populis loquatur. quæ enim urbs aquis, quæ procul afferantur potest sustentari? Pudeat tandem huius stultæ consuetudinis, ut grammaticam potius quam Philosophiam sciscitentur in interpretandis ueterum sententijs: & in litera uel syllaba facilius lapsum posse fieri existiment quàm in ipso rerum naturæ ordine. Modus uerò est, ut Romæ atque exemplum, plurimæ enim tum fossis tum canalibus inducebantur. Bartolomeus Marlianus in quarto Typographiæ, (capite decimo.) Romæ nouem aquas inuectitias enumerat, quarum quædam alio res, ut Anio nouus, altißima omnium, ut Alsietina humillima, ex his sex uia latina excipiebantur piscimis, septimo ab urbe lapide ubi limum deponerent, purioresque in urbem ingrederentur: tres conceptaculis caruere Alsietina, Appia Virgo. Duas deduxit Claudius à Gaio Caligula inchoatas, Claudiam & Anionem nouum. In his solet erigi machina

china quam uocãt caſtellum in urbe ubi aqua excipitur. Et cũ dicat ex his eſſe dulces, ſalſas, aluminoſas, & calidas miſceriq; inuicem, ſtultum eſt credere delatas humeris ſic miſceri, ſed intelligit de inuectis, ut dixi. Tria ergo incommoda docet, primum quod eſt commune, eſſe miſtas è pluribus, ſecundum unam præualere, adeo ut etiam hoc deterius ſit: Tertium quod eſt omnium peßimum modo unam modo aliam: animaduertens quòd non omnes aquæ eodem tempore augentur, igitur quæ ex pluribus miſcentur modo hæ modo illæ præualebunt: atq; ita ab eadem aqua diuerſimode afficiuntur tanquam diuerſis: adeò ut duplex ſit hæc miſtio. tum comparatione eiuſdem temporis tum diuerſorum. Quis enim adeò abſurdus eſt, ut uelit credere incolas aquas ſalſas & aluminoſas ac calidas dulcibus coniuncturos pro potu, niſi deſipiant. Sed cum deducuntur excipiunt riuulos diuerſos, quia procul ueniunt: neceſſe eſt enim ob id ut ſint diuerſæ naturæ.

1 Alſietina
2 Anio uetus
3 Anio nouus
4 Appia
5 Claudia
6 Iulia
7 Martia
8 Tepula
9 Virgo

TEX. XXIIII.

SEd & ex uentis, alij quidem Boreas robur exhibet, alij uerò Auſter, & de reliquis eadem ratio exiſtit. Talibus igitur neceſſe eſt limum & arenam in uaſis ſubſidere, & ab his, ſi potentur, morbi prędicti fiunt.

Et hic locus obſcurus eſt: nam ſuperius ſi ad regionem ſpectemus de illis egit: ſin autem de uento intelligatur quid poteſt Boreas aut Auſter? Dico ergo quòd quæ rectà feruntur uerſus Boream uel Auſtrum qui uenti potentißimi ſunt, turbantur à uentis aduerſis, & ex ripis etiam implentur, terra præſertim æſtate & tempore puluerulento: ideò in talibus aquis ſubſidet limus & arena. Et ideò iubebat Vitruuius ut nullius urbis uiæ reſpicerent uentos principales, idem dico de aquis & fluminibus: & eſt quartus modus miſtionis. Ex hoc collige, non eſſe bonum uti aquis poſt uentos ualidos, nam etiam hyeme à ripis & alueo conturbantur. Præterea limoſæ aquæ peculiaria habent mala longè deteriora quàm quæ narrata ſunt de alijs. Primum quia corrumpunt coctionem, terra enim incoctilis eſt prorſus & reliqua concoqui prohibet. Secundum quia obſtructiones ualidas inter uentriculum & iecur gignit & malum habitum. Tertium quoniam generat arenas & lapides. Idem etiam dicendum eſt de his qui cibos eiuſmodi edunt, ut tubera conchas, chamos, & aliquando oſtrea: in quibus ſoliciti eſſe debemus. Sed quiſpiam dicet, quare excolare eas non præcipit. Dico quòd ſi ſubſidant melius erit: nam excolando neque ita claræ euadunt, nec mala qualitas impreſſa ex limo aboletur. Ideo melius erit excolare eas prius inde excoquere eas, ut tertia pars decedat, inde reponere eas loco haud frigido, & purgatas à limo qui ſubſidet iterum excolare.

TEX. XXV.

QVod autem nõ omnibus, conſequenter declarabo. Quorum quidem aluus ſatis fluida eſt ac ſana & ueſica non ardens, neq; ſtomachus ueſicæ ualde coardeſcit, hi facile urinam eiiciunt, & in ueſica nihil ipſis congregatur. Quorum uerò aluus ardens & feruida fuerit, in his neceſſe eſt etiam ueſicam idem perpeti. Cum enim magis quam pro natura fuerit calefacta, ſtomachus ipſius inflammatur.

Quia aliquis dicere poſſet in quibuſdam regionibus omnes deberent laborare calculo? Dicit non, ſed ſolum hi quibus ueſica & uentriculus ardens fuerit. Sed primum difficultas eſt in hac dictione ὁ σόμαχος. Eſt enim ſtomachus ueſicæ, ut ait, os: adeò ut duplicem ſenſum habere poßit: ſitq; littera huiuſmodi: Veſica non ardens, neq; « ſtomachus ueſicæ coardeſcit ni facile urinam deij- « ciunt: & in ueſica nihil ipſis cõgregatur. Quum « uerò aluus ardens fuerit, in his neceſſe eſt ueſicam « idem perpeti? Vt ſuperſint reliqua uerba huius « Textus. Et ſtomachus ſignificet os uentriculi à σόμα, quod eſt os deductum. Et ſenſus eſt clariſſimus. alius eſt ut in littera, qui duas patitur difficultates, unam quòd non inuenio apud Hippocratem ullibi, neq; Galenum, neq; Rufum Epheſium, aut alium antiquorum, quòd ſtomachus poßit ſignificare os ueſicæ. Secunda quod non uideo quid faciat calor ceruicis ad generationẽ lapidis. nam non incipit difficultas urinæ ante lapidis generationem imò poſt, generatur enim lapis in ueſica, quia ueſica imbecillis nõ poteſt protrudere quod craſſum eſt & lentum in imo ad ipſius ueſicæ col-

lum:

lum: nam si protruserit expellitur: quoniam collum uesicæ est ualidum. Deinde est nimis inuolutus sensus, & ex longinquo petitus, præter morem Hippocratis, aluus feruens facit, ut uesica ferueat, qua feruente etiam collum illius feruet: quasi lapis generetur ob colli uesicæ feruorem, & non ipsius uesicæ. Imò lapis, si modò uelis cõtendere, generatur ob feruorem uesicæ & impedimentum in collo illius. Suspicor igitur literam deprauatam, & totum illud superfluum esse. Sensus ergo primus & noster est, aluo & uentriculo excalefactis, uesica etiam exardescit, & lapis generatur in ea. Quod si uesica ob stomachum nõ exardescat urina deijcitur, nec aliquid congregatur in ea, quare nec lapis generatur. Secundus est cum uentriculo & aluo excalefactis coardescit uesica, inde stomachus, id est illius os & urina retinetur, & congregatur materia, & fit lapis. at si aluus & uentriculus non sint supercalefacti, uesica non supercalescit, nec stomachus eius, sed libere urina profluit, & non generatur lapis.

Interest inter hos duos sensus, quòd in primo supponitur lapidem generari, inde sequi retentionem urinæ: in secundo retentionem urinæ necessario præcedere ad lapidis generationem. Habet autem prima opinio scilicet quæ literæ adhæret quatuor fundamẽta, quorum primum ex ipsa fide codicis habetur. Secundum ex his quæ mox dicet, ubi appellat expresse στόμαχον τῆς κύστεως, scilicet stomachum uesicæ. Reliqua duo nõ inepte adducit Alemanus. (Tex. 26.) Primum ex quarto de Vsu partium, ubi inquit, (capite 1.) Nomen autem huius ingressus proprium quidem œsophagus, commune autem est stomachus. omni enim uentri collum præpositum instar isthmi cuiusdã angustum sic nominatur. Quæ uerba postmodum quinto de Locis affectis sic interpretantur, (cap. 5. in princip.) Eam partem quæ inter fauces & uentriculi os media est, quam ueteres œsophagon nominabant, qui post Aristotelis seculum scripserunt stomachum appellare consueuere. quamuis Aristoteles prisco nomine semper hãc animalis particulam nominauerit. Hoc tamen potius prædictis repugnat quàm consentiat. ideo sufficiat inhæsisse primæ authoritati quæ satis clarè propositum astruit. Ratio altera sumitur ex quinta Aphorismorum. (Com. 58.) In recti intestini inflammatione Galenus inquit, uesicam pati ob uicinitatem est necessarium, ut quæ intemperiem participet & inflammationem, & etiã præmatur atq; cõstringatur à tumore qui in eo præter naturam existat. Verum & hoc non omnino concludit de tumore in collo uesicæ, sed in eius uentre tantum: de intemperie autem aliquid potest, de inflammatione autem cum nulla supponatur non est sermo. At in contrarium est inepta ratio literæ &, ut dixi, rei ordo qui quasi repugnat. uterq; tamen sensus uerus est.

Ex his colligitur modus præseruandi homines à calculo, dimittere lenta, crassa & calida ualde: dormire super stuppa serici aut lino, uel palea aut frondibus aut typhæ lanugine, nam alga humidior est, sed & cum mingitur exprimere quod retinet: Et si non sufficiunt gestare laminam argenti puri super renes, & usus raphani uiridis est præcipuus.

LECTIO LI. SVPER TEX. XXVI.

VBi uerò hęc perpetitur, urinam non dimittit, sed in seipsa concoquit, & adurit, &, quod quidem tenuissimum in ipsa est, excernitur: Et quod purissimum est, transit & emingitur. Quod uerò crassissimum ac turbidissimam est, coaceruatur, & concrescit, primum quidem parum, deinde maius fit. Dum enim uoluitur ab urina, quicquid crassum compactum fuerit, ad seipsum adaptat, atque sic augescit, & in totum concrescit. Et cum urinam emittit, ad uesicæ stomachum allabitur ab urina impulsum, & urinæ emissionem impedit, & dolorem uehementem exhibet.

In præsenti Textu docet clarè generationem lapidis in uesica quomodo fiat: seu ardente illius conceptaculo seu stomacho: & quamuis uideatur ob interceptionem potius de illius stomacho quàm de uentre intelligere, tamen uerbum ἀφίησιν, quod est dimittit, de cauitate docet illum non collo intelligere, nam dixisset non omittit. Dimittere enim continenti opponitur: uesicæ autem collum non continet, sed uel retinet, aut non recipit. nihilominus, ut dixi, etiam hæc opinio defendi potest: ut existimet duo genera retentionis, unum ante generationem lapidis cum tenuiter mingitur, nec affatim & crassa & sine cruciatu aut exiguo. & ideo caueant qui habent carnem in meatu uesicæ, & procrastinant curam, hi enim sunt para-

tissimi ad generationem lapidis in uesica, aliud cum post lapidem retinetur urina illo impacto in illius collum, & tũc nil mingitur aut guttatim, & dolorem uehementem exhibet, ut in litera. Quomodo ergo ex excremẽto illo generetur lapis, exquisitè nunc declarandum est. Et primum supponamus quæ sensu patent nõ in omnibus generari: adeo ut in quibusdam qui etiam laborant retentione maxima urinæ propter carnem in collo uesicæ, nõ tamen lapis generetur unquam, alijs quibus est libera & expedita eiectio urinæ, attamen generetur. cur infantibus & senibus maximè, cum hi sint frigidi, illi calidi? De lapidum differentia: De Arenæ differentia: & an mictus arenæ significet factum aut futurum lapidem? De signis autem lapidis etiam dicemus. Demum de modo quo lapides in uesica concrescunt. Ergo Philosophus duo affert impedimenta duritiei humidum & spiritũ: humidum resoluitur à calore: spiritus exprimitur à frigore. In quibus ergo durities facta est, tum à calore tum à frigore, tam humidum quàm spiritus ablata sunt, & ideo nec à calido nec à frigido dissoluuntur uelut lateres. & huius generis calculos seu in renibus, seu in uesica genitos esse constat. Quæ autẽ coagulata sunt à frigore, ut metalla & cera, à calore dissoluũtur: sicut quæ à calore solo, uelut sal, à frigore dissoluuntur: quoniã in eo relictus est spiritus, per quem refrigeratum, calor qui humidũ continet dissoluitur, atq; ita liquescit sal: maximè quod cum frigido humidum copulatur. Indicio est quod sal in igne positum crepat uehementer, sicut etiam castaneæ, quoniam plurimum spiritus continet. ergo cur & in pueris & in senibus gignatur lapis dubitauit Alexãder (1. Problem 110.) his uerbis: Quam ob causam cum calculus per calorem consistant (pueri namq; calidi sunt) & in senibus non nisi per illam eandem causam concrescit? Haud enim tãtam refrigerationem esse in illis putandum quantum nix & gelu contrahũt. Quippe cum summũ frigus renes omnino interimere possit, cur inquã si ita est non medicamentis contrarijs ad resoluendam calculi concretionẽ utamur sed similibus, id est calidis, ut saxapio & fœniculo, & eiusmodi cæteris? Ipsum per nimiam ustionem exussationemq; incidit, ut calculus in arenam frangatur modo pulueris, qui ex fictilibus immodicè terrefactis dilabitur. Itaq; minuti calculi facile, cum arena minguntur. fieri tamen potest ut etiam per frigidam potionem calculus expellatur: uidelicet cum renes ita corroborẽtur, ut bonis admodum uiribus per uim excernendi eijciant, nec nõ renum fernorem immodicum. qui calculorum cõcrescendorum causa est, frigida potio extinguit. Ergo sententia Alexandri est, quod Aristoteles cũ dixit quæ concrescunt a calore dissoluuntur à frigore, de liquefactione intelligit: at aliud est de contritione: nam atteruntur ficca ab immodico calore, humore consumpto, per quem consistebat, nõ possunt autem dissolui per frigus: primum ob causam ab Aristotele traditam, quia sunt calculi concreti simul à calore, & à frigore: secundo ob redditam ab ipso Alexãdro, quoniam tantum frigoris in humano corpore inueniri non potest. Docet igitur causam cur à calore necessariò si modo dissolui possit, dissoluatur: Demũ subijcit modũ quo iuuari possint à frigido: ne omnino labefactetur dictum illud quod est pro axiomate in medicina, Contraria cõtrarijs curantur: atq; id bifariam, primum quidẽ ut à frigore ipso prohibeatur ipsa calculi generatio, quæ à calore fiebat: secundo, ut iam concretus à renibus expellatur, dum sublata per frigus intemperie & robustiores effecti genitum calculum exprimere possunt. sed redeo ad primam dubitationem, retenta urina, non facile concrescit lapis, quoniam ab humido multo impeditur, liberè effusa concrescit, quia limus residet in imo. & rursus retenta urina concrescit limus, si libere effluat etiam nõ concrescit: Quid hoc? Dico si non libere effluat & tenuiter, hoc semper malum est, quoniam pars crassa necessario retinetur, & diu retenta generat necessariò lapidem: at prorsus retenta ubi eijcitur cum impetu exit, & expurgatur uesica: atq; sic nõ generatur lapis: & similiter eiecta libere cum expurgat, lapis non generatur. Et contra cum libere eijcitur urina, quod est in fundo concrescit, uel quia non constringitur, uel quia profundus est sinus in imo, uel quia collum sinuatur ut gruis. Vidi etiã in his quibus excisus erat lapis ob callum. Sed si fluat parum libere ut retineatur, & postmodum debiliter eijciatur non purgatur uesica, generatur lapis. Causa igitur generationis lapidis in uesica est imbecillitas eius: & ideò est communis senibus & infantibus: & maxime quia non mouẽt corpus ualidis motibus, & hæc est causa quod generatur in sedentarijs artibus, maxime in scriptoribus. tertia, est strictus meatus uel obliquus: quarta, materia crassa ac lenta, & quinta est fernor tam loci quam materiæ. In materia autem ut generetur cum est immobilis quanto maior quantitas tanto celerius magnus lapis generatur: sed in his in quibus mouetur quanto paucior cum minima

ma diuisa & homogenea, ut lapis saltē durus generetur? Generatur ergo hoc modo materia, lenta crassæ substantiæ, & ad minima diuisæ, cum à calore concreuerit in formam luti, iam non indiget ulteriore calore seorsum, sed tum uel etiam ante à frigore exiguo calori misto cogitur: ita ut frigus exprimat flatum & calor consumat humidum, atque sic lapis generatur, quandoque calor magnus cogit in lapidem ut in lateribus, quos ferreos uocamus, prorsus coniuncto humido aqueo, cum terra, & tunc superueniens frigus cogit in unum: Et ob id si diutius permaneant in fornace franguntur. Qui uerò magis durescunt à calore tēperatiore, & frigori melius admisto coguntur, sed indigent longiore tempore. Cum uerò non fuerint partes ad minima diuisæ, nec fuerit humidū pingue, uelut in argilla non concrescunt. Causa igitur est substantia terrea tenuissime diuisa, & bene admista humido pingui, & calor temperatus bene cum frigore & mora diuturna. Modus autem quo lapides concrescunt in uesica, cum sint plures modi, scilicet ut in aquis à frigore multo, ut in fornace ab immodico calore, ut in montibus à sicco & frigore, quasi auctus. nullo sanè istorum modorum. nam neq; in corporis humani ulla parte, tantus est calor ut fornacis: neq; frigus ut in imo fluuiorum: neq; siccitas ut in montibus, sed per uiam expressionis humidi tenuioris, sicut etiam generatur frequēs in pulmonib. & iecore & renib. bonū: qui enim gignitur in capitibus corni piscis, & gobij fluuialis & multorū aliorum gignitur, à frigore ut in alueo fluminis. est ergo his quartus aut quintus modus. dico quartum per expressionem & concretionē à calore temperato: quintum à solo calore temperato absque expressione ulla. Et sic etiam generantur in arboribus, sed à frigore moderato. Dico ergo quod omnis materia liquida pinguis per expressionem & etiam sine illa, cogitur à calore temperato in lapidem, uelut ouum super pluteum camini maximè rubrum. quod enim humidum est, si à calore concrescat uel à frigore, aut permiscetur, si pingue sit, aut euanescit si aqueum: & si pingue aut putrescit, aut exprimitur, aut cogitur. fient ergo quatuor ueri modi: aut enim exprimitur aqueum tam à calore quā à frigore: aut pingue exprimitur à frigore, quia putrescere non potest à frigore, aut quoniam à calore putrescit, demum quia concrescit. cur ergo dicet aliquis, ligna non concrescant in lapides, cum habeant humidum pingue. Dico quod præuenit putredo, & uertūtur in animal & in carie. Quod ergo lapidescere oportet, oportet ut lapidescat à frigore, aut pingue careat humido aqueo ut putrescere non possit. In uniuersum ergo omne humidum tempore, aut uertitur in puluerē absq; putredine si sit aqueum solum, seu à frigore, seu à calore: aut putrescit si sit pingue admistum aqueo: aut concrescit in lapidem si sit purum aut mistum aqueo, & à frigore cogatur. Similis est ergo generatio, hæc lapidum in æstate sub terra à sole. Aer autem prohibet in terræ superficie generationem lapidis ob motum, unde exsiccat humidum & efficit puluerem.

Differentiæ autem lapidum à generatione sunt tres: uel enim lapis generatur in lapide, & hic est durissimus, & plerunq; gēma cum eo peruenerit, ut uel limæ resistat, uel ut magnum nitorem accipiat: uel accrescit lapidi paulatim sui generis, & tunc si æqualis sit substantiæ, dicitur marmor, si nō leuis cossi inæqualis silex. Si autem generentur alio modo, dicuntur lapides, seu in terra, seu aqua, seu ligno, uel animali, & sunt molliores his. Et sunt ex his qui in uesica & renibus nascuntur plures differentiæ, cùm omnes sint ex uno genere molles, duri priores, asperi qui deteriores sunt & leues: magni similiter priores paruis & hæc nota omnibus. Duæ sunt differentiæ aliæ, non pariter notæ omnibus annexi, scilicet qui sunt insanabiles tam in renibus quàm in uesica, sed in renibus celerius occidunt, utriq; insanabiles, & si etiam comminuantur medicamentis, denuo accrescunt ut necessariò interimant Est aliud discrimen à colore, albi qui omnium molliores, inde rubri raro duri, nigri duriores, sed ferruginei & misti sunt omnibus peiores, sunt enim plerunq; durissimæ. Arena autem rubra à renibus fit, alba quandoq; fit à lapide uesicæ: ideo aduertite si rotūda sit, est minus periculosa si minuta et quasi derasa est periculosior.

Relinquitur dicendum de lapidis signis, cum ergo sint tres præcipuè differentiæ, nam color & durities unum parum refert, aliud est explicatum & est situs ut sit annexus uel non: magnus uel paruus, asper aut leuis. Oportet igitur scire signa omnia quæ possunt alicui speciei conuenire propriè, primum est igitur impedimentum meiendi, cum lapis ad collum uesicæ se exporrexerit. Vt id agat oportet ut sit mobilis, & magis id agit, cum fuerit paruus, sed non adeò ut emitti queat. Istud signum est certum, nisi in constrictione enormi: quia si lapis tendit deorsum & os uesicæ est in imo eius, ergo homine stante urina supprimitur si fuerit paruus, si magnus,

guttatim elabetur, non tamen est proprium conuerso modo, nam potest supprimi urina & tamen non aderit lapis, uelut à carne in meatu uirgæ & collo uesicæ, & est frequens ab arena, à sanguinis grumis, & à pituita crassa, & hi sunt modi frequentiores. Secundum est grauitas: hoc in magno solum est euidens, aut saltem euidentius. Tertium ut sentiatur motus eius: hoc non est in annexo, nec dum quiescit in imo uesicæ, parumq; sentitur uesica plena. Ideò sentitur in ascensu, in concussione alterius pedis uehementi, in repentina sessione, sed ut dixi, hæc debent fieri exactè euacuata uesica. Quartum est uirgo excoriata uesica. hoc non sentitur in coniuncto nec perfectè leui: sed oportet ut sit mobilis & asper. Quintum est ab urina alba, crassa, turbida, tanquam à causa, aut purulẽta ab ulcere iam facto, uel aquosa prorsus ob imbecillitatem uesicæ, factam à frigore lapidis & materia limosa, quæ adhæret lapidi. Sextũ est arena quæ deciditur, ut in Aphorismo (4. Par. 79.) Quibus in urinis arenosa subsident his uesica calculo laborat.

Diximus aliâs quomodo sit intelligendum, nunc etiam exquisitius declarabimus. oportet subsidere & non adhærere matulæ. nam eiusmodi à renibus solent excerni. Si autem subsidant à uesica calculo laborante, aut tanquam materia calculi erunt, at istud rarò admodum contingit: incrementum enim fieri solet in omnibus ab his quæ potestate talia sunt, ut planta à succo nõ ligno aut ramis uel frondibus. idq; semper fermè uerum est in his quæ uerè generantur. Vinculis enim contingit arctis alligari arborem arbori, aut lachrymã fortuito adhærescere, sed hæc casu fiunt & rarò, nec sunt uera incrementa. At in huiusmodi quæ non generantur sed concrescunt, non sunt enim ueri lapides: etiam difficile est ut sic augeantur, arena enim dura non adhæret lapidi, nisi per limum: & cum limo etiam facile motu exteritur, unde facile est motu & saltibus prohibere lapidis generationem: solo autem limo lapis augetur, ut etiam cum lapidem eximimus res ipsa docet, plerunque enim limo inuolutus inuenitur. Si uerò sit arena pars lapidis iam facti: necessario tophus erit & alba, & motu ac medicamentis & saltibus dissoluetur, unde non nisi (quod sæpe etiam euenire solet) cum plures fuerint lapides. tum enim si unus alterum afferat, arena prodit cum urina. secus rarissimè id accidit ut in urina propter lapidem in uesica arenosa frequentius subsidant: nam semel aut bis terue quaterue in anno casu contingere potest: sed neque tum necessariũ est lapidis in uesica contenti signum. cum enim lapis trifariam in uesica generetur, uel ex limo ut dictum est, uel ex lapide renum in uesicam delato inde superaucto, uel ex arena coacta & inuicem glutinata. hic tertius modus rarissimè contingit, quoniam partes se inuicem exterunt: Et ideo arena potius apparet post medicamenta atterentia lapidem, uel post motum assiduum & ualidum: & oportet ut sit tenuis, & in imo non adhærens matulæ: & hæc ut ibi docui significat lapidem. aliæ arenæ species non sunt signum lapides, sed potius urina crassa cum sedimento crasso, lento & multo & albo, cum substantia parum pura et non bene colorata, aut quæ prodeat cum magna urigine & dolore: Vel quod sit aquea & pura. Septimum est quasi mistum signum, & est compositum ex tribus, pruritus qui fit in præputio & tentio uirgæ & maxime in pueris: uoluntas egerendi quasi perpetua & molestia & similiter mictio frequẽs, quorũ ratio est uesica, quæ insidet recto intestino põdere lapidis uexat ipsum: mictio uerò frequens à uesica, partim fit ulcerata cum ulcerata est, & ab irritatione lapidis & urinæ putredine. Virgæ autem pruritus ille et tentio fit, quoniam partes illæ natura ad hoc institutæ sunt, ut ex titilatione arrigatur penis. ideo neque in senibus fit hoc, neque si lapis sit magnus. Vrigo illa immensa in præputio (quæ tanta est, ut nihil maius, contingit ob inflammationem partium quæ sequitur, ad ulcus in uesica, & tunc dolor maximus est. nam & ob id & ob sensus acumen qui in glande uiget, oritur: & plerumque exulceratur cauitas illa facta in glande retenta arena, sanie & urina putrida, ut sit ibi inflammatio & ulcus simul. Ista omnia signa per se non concludunt adesse lapidem, grauitas tamen & repentinum impedimentum in urina, ac rursus repentina liberatio & quæ multis diebus perseuerant. sunt præcipua signa: nam humor crudus non tam facilè redit & recedit, & pars eius apparet in lotio: nec talia afferũt grauitatem adeò manifestã ut lapis. sed & motus est magis proprius lapidis post illa duo: De lapide tamen immobili licet sectores affirmẽt, uix tamen credo & est res rara & parum ratio ei subscribit. Reliqua signa præter id quod possunt habere alias causas ut tria prædicta uix possunt distingui, ita ut doceant certè adesse lapidẽ, nam flagrãtia potest procedere, & ab ulcere et à materia acuta. Si autem sit urina splendida, ad uices absq; sedimento cum his poterit poni pro quarto signo & similiter arenulæ tenues, ualde ut puluis fusci

coloris

coloris aut uarij pro quinto: Sed hoc signum per se est nullum: ut etiam si nõ adsit, securitatem non affert. Cathetera autem est laboriosa, sed certa si non fidæ illis qui secant. Sed in ipso tangas in infantibus etiam tangunt digito medio illi per anum immisso absq; noxa Quidam etiam gloriantur se tangere posse in uiris: quod si uerum esset, esset certum, & ideo ualde utile.

LECTIO LII. SVPER TEX. XXVII. ET XXVIII.

QVare pueri calculosi fricant ac trahunt pudenda. Videtur enim ipsis causa mixtionis eo loco

Si omnes huius libri partes tam pulchrè explicasset noster Alemanus, uelut hunc Textum, satis nos à graui labore liberasset, propterea illius commentarium ad uerbum iussi exscribi eo contentus, nisi quod loca authorum ab ipso citatorum neglecta in margine adieci, simulq; annexi admonitionem non parum necessariam, & salutarem ad præseruandum à lapide ex motibus sumptum. Hæc igitur est illius expositio. Nominat potius pueros, quam ætatis alterius homines, quòd calculo uesicæ cæteris sint magis obnoxij, Teste Aëtio (lib. 11. cap. 9.) hunc in modum scribente: Generantur etiam in uesica lapides pueris frequentius quàm ætate proiectis, uoraces enim pueri sunt, & perpetui motus & cibis utrinque oblatis & nociuis utuntur, & neq; horam cibum capiendi seruant ordinatam, quin etiam prius quàm prior assumptus cibus coquatur, alium ingerunt: & cum uehementius à cibo moueantur, crudus & incoctus in uenas cibus distribuitur, mollia autem sunt ipsorum corpora, & quæ facilè cedant: eiusq; rei gratia obturationem circa renes non perferunt. cum uerò crassissima lotia in uesicæ amplitudinem perferantur, ibidem uelut uini fex & limus aquæ subsistunt, ac postea ex loci caliditate desiccata lapidescũt. His consentit Alexander, (1. Problem. 109.) sic quærens: cur pueris calculi in uesica nascuntur, senibus uero in renibus? Quoniam renes puerorum meatus continent præangustos. hinc enim terrena crassaq; permeans materia per renes, ui arctioris meatus ab urina & renibus caniculatisq; propellitur ad uesicam, hæc locũ præ sua amplitudine dat, tũ exercendi, quia affluat urina, tum consistendi quia materia subsideat calculi. At seniorũ renes, quoniam meatu sunt ampliori, locum & urinæ effluendi præbere possunt, & terrenæ materiæ subsedendi & concrescendi. Colore autem calculi, quænam materia sit quæ peperit, nosci potest. Hinc Hippocrates (3. Aphoris. 26.) inter puerorum morbos calculum ponit. Deprehendimus autẽ pueros calculosos ex fabulosis urinæ subsidentijs, & quod ipsis uirilia sæpius arriguntur, quando enim meiunt, dolent, tractant attrahũtq; pudenda, tãquam calculũ cum uesica exempturi, inquit Aëtius (lib. 6. cap. 60.) cui Paulus assentitur his uerbis: Pruriunt laborantes, & confricant pudenda, intenduntq;, & continuè in urinam propellunt, ac stillicidio uexantur, anus quoq; nitij particeps redditur pruritu laborans. Prominet uerò, & rectum intestinũ ui & contentionibus, imaginatione perinde, ac si lapis excernatur. Ambo enim inter se copulantur, anus & uesica: quorum uno affecto, & alterũ afficiatur est necesse. Propterea inflammato podice urinæ exitus clauditur. & uesica exacerbata sedes non deijcit: licet aluus admodũ sicca nõ sit. Idem scribit Trallianus (lib. 9. ca. 7.) hæc adsferens signa calculi. Vrinæ crudæ, & colore subalbidæ conspiciuntur, sedimentum est arenosum & scabiei simile, præterea ægri naturalia scalpere, aut ea uiolenter & sæpe distendere solent, atq; tũc magis, cum ad urinarum excretionem urgentur, trahunt pudenda, ut à calculo comprimente sphincterem separent: uel pruritu ad id ipsos cogente: uel propter titillationem, putant enim causam mictionis laboriosæ esse circa radicẽ pudendi, proinde tollere conantur illud ipsum contrectantes.

Hic tamen quædam relinquuntur considerãda: primum circa motum: quia enim motus calefacit renes, ideò crediderunt quidam quòd quies sit melior motu & lentè etiam deambulandũ ante cibum. Et uerum est quod quiescere & abstinere à decubitu calido, & à potu uini potentis & usu aromatum & renum pinguium & terrearum & lentarum: & ideò à caseo qui omnes habet conditiones: à cibis ex farina & à radicibus calidis, in quibus sunt duæ conditiones. plurimum iuuat ad præseruandum à lapide. Sed tamen quod à ieiuno sit lente deambulandum, id minimè uerum est, imò inæqualiter & magna cum agitatione & celeriter motibus quidem ualidis sed breuibus, sic enim non cogitur lapis, & nil est quod magis eius impediat generationem, licet quies non sit causa generationis: contrà, in cibis calida et terrea generant lapidem & lenta, illis tamen non uti minime hominem reddit securũ ab illius generatione. Quædam etiam damnata ab Aëtio, scilicet ualde calida & quædam terrea dissoluunt lapidem: tria præci

puè è lapidum genere, lapilli albi qui inueniuntur in oculis æstacorum rumpunt lapillos tophaceos in uesica: lapis Iudaicus fœmina, authore Galeno: & lapis inuentus in uesica fellis tauri: Princeps tamen laudat solum in arenalis hunc. Sed de rădice & furculis radiculæ, quam uocamus raphanum, ipsa est calidissima, & nihil magis prohibet lapidis generationẽ: etiam teste Principe. dico quod non intelligitur de hac, et maximè de furculis qui sunt optimi, folijs potentiores, radicibus suauiores, ciunt autem lachrymas: et cum considerauisi per hoc, nihil est melius his & furculis lapathi acuti, & maximè nati inter petras & succo limuniorum. Sed hic est noxius uentriculo, ideo debet coqui & esse in usu. his tribus essem contentus, usus quoq; aceti & olei prohibet generationem eius. Sed in lapatho huiusmodi, & quadam eius alia specie non adeo lati folij est, uis ad uriginem urinæ cum hoc: Testis etiam omnium horum est Dioscorides, (lib. 2. cap. 106.) mouet etiã aluum hæc herba, & non memimit raphani ad lapillum, neq; eam inter salutares cõmemorat: Quid diuturnus usus efficere possit; nõ dico nec despero, ut etiam de uesica. Quantum uerò aluus astricta noceat, non est facile dicere, primum enim calefacit uesicam et renes, ut materiam terream cogant: similiter iecur ut exurat humores, & sanguinem præparetq; materiam pro generando lapide: demum retentis partibus excrementi terrei, illæ trahuntur ad iecur & ad uesicam, & cum sint lentæ generatur facile lapis. Tertia dubitatio est, quia hic uidetur de infantibus maxime loqui, ut etiã ui debimus paulo post. At tertia Aphor. (Tex. 29.) tribuit calculum ætati tertiæ puerili, quam Galenus (26.) extendit ad duodecimum aut tertiumdecimum annum. Ego autem uidi in utrisq; scilicet infantibus lactantibus, & pueris prope pubertatẽ. nec hoc negat hic Hippocrates, quinimo proponit hanc pro alia causa generationis lapidis; & pro exẽplo succedentis ætatis, quasi à maiori sumpta cõparatione. Dicet aliquis, meiere sæpius an iuuet? dico quod neq; nimis sæpe, cũ lapis generetur potius tempore quo uesica est uacua ab urina quã quo est plena, sed si plena sit incalescit nimiũ, & etiam separantur partes, igitur bonum est obseruare hæc ut prohibeatur lapidis in uesica geueratio, primum ut non retineatur nimium urina, propter causas dictas. & etiam ne distendatur & debilitetur: secundũ ut moueatur et agitetur cum uult mingere, ut fex ascendat & misceatur cũ urina: tertium ut corpus aptetur, ita ut os colli uesicæ sit in inferiore loco cõparatione ad totã uesicam: quartum ut permittatur perfectè expũrgari, & maximè comprimendo uehementer uesicam cùm homo mingit, adeò ut sentiat uesicã perfectè euacuatam & liberam. & mingere à uectione in carpento non parum iuuat. Et similiter cõfert madefacere renes & lumbos sæpe aqua rosacea. Quarta dubitatio est circa cibos, qui, et si plurimi sint, modo parum nutriant, minus nocent paucis multum nutrientibus. Quid enim refert quod multum sumat cibi. Cum parũ ex eo transeat ad iecur pro lapidis generatione? Vitanda ergo sunt pinguia, crassa, lenta, terrea, mista è pluribus, ut tortæ cum aromatibus multis. Sed quia cõtingit multis quod dum minxerint, in matula apparet materia arenosa iuncta cum materia lenta, & adhæret matulæ, & fit crusta dura ut lapis, & tamen illis non generatur lapis in uesica, ideo quæritur causa? Et dico quòd talis urina non fit eiusmodi nisi cum refrigeratur & corrumpitur, id est perturbatur: quamdiu autẽ manet calida hoc non fit: cum ergo in corpore non refrigeretur eousq;, & per motum partes quæ adhæserunt parietibus uesicæ separentur & diuidantur, ideò tale sedimentum non est causa generationis lapidis nec signum: tametsi res non sit absq; periculo, & motus affert duo commoda. Sed in quibus non perturbatur urina si aliquid tale in fundo resideat nihilominus non ob aliud resident quam quod sit refrigerata: & ideò cum non refrigeretur in uesica, non potest etiam cogi in lapidem. Ideo in talibus oportet cauere ualde calida, nam ex illis cogitur materia, & etiam quia talia refrigerantur necessario in uesicam, sicut aqua feruens in caldario sufficit, aut quòd refrigerentur nõ exigitur ut refrigerata sint. Velut in plumbo & ferro, congelantur enim & concrescunt cum adhuc calidissima sunt, ideoq; semper antequam refrigerata sint.

TEX. XXVIII.

SIgnum autem eius, quòd hæc ita se habent, hoc est, urinam splendidissimam calculosi mingunt ad similitudinem seri, eo quòd id, quod crassissimum est ac biliosissimum, isthic manet, & coaceruatur ac concrescit. Et plerique sane hoc modo lapidem & calculum contrahunt.

Docet calculum fieri ex limo urinæ, quoniam qui calculum habent, urinam claram mingunt, & ideo signũ est quod pars crassa retinetur dicit & biliosa.

biliosa. Quomodo crassissimum esse potest, quod est biliosissimum. Præterea dicit Alemanus unum aliud quod si interpretemur ut iacet, uerũ non est, dicit enim quod cũ lapis annexus est uesicæ, æger mingit crassa, alba, turbida, mucosa, quia materia crassa euacuatur, & non abit in lapidem. Ex quo ergo genitur. esset autem auctus? Dico ergo quòd tales lapides connexi tardius augentur, quia maior pars materiæ crassæ effluit per urinam: at hæc fuit sententia illius. Quod autem Hippocrates dicat biliosissimum & crassissimum id potius experimento quàm pura ratione comprobatur. Nisi enim crassissimum esset non concresceret à calore, quòd uero sit biliosissimum apparet ex colore ipsorum lapidum qui non solum sunt flaui sed etiam fusci, quasi exusta bile. Et hæc fuit sententia illius quasi in huiusmodi uiris multum flauæ bilis ex sua uesica defluat ad uesicam, quod mistum est terreæ & crassissimæ parti humorũ conuertatur in lapidem. Addit Alemanus ex Principe interdũ in his qui lapidem habent uesicæ connexũ adesse urinam cum arenulis & hypostasi surfurea.

LECTIO LIII. SVPER TEX. XXIX. ET XXX.

Fit autem pueris etiam ex lacte, si non salubre id fuerit, sed ualde calidum & biliosum. Ventrem enim percalefacit, & uesicam. Quare urina, dum adurit, hæc patitur.

Rursus hic ex quarto de Morbis hæc rectè inquam ab Alemano citantur, (pag. 15.) & cũ tota illius serie adiecimus. nam & quæ Alemanus addit hic opportuna sunt. Cæterum calculi morbo principium oboritur à lacte, ubi puer lac sugit, lac autem in nutrice, impurum fit, si pituitosis cibis ac potibus & alimẽtis impuris nutrix utatur. conferunt enim omnia in uẽtriculum illabentia ad lac. Habet autẽ & hæc res se hoc modo. Si nutrix non sana fuerit, sed biliosa, aut aquosa, aut sanguinea, aut pituitosa, lac etiam malũ puero generat. Consentiunt enim corpus et uentriculus. Plurimũ uerò ipsi ad lac cedit de eo quod ipsa plurimũ in se ipsa habuerit. Et puer si de nutrice lac purum non suxerit, sed biliosum, uelut dixi, morbosus fit ac debilis, & in præsens maxime affligitur, quandiu lac prauum ac morbosum suxerit. At ubi non suxerit lac nõ purum, sed terreum & pituitosum, & habuerit puer uenas de uentriculo ad uesicam tendentes amplas ac attrahentes. Procedit aũt & quod bibit nutrix & lac in uentriculũ pueri tale, quale trahit à uentriculo de lacte, in totum simili- ter prout uenæ in uẽtriculum detrudere possunt. Si quid sanè in lacte nõ purum fuerit, id quod uesica fruitur, lapis fit hoc modo, uelut in aqua non pura in calice aut uase æneo turbata & rursus sedata, fex aceruata fit in medio, sic sanè & in uesica de urina non pura existente. Et nõ per urinam ejicitur, ut quæ in cauo sit loco, & maximè cum aceruatur: præ dolore per mictionem nõ pertransit, & à pituita cruda concrescit. Glutinũ enim fit pituita ad fecem admixta. Et primũ parua lanugo superstat, deinde quod accedit sit arenosum, glutino fiente pituita quæ est in uesica de lacte, & augetur: & quicquid humoris in glutinatione accesserit emingitur. Rursus autem fex solida fit, & lapidis speciem accipit, quemadmodũ ferrum ex lapidibus ac terra dum comburuntur fit, et in prima quidem in ignem immissione cõglutinati sunt lapides, cum terra adferri recrementũ. At ubi iterum atq; iterum in ignem immissa fuerint, recrementum quidem foras decedit liquescẽs ex ferro, id quod ita fieri oculis uidemus. Ferrum autem in igne relinquitur, & recremento recedente subsidet. fit q; solidum ac densum, sic profecto etiam fex in uesica, dum pituita glutinum fit, emingitur id quod ab urina liquescit, fex autẽ subsidet & densatur, ac solida fit uelut ferrum, ubi uero subsedit, ac solida facta est, sursum ac deorsum in uesica uolutatur, & feriens uesicam dolorem inducit, et si uehementer feriat, ac ulceret, aliquid de ipsa aufert. Verum id quod insuper affertur adhuc magis quam id quod arenosum decessit, cõcretionem efficit, atq; tali modo lapis fit de lacte in uesica: et si puero anxietas aliqua ab hoc oboriatur, aliàs atq; aliàs ubi meiere uult urina meatũ apprehendit. At si puero iã adulto lapis gignatur ex terræ esu, dolor nõ adest nisi prius quã ipse sibi ipsi cibũ deligat. Cæterũ morbus signa quinq; habet, nam ubi meiere uult, dolore affligitur, & urina paulatim fluit, uelut in urinæ stillicidio: & est suberuenta nimirum uesica à lapide exulcerata, & uesica inflammata est. Verum hoc signum inconspicuum est, indicat tamẽ summa pars præputij, quandoq; mingit arenosa, ejicit aliquando lapides duos, aut etiam plures paruos eodem modo generatos, ut de uno dixi. Hactenus Hippocratis uerba quod ad huius sententiæ intellectum mirum conducere uideatur recẽsere uolui, ex quibus colligere licet, nutrices nigras, biliosas cæteris non esse præferendas. harum lac cum sit calidum & biliosum, facilè uesicã & cæteras partes calefacit, qua urinæ adu-

uruntur, cuius & loci admistione pars crassior lapidescit. De lacte Dioscorides, (lib. 2. cap. 63.) probat lac candidum mediocre, et quod ungui impositum non diffluat: Paulus septem notas boni lactis ponit: quod mediocre sit & laudabile substantia, colore, odore, sapore, copia, quod impositum ungui claritatem habeat æqualem, ac mediocriter diffluat. denique quod coagulo in uitreo uase coactum, tam serosum quàm & solidæ substantiæ mediocritatem obtineat. Aristoteles inquit, (3. de Nat. animal. ca. 21.) His qui lactantur utilius lac est, quod ad liuorem trahat quam candidum. lac igitur quod optimũ atq; mediocriter spissum, non candidissimum est ut nix: sed nec liuidum, at quasi ad liuorem declinans. quod enim obscurum quoquomodo est, nõ adeò est aquosum. Sed omissa de lacte disputatione, dicimus calculos interdum à renibus in uesicam descendere, ibiq; ob crassitiem retineri, & temporis progressu augeri alijs humoribus crassis & lentis qui se illis in uesica coniungunt, adiectis atq; induratis.

Quomodo ergo fiant calculi adhuc diligentius est considerandum, fiunt enim cõglomerata in uesica materia nec eiecta: adeò ut uix generari calculus possit si totum quod in uesica continetur singulo die excernatur. Retinetur ergo materia calculi, antequam calculus fiat, nõ autem calculus fit antequã non excerni & retineri incipiat. Hoc autem initiũ est huius contemplationis, quod sex illa pluribus diebus retinetur antequam lapidescat, et cogitur primum, inde durescit, pòst concrescit, demum fit ut lapis. tuncq; bifariam retinetur, & ob situm & ob crassitiem. fit autẽ duobus modis, primum in imo uesicæ idq; frequentius, et est durior, alio modo adhærens parietibus uesicæ, et est mollior, concrescit enim in crustam, inde decidit fitq; lapis. Ideoq; & oleum & succi dissecãtes prosunt maximè in huiusmodi. & aqua cinerũ destillata. Sed quoniam Farnelius contendit in sexto de Morbis & symptomatibus, (cap. 13.) omnẽ lapidem in uesica habere origimẽ à lapide in renibus orto, & adducit duas rationes, prima, quòd nullum uidit hoc morbo conflictatum qui non laborauerit calculo renum: secunda, quod in medio talium lapidũ inuenitur quasi nucleus alterius substantiæ. Quid dicã ad hæc non habeo. constant argumenta singula singulis experimentis. At ille sibi fidem abrogauit, cum referat masculos nasci alio modo quàm fœminas. cum dum in utero sunt circumuoluantur ut exeant: facie autem respiciunt dorsum, ideo ut circumuersò fuerint omnes, ut etiam testatur Iulius Cæsar Arantius in suo libello de Humano fœtu, (cap. 8.) uentrem respicit & propriè de puellis agit. Sic cum in tot libris Aristotelis, Galeni, ac nostris nõ inuentum fuerit mendacium, ipse in insigni inueniatur, uidetur homo quæsisse gloriam sine pudore aut conscientiæ respectu, cũ non haberet aliam uiam qua sibi nomen compararet. plurimum enim ac plurimũ hoc refert ad salutem multorum, an hoc sit uerum uel fàlsum. Ideò tales homines scribunt admiranda, sine ullo respectu imò prodigiosa. Quid etiã prohibet ne non arena aggeneretur ut etiam lapidi. De secundo experimento non tentaui. cõcludo quòd utinam uerum sit. magnam enim lucem in hac causa attulisset. Illud mihi suspectum est, quod etiam est cum Hippocrate, quod multis pueris hoc accidit absq; renum calculo. Si tamen ita sit licebit coniectari certa ratione tempus, & quandiu sit quòd lapis in uesica esse cœperit.

Circa lactationem puerorũ meminisse oportet sex quæ colligũtur, aut saltem quinq; à Galeno in tertio de Alimentis. (cap. 15.) Primum quod lac nocet præcipuè quatuor mẽbris, iecori obstruendo, renibus & uesicæ lapillos generando, capiti si sit imbecille: sed maxime dentibus. Secundũ quod mel est ferme alexipharmacum lactis, cum hoc etiam prohibens ne in uentriculo congeletur. Tertiũ quòd lac coniunctum cibis ex farina, licet non sit adeò flatuosum, magis tamẽ obstruit & gignit lapides. Quartum quod lac inficitur qualitatibus non solum animalium & mulierum, sed etiam ciborum. Vnde dicit lac mulieris aut capræ quæ ederit tithymalum purgabit infantẽ, & etiam adultum. Ex quo patet quòd in timore calculi si nutrici dederimus rumicem et urticam, & eiusmodi ut linamnia & raphanos, reddemus ipsum tutum ab hoc periculo de quo Hippocr. in littera. Quintum quod cùm omnes cibi agant pro ratione quæ assumuntur, solũ lac cùm sit cibus unicus simul & potus in infantibus plurimum potest in huiusmodi causis ad iuuandum ac nocendum. Sextũ quòd pars sola casei est illa quæ gignit lapidẽ, butyrosa potius impedit: ideo ab asinino lacte nullũ est periculum. mirum est autem quòd cum dicant lac camelinum esse tenuissimum post equinum, inde asininũ, utantur tamen medici camelino & asinino, equino autem quod est in medio eorum nũquam.

TEX. XXX.

ET sanè sentio melius esse pueris uinũ quam aquosissimũ dare, minus emũ uenas adurit ac resiccat.

pueris

Pueris negant omnes uinum, Plato, (2. de Legib.) Aristoteles & Galenus. Sed & Aristoteles in septimo Politicorum dicit, non exhibendum ob ualetudinem, (de Somno & uigil. cap. 2.) Certe Hippocrates (1. de Tuend. san. cap. 1.) uidetur uarius etiã in tertio de Victu in Acutis, (ult. in principio.) pro quibus contradictionem exegimus in quarto libro. (100.) Ideo his omissis relinquitur illud de detrimento uini in pueris, quod est multiplex, primum quia lædit illorum capita, inde etiam neruos & mentem, quia nimis exsiccat & deducit materiam ad superiora, & ob id est ualde malum. Propter aquam enim ardentem quam continet hæc eueniunt, præterea male commiscetur, cum uinum statim penetret, & lac secum incoctum trahat. Quomodo autem suadeat uinum dari pueris, uel loco lactis uel aquæ: si lactis, hoc uidetur absurdum: quoniam uinum est potus, et non potest supplere uicem lactis: si aquæ, uidetur esse extra propositum, primum cum sermo nunc sit de lacte, non aqua. Præterea non solum pueris, sed longe magis iuuenibus & senibus hoc consilium conueniret. Propterea dico quòd loquitur de pueris, & comparat ad lactis potum non simpliciter, sed qui cum cibo solet administrari pueris. Et ideo in hoc casu uult conuenire uinum aquosissimum seu natura seu etiam mistum bonæ aquæ. Et ideo pars hæc cum præcedenti Textu est κώλα, ut dicunt Græci, abscissum à reliquo. est enim extra tractationem, & ob similitudinem solum hic adiectum, ideo reddebat anci-pitem interpretationem. Est ergo sensus, ubi lac sit calidissimum & biliosissimum, tunc seu propinetur cum cibo, melius est dare uinum aquosum ualde: seu natura si aquæ malæ sint, ut in proposito ante, seu dilutum si sint bonæ: seu lac detur sine cibo alio, melius est adiungere modicum uini oligophori, ad uitandum tãtum periculum, quale contingit genito lapide in uesica. Et hoc quia tale uinum purgat uesicam, ut habetur tertio de Victu in acutis, (Tex. 8.) & etiam quia tum minus redditur biliosum ob separationem partium & celerem expulsionem ex uesica. Infantes enim non purgant uesicam bene ob duas causas, quæ non sunt in pueris, nec iuuenibus, nec senibus, scilicet ob imbecillitatẽ musculorum & ignorantiam comprimendi bene uesicam cum mingunt, ideo illis est necessarium hoc auxilium.

LECTIO LIIII. SUPER TEX. XXXI.

MVlieribus aũt pudendis nõ similiter cõtingit, meatus enim urinę in uesica breuis est & amplus, ut facile urina impellatur. Neq; em̃ manu pudẽdum fricat ueluti masculus, neq; urinæ in uesica meatũ cõtingit. Ad pudenda enim perforatus est. Et quia meatus sunt ampli, etiã plus bibunt, quam pueri. Et de his quidem sic res se habet, aut his quã proxime.

Huius Textus partem explicuit Alexander 2. Problem. hoc modo: Cur fœminæ omnes calculum « sua in uesica lente cõcipiant? Quoniam ceruicem « uesicæ ampliorẽ quàm mares habeant. hinc enim « fieri potest, ut cum urina excremẽtum quoq; eji- « ciatur, quod calculum contrahit. Hic ad Hippo- « cratis uerba seu sententiam intelligendam declaranda est triplex colli uesicæ ad genitalia comparatio: in fœminis quidem una, in masculis aũt duplex, seu cum erigitur penis, seu cum flaccẽsit. Ergo cum masculo penis pendet uesicã intellige a b,

quæ lõgior est quã lata, cuius ceruicis initium sub osse pubis inchoat, quod dicatur inde ascendit, quantum est altitudo ossis pubis, & ibi se exerit, ut in foramẽ commune penis ingrediatur, figuram ergo d efficiet, ita tamen ut iacentẽ non erectam fingas ut d, at si penis erectus sit ad corporis perpendiculum ut e, sin uero eousq; ut uentri ferme adhæreat, ut adolescentibus & rigidis uiris in hanc formam, (Vesal. lib. 5. cap. 11. in fine, sed obscurè et cõcisè.) Sin uerò simplicius rem accipias, & ceruicem solã describas, licet non σ Græcum sed ꞅ describere, potius quod differt à σ, quia nõ clauditur inferius, & tũc Latino s assimilari poterit. Sit ergo figura eiusmodi magna ubi a finis uesicæ, b ossis pubis, pars ima c suprema quo inseritur penis os, ut ita dicam, ceruicis dum est inclinatus penis: dum est erectus ad perpendiculum, ut in secunda figura: & dum ad uentrem in tertia: in partem igitur a intruditur lapis, sed ut ascendat ad b, atq; inde ad c, non nisi per uim

per uim ueſicæ ſe cõprimentis, atq; impetum urinæ fieri poteſt. lata autem eſt ceruix iuxta ortum initio quantum fermè pollex patientis exeritur duorum digitorum non plenè latitudine ab ipſo oſſe. Excinditur lapis à ſiniſtra parte ſub oſſe pubis inde immiſſa cathetera, & è regione illius ubi collo ueſicæ intruditur, à ſiniſtra autem quoniam illa pars eſt è regione dextræ operantis: & etiam quia ſi à dextra manus artificis impingeret forcipem non in lapidem, ſed in ueſicam ſolam, & in latus ſiniſtrum, aut cogeretur auerſo brachio & manu operari. Ideo neceſſarium eſt hoc, & non ex natura rei, ſed ex comparatione. diuiſa carne inter muſculos obliquè parum. manifeſtum eſt ergo quod ad ceruicem peruenitur tum, quam etiam diuidunt. Si magnus eſt frangitur, ſi paruus extrahitur, inde cocleari ueſica purgatur. In fœminis autem ſupra collum uteri inſeritur ceruix ueſicæ, & parum immergitur, & eſt ſatis ampla nec reflectitur, inquit Veſalius, ut uix poſsit lapis in eis generari. generatur tamen & in eis quandoq; cũ ceruix arcta fuerit, & os ceruicis non exquiſitè in imo ueſicæ, quod ferme ita ſe habere neceſſe eſt, cum uteri collum rectà tendat inferius, et ceruix in ipſum inſeratur, fieri non poteſt, ut ceruix ueſicæ illi inſeratur citra hoc ut flectatur, & ſimul os ceruicis ſit in imo ueſicæ totius corporis fœminei cõparatione. aliter duæ rectæ lineæ concluderent ſuperficiem. Velut ſit os pudendi c, os colli uteri b, os ceruicis ueſicæ a, inſeratur collo uteri in d, quia ergo non obliqua eſt. linea ad c & a c recta eſt, qa ceruix ueſicæ eſt ad rectum poſita c, eſt enim in imo oris pudendi compa



ratione a c & a d c recte continebunt ſuperficiem. Quæras ergo, cur in uiris non effecerit os ueſicæ cum collo rectum? Sic enim lapidis nullũ eſſet periculum? at ſic penis non potuiſſet arrigi & homo uelut mulier, ſolũ inter crura mingere cogeretur, hac de cauſa collum ueſicæ factum eſt obtortum. ut tamẽ ueſica exactè purgari poſſet, factũ eſt os eius in imo: at cũ lapis aut arena in collo erant, ut expelleren-tur, facit urina tota incumbens, & uis qua ſe conſtringit hoc enim perſpicuũ eſt. quòd cũ amplum in arctum cogitur, totum incumbit illi. ergo neceſſe fuit os ceruicis ueſicæ in imo eſſe, ipſam ueſicam minimè.

Neq; enim manu pudendum fricant.] Alemanus exponit cõtrario modo quo dicit Hippocrates. Primũ enim ſentitur pruritus, inde dolor ſeu urigo, incipiente eroſione pruriunt pueri, facta ſentiunt flagrantium ſeu uriginem, & ideo pruritus eſt uia à ſanitate ad ulcus, & uiciſſim. Vnde uulnera cum ſanantur pruriunt. Eſt tamen alia cauſa non adeò propria, ut uinculum & maximè ob retẽtionem uaporum: uide quomodo pruritus in dolorem, dolor uiciſsim in pruritum conuertatur, (2. De locis, cap. 7. pag. 4.) primo de Fracturis, non ergo pudendum nõ fricant, quia non exulceretur, ſi adſit lapis, os ueſicæ. Sed quoniam collum inquit (Com. 41.) ueſicæ exporrigitur ad pudenda muliebria, ideo dicit.

Neq; urina in ueſica meatum contingit.] Hoc uidetur contrariũ cauſæ quã addu cit, ſi u ei quod accidit. ſed tamen ſenſus eſt clarior ſi quis conſideret quæ à Veſalio traduntur lib. 5. (Fig. 27. litera l.) ſi quidẽ non communicat dicit urina genitali muliebri ut in uiris biſariam, tum quia ueſicæ ceruix nõ aptatur collo uteri, ſed duntaxat tranſit ipſum: ſecũdo quia eſt lata ceruix ueſicæ & uteri, & ideo non afficitur uterus pruritu ut penis in maſculo. Et ſi loco pruritus agas de dolore, tunc manifeſta erit differentia, cũ pruritus ſit initium, ut dixi, ulceris: cum ergo non queat ulcerari ceruix in fœmina à lapide ueſicæ: tũ quia collum ueſicæ non iungitur longo tractu collo uteri, tum quia utrunq; collum eſt latum, ut ibi moram urina acris trahere non poſsit, liquebit totũ quod dicitur. Vult ergo dicere quod urina in ueſica nõ tangit uteri ceruicem, nam ueſica ipſa eſt ſuper uterum non uteri ceruicem.

Ad pudenda enim perforata eſt.] Scilicet ceruix uteri adeò ut urina ſtatim prodeat, ubi ad collum uteri uenerit, & ideò ſedere non poteſt, & eſt tertia cauſa. Subijcit quòd quia meatus urinarij ſunt ampli, ideo mulieres plus bibunt quã pueri. Dico etiã quod ob hoc ex quauis cauſa, maximè ob riſum, ſe cõmingunt mulieres. nam ſitus & conſtitutio ipſa hoc docent. Hic ſuccurrit mihi in mentem hiſtoria illa de muliere quæ cum pateretur uriginem in meiendo, aduocato circumforaneo Spoletino dixit, adeſſe lapidem: illa uerbis eius non credens uoluit me adeſſe, cum uterum tangeretur, illo tangente audiebatur lapi-

dis cõm

dis cum ferro ſtrepitus: ſed cum ego uellem tangere dixit lapidem ſubterfugiſſe: tandem cum non inueniretur abiit: ego autem intelligens fraudem illius, bi eui tamen curaui.

Et de his ita ſe habet.] Verecundæ Hippocrates docet quòd talia contingunt ut plurimum aut proxima dictis, uelut pro calculis tophi aiemus, capilli, pili generantur, etiam mihi uermes. alia etiam uelut lentes nigræ, & eſt certè ſentina immunditiarum.

PROOEMIVM IN QVARTVM LIBRVM.

HVcuſq; diligenter conſcripſimus commentaria tria ſuper librum hũc de Aere, aquis ac locis. Quartus hic liber quoniam non leui ex parte declaratus eſt in tertia Aphoriſmorum, propterea in eo aliquãto ero breuior, cum nihil repetere ſoleam. Agam igitur tantum de his quæ alibi non attigimus, quãquam quæ ſuperſunt hic ad explanationem, adeò utilia ſint ut qui medicinæ operam dant nõ leuem fructum ſint conſecuturi. Sed & hæc pars (ut ſecunda & tertia cum Philoſophis naturalibus plura habuit communia) multa cum Aſtrologis, & ut reliquæ ſequentes cum Geographis tractanda ex æquo habet. Verùm dixi non leui ex parte declaratam eſſe hanc quartam partem in tertia Aphoriſmorum imò uerè ferme totam, cum enim in partes quatuor diuidatur. Primam ſolum explicat, quæ totum librum præſentem ferme implet: De reliquis ſolum agit per epilogum. Vt hac in parte prima doceat tempora, quomodo ſanitatis aut morborum & quorum cauſæ ſint. In ſecunda uerò docet has temporum uiciſſitudines atq; mutationes plurimum eſſe obſeruandas in opere medici. At in tertia declarat idem ex Aſtrorum curſu, quòd ad ſolis attinet puncta cardinalia, ſcilicet ſolſtitia atq; æquinoctia: Idem poſt obſeruandum docet, ſed commutata ratione, ut mos eſt antiquorum in naturæ operibus ac morborum fine, adeò compendioſè & ſufficienter, ut quod ad generalem attinet tractationem, nequicquam deſit aut ſuperfluum extimari poſsit.

LIBER IIII.

LECTIO LV. SVPER TEXTU I. & II. & eſt initium quarti libri.

CAeterũ de annis hoc modo conſideratione facta, quis cognoſcere poſsit, qualis nam annus ſit futurus, ſalubris ne an morboſus,

In præcedentibus duobus libris egit de habitationibus & natura aquarum. hæc autem unicuiq; propria ſunt, hæc eſt tanto magis communis quòd ſingulæ differentiæ temporum unicuiq; regioni cõuenire poſſunt. Regio enim borealis nunquam fiet orientalis aut auſtralis. tempora autem uariantur ſingulis annis. tẽpora etiam magis mutant corpora quam habitationes, aut aquæ quod ad mortem aut ſalutem attinet: moriuntur enim homines in malis conſtitutionibus breui, non ita in habitationibus aut propter aquas familiares. contra melius poſſumus occurrere iniurijs temporum quam aquarũ aut habitationum. Demum cognitio temporum diuinior eſt, & magis uaria pulchriorq; alijs duabus: ob id hæc tractatio præſtantior alijs haberi debet.

Quoniam uerò de ſtatu temporũ agit, neceſſarium eſt ſcire quot & quando tempora anni incipiant. manifeſtum eſt aũt quod hac in parte prima tempora uniuerſa in quatuor ſolum diſtinguit ratione. ſtultum eſt autem quærere aliã diuiſionem, quam quæ facit ad intellectũ eorum quæ ab eo dicuntur, quare oportet ut ſit diuiſio ab ipſo propoſita, & cõgruens iſti loco. In tertio ergo, (pag. 2.) de Dieta diuidit tempora in hæc quatuor, ſed alia ratione initia fineſq; eorum diſtribuit: uer ſi quidem ab Aequinoctio ad Pleiadum ortum, à quo æſtas uſq; ad ortum Arcturi, ab hoc Autumnus ad occaſum. Pleiadum, à quo hyems. hic autem cum æquinoctiorum & ſolſtitiorum meminerit, ueriſimile eſt æqualiter illa diſtribuere: maxime cũ Hippocratis regio hoc ferret, ut tempora anni cũ ſolis cardinibus conuenirent, ſcilicet æquinoctijs atq; ſolſtitijs. Vt non ſit audiendus Galenus, qui aliter illa diuiſerit tum in plures diſſecando partes, tum ab alijs cauſis terminos eorũ cõſtituendo. Hic ſanè maleſeciſſet Hippocrates tot de temporibus ſcribẽdo, & aliter illa definiendo quàm ſolerent Græci, præſertim cum, ut dixi, ſolſtitia & æquinoctia noſceret. Erit igitur Aequinoctij initium decima

Martij

Martij Aestatis undecima Iunij, Autumni tertiadecima Septembris, brumæ seu hyemis duodecima Decembris. ostendunt præter hæc hoc ipsa uerba eius primo Epidemiorum, (in primis Ver.) Autumno & circa Aequinoctium, & sub pleiadas. Inde etiam in eodem libro, (Constit. 3. in initio.) paulò ante Arcturum, & sub Aequinoctio, & usq; ad pleiadas. Et in tertio de Constitutione pestilenti, Prope Aequinoctium seræ hyemes: Et iam circa Aequinoctium Aquilonares uenti uel rursus, Austrinum cœlum sine uentis. Vt dubium non sit statim ab Aequinoctio uoluisse inchoare uer, & Autumnum quod infrà docebimus. Illud etiam ostendimus ex Hesiodo poeta antiquissimo, quem plane secutum Hippocratem, (Com. 8.) haud dubium est in opere inscripto Ἔργα καὶ ἡμέραι: Ἰσᾶσθαι νύκτας τε καὶ ἤματα, εἰσόκεν ἄφθεις Γῆ πάντων μήτηρ, καρπὸν σύμμικτον ἐνείκῃ.



Aequantur nox atq; dies, redeuntia rursus
Omnia, terra parēs fert frondes, germina, fructus.

Quòd uerò annus dicatur salubris, tres conditiones requiruntur, quòd pauci ægrotent, pauci moriantur, pauci corripiantur morbis insuetis. Morbosus autem cùm multi sunt ægri: si uerò multi moriantur, pestilens, si pauci ægrotent ex his tamen pleriq; pereant, aut si non multi ex morbis tamen insuetis nomen non habet, dicitur tamen morbosus, quoniam si ægrotant morbis insuetis, ergo laborant peregrina impressione: Igitur annus nō est secundum rationem temporum, & ortus syderum & reliquorum, igitur non est salubris genere. Ita fient quinq; annorum differentiæ. cum tamen pauci ægrotant sed sanantur, sub salubri continetur, si pereant sub pestilenti.

Vtilitas huius cognitionis est ipsi medico gloria: ipsis autem incolis ut possint obstare futuris morbis, præparando corpora. Et quoniam, ut dicebat Galenus in libro Artis medicæ, (cap. 99.) intemperies generant morbos genitis humoribus, oportebit tripliciter occurrere his uenturis casibus, primum ratione causæ, Secundò ratione intemperiei aquisitæ membri aut membrorum, Tertio ratione transitus ad causam morborum per generationem humorum. Et causæ quidem obstabimus primum ipse, secūdò ratione nostri, ipsi quidem immutando aerem: & hoc fit igne & aqua & odoribus: Ratione nostri, uitando ipsum, admittendo uentos & solem, uitando crepuscula & aerem nocturnum: fugiendo è regione, & relinquendo urbem, habitando in nemoribus uel inter equos, & incolendo cubilia sublimia. Ratione temperiei membri occurrendo cibis, potibus contrarijs, tum alijs rebus non naturalibus. Ratione generationis humorum, sectione uenæ, purgatione, abstinentia à cibis, abstinentia aḃ his quæ multum alunt, à uino, & si putredo adsit, his quæ ei resistunt, & sunt acetum, succus limmiorum, mel, succinum, uuæ passæ, carnes cerui & pauonis, & odorata temperata, ut santhali, rosæ, myrtus. inde prolixus somnus, exercitatio multa, sine frigore, mundicies. Ita etiam decrepitos ab imminenti periculo liberare poterimus. Si coluuies sit à terra, aquis, serpentibus, exhalationibus, nihil edatur quod non sit præparatum cum igne & odoratis.

TEX. II.

SI secundum rationem fiant signa in astris occidentibus ac orientibus: & in autumno aquæ fiant: & hyems sit moderata, & neq; ualde clemens, neq; modum excedens frigiditate: & in uere ac in æstate tempestiuè pluat, sic sane saluberrimum esse annum par est.

Tria proponit quæ anni qualitatem debeant ostendere. tempora anni quatuor: ortum & occasum syderum, & rationem eorum quæ fiunt, calorem & frigus, tempestates uentorum aut silentem aerem, & pluuias aut serenitatem uel nubilosum tempus, aut nebulosum aut niuosum. Et ad tempora anni tria hæc comparat, ad ortus autem & occasus duo ultima, primum non ita. Sed & hæc comparatio fieri potest ad tempora singillatim & seorsum: & rursus per coniunctionem, ut dixi in libello de anni constitutione dignoscenda

aliàs

aliâs edito. Sunt autem qualitates quatuor: & ex uentis una differentia seu duo membra, sed multiplicantur ratione specierũ ut Aquilonaris aut Australis, & quinq; sumptæ ab his quæ aeri aduenient, ut in uniuersum sint undecim. Quinq; autem quæ aeri cõmiscentur sunt nubes, pluuia, nebulæ, nix et serenitas. nam grando & fulgur & similia non mutant aerem propriè.

Quòd ad qualitates attinet non uult illas esse nullas, neq; immodicas, nullas quidem quia cũ necessarium sit ubiq; locorum non solum solem, sed astra moueri in signifero & accedere atq; recedere, atq; ob id incalescere aerem ac refrigerari, dicemus annum esse naturalem qui seruat qualitates imbutas à sole & in errantibus stellis. Concursus autem errantium et luminarium deliquia sunt causæ præter naturam constituti anni & nimij frigoris aut caloris aut teporis perseuerantis. ubi autem qualitates non prædominantur non fit generatio. quoniam frigus efficit prolificum semẽ confirmando calorem animæ proprium, qui est eius instrumentum, calor autẽ qui fit ab astris est causa communis: ex quibus fiũt omnes generationes. Excessus autem corrumpunt genita. Et utriq; scilicet tam defectus quàm excessus sunt causæ morborum. Vt autem ex astrorum ortibus & occasibus procedant, & niues & pluuiæ & nubes & huiusmodi iuxta solitum, quoniã natura humana assueta edere certa hora, alia dormire, alia aluũ demittere, si suis commodis destituatur, perturbatur, & quemadmodum in die ita & in anno: hoc ergo tempore cum sit assueta sentire aquam aut uentos aut frigus, & senserit contrarium, læditur grauiter: & maximè in debilioribus corporibus & longa mutatione. idẽ dico de anni temporibus, ut ad constitutiones aeris cõparantur. Non tamen cõsiderat ortus et occasus syderum nisi bifariam, non autem simpliciter sed in comparatione ad opus medici, & ad statum aeris.

Et similiter considerat statum aeris propter se: ut necessario oporteat nos scire statum naturalem aeris iuxta singula anni tempora. hic autẽ est uarius iuxta singulas regiones: & ideò oportet comparare unumquemq; statum præternaturalem aeris ad naturalem illius regionis. In Italia uer temperatum & humidum, pluuijs lenibus à kalendis Aprilis ad Maij kalendas, antea ab Aequinoctio uẽtosum: à caniculæ ortu eteſiæ, antea decem diebus Prodromi: Cæterum æstus magnus et siccitas: coronæ exortus imbres efficit, ut Plinius docet. cõtingit hoc nonis Octobris, ut aiunt. Tota æstas procellis cum tonitruis & fulguribus subdita est.

Arcturus quoq; cum oritur circa initium Septembris, ortus autem Vergiliarum Austros mouet & pluuias: iuxta finem Octobris etiam occidunt, & ipse pluuias mouent. Et ut breuiter dicã, omnia astra insignia dum oriuntur & occidunt mouent uentos: uenti australes & orientales aquas apud nos mouent: Boreas & Fauonius serenì sunt. Constant ista obseruatione quæ uaria est etiam in eadem prouincia & regione, & in paruo interuallo, ob montes qui loco imminent tum maris situm & paludum & lacuum, ut in Benaco lacu uidemus. Non statuo tempus taliũ exortuum, quoniam decretum est solum de æternis habere rationem. hæc autem nõ sunt æterna, sed pro seculis uariãtur. Solum quod est perpetuũ adiecit: omnia clara sydera seu numero seu magnitudine seu lumine uariare tempora exortu & occasu cosmico, seu heliaco uel potius latinè & clarius, matutino & uespertino ortu uel occasu, uel etiam cum oriuntur uel occidunt, id est apparent aut occultantur. Et quoniam huiusmodi conditio annorum est cõparanda ad unamquamq; regionem. Ideo præter hæc animaduertes in singulis regionib. annos uere salubres quales fuerint. Et si moderata sint tempora licet uenti plurimi flauerint, dices illũ statum esse salubrem per se ei regioni, et reliquos illi comparabis. Sin autem fuerint tempora anni ualde inæqualia, & tamen annus salubris, dices esse salubrem per accidens, ideò non facies comparationem cum illo nec ab eo sumes indicationem.

LECTIO LVI. SVPER EODEM TEX. II.

Cæterum uidendum est quis status sit ueris sub Aequinoctij circulo, an sit discrimen ibi temporũ & quis extremarum gentium, quæ sub polis habitant generaliter, nam specialiter agetur inferius: deinde quid ferant dies caniculares an humidi an sicci sint: demum de annis intemperatis generaliter cum in sequentibus specialiter agat Hippocrates de illis. Primùm ergo dico quod, ut enarrat Io. Baptista Turrianus Veronensis, sub Aequinoctij circulo insula est B. Thomæ è regione, ut scribunt Tusciæ (id est à Fortunatis orientẽ uersus partib. XXXIII. aut prope) saltem Italiæ, qua parte maxime ad orientem extenditur. In ea igitur duæ sunt hyemes & uer atq; æstas. insulæ forma ferme circuli, cuius dimetiens L X. M.P. id est gradum unum continet, subducta ratione quadrata cõtinebit MM. DCC M. passuũ. hyemes ergo in Aequinoctijs fiunt, scilicet Martio mẽse atq; Septembri.

Cum enim Sol immineat illorum capitibus, & ipsa insula exigua ambitus maris comparatione, perpetuò aer impletur nebulis inde nubibus & assidui decidunt imbres, at Solis radijs prohibitis, & pluuia decidente refrigeretur, non tamen hyemi frigore sed humido utrunq; tempus persimile est. Mensibus autem Maij, Iunij, Iulij & Augusti uer est. flant enim tunc Euri, Austri, Africi. Inuenio apud Vitruuium, quem Philãder uir (ut ex lectione deprehendi) doctus et accuratus Aphricus, ut per ph scribatur, hos uocant materna lingua Siroccum, ostrum atq; Garbinum, ut Siroccus medius sit inter orientem & meridiem, uelut Gherbinus seu Garbinus inter meridiẽ & occidentem. Hos uentos in ea regione constat ob propinquitatem & auersam terram, quippe qui illis sint Boreales refrigerare, & serenitatẽ inducere. Quan-



quam addubitari possit, qualem uocet Africum, qualemue Eurum, nam ratio ex situ commutatur. Sit, gratia exempli, Italia A è regione eius, ut dixi, Insula B. Thomæ, B Aequinoctij circulus ex dictis qui per B transit C Africa ab oriente in occidentem extensa inter Italiam & Insulam erit ergo E necessario meridies: Italiæ Eurus F inter orientem & Austrum, Africus G inter meridiem & occidentem ex Africa id est à parte D ueniens. Et de Euro quidem in Austro eadem erunt B, insulæ Africus tamen non idem erit G quoniam, non ex Africa uenit, sed tendit potius ad illam: sed materna lingua non eandem forsan patitur ambiguitatem, non ergo ex H Africus seu Garbim flat in insulam, sed ex G ut etiam Italis. Hæc dicta sint ut intelligamus quosnam ille author dixerit uentos esse frigidos & serenos uerq; adducentes. Tum, præsertim cum dicat quod ab alijs uentis, scilicet Borealibus Africa ea regio integitur. Describatur ergo portio Borealis significri C H K, ita ut C sit initium libræ, H cancri, K arietis. dũ ergo procedit Sol ab C ad K per H, flant uenti ex L E M: igitur Sol mouet uentos ab opposita parte. cumq; fuerit in Australi non mouet ex A nec F neque G propter Africam D interpositam. Flantibus ergo uentis in uere pereunt, ut infirmantur indigenæ: quoniam macilenti nimis læduntur à uentis frigidis: inquilini Europei bene habent, quoniam carnosi sunt & pleni: at contra dum Sol est ab initio capricorni ad initium ferme arietis, tunc est æstas humida et calor præfocans, adeò ut sub terra inquilini lateant, & moriuntur, aut grauiter infirmantur, quoniam calorem cum humido perferre non possunt. At indigenæ bene se habent cum sicci sint et exãgues. ita in uniuersum indigenæ centũ annos persæpe excedunt, inquilini uix quinquagesimum attingunt: ut monstrosum sit in ea regione uidere canum hominẽ, cum ante canitiem moriantur. Egrotant inquilini singulis ferme octo diebus die una, quod est corripi ut reor Ephemera: sed cum primum quis insulam aut urbem illius habitare cœperit, quam uocant Pouoasan, morbo acuto adeò laborãt, ut uel quarta aut septima, aut ad summum quartadecima intereant. quos si effugerint conualescunt nisi admodum postea deliquerint in ratione uictus: quam tenuissimã exquisitè seruant: tum quia salutarẽ eam experiuntur, tum quòd per se oderint cibum ob morbi pra uitatem, & aeris summam intemperiem, quæ tamẽ uiget calidissima & humidissima, semper quidem huiusmodi, sed præcipuè mensibus à Bruma, scilicet Decembri, Ianuario et Februario. atq; hoc tempus æstatis est sed præhumidæ: in qua tamẽ indigenæ qui natura frigidi sunt & sicci & macilenti optimè degunt. Hæc uolui adiecisse, ut ex regionibus tempora & morbos illorum & uictus rationem, et uicissim ex temporum cum regionibus similitudine, morbos, successus, uictum atque alia præcognoscere aut intelligere liceret. Hoc solum mirum & dissimile quod ea Insula peste minimè laborat. ob hoc igitur nil mirum, si curatio etiam morbo causæq; eius respondet, mittunt enim sanguinis in una uice libras duas saltem, & usque ad tres iuxta hominis uires: atq; id merito, sectio uenæ siccat atq; refrigerat & euacuat, morbus autem ex intemperie calida & humida & plenitudine. mittunt etiam sanguinem cucurbitulis super tempora appositis, & in spatulis uel prope: sanguis enim ille ad superiora fertur, ideo non ab initio conuenirent, sed consistente morbo. Corripiuntur & facile Indica lue, idq; merito calida enim

& humida

& humida facilè putrescunt, ideoq; etiam facile sanantur, ut in Aphorismo. Frumentum, uuæ, & qui nucleum continent fructus, ut persica, oliuæ, amygdalæ, minimè fructum pariunt, aut si edant non perfricunt, quamuis plantæ ipsæ luxurient. indigent enim frigore cogente quo siccentur, hic autem calor abundat & humidũ exuperans prohibet ne siccentur. Prouenit palmæ genus quod coccum fert, musa, ignamus seu batatu radix, cuius plurimus usus est pro pane. Est autẽ nigra exterius, alba intus, rapæ magnitudine, sed cum multis appendicibus sapore castaneæ, sed longe melior ac tenerior: cuius planta è genere est serpentium, ut uitis, hedera, flammula, lupus salictarius, folio mali medici nitidiore etiã sed minore, radix ipsa in frusta diuisa plantatur, ita ut aliquid nigri corticis adhæreat: quinq; mensibus crescit: facile concoquitur seu elixa seu sub cineribus cocta, neque calefacit, neq; refrigerat: ob id panis uicem dabit, præsertim quod multum alat & satiat. cuius quatuor sunt species benim, cichorerũ, manicongium & croceum: duæ priores sunt nobiliores, prima ob suauitatem, secunda quoniam multis mensibus seruatur integra, incorrupta etiam ultra annũ ob id pro annona in nauibus seruatur utilior pane. Est etiam aliud genus panis, quem ex loba conficiunt, granum ciceris magnitudine. Ideo loba Italica maius. Vere suo atq; æstate uites fructũ qualemcunq; edunt, dico Iulio & Augusto tum Ianuario & Februario melones, & pleraq; alia uere proueniunt: quòd aeris immodicæ pluuiæ nõ obstent, & nihilominus aer etiam calidus sit: cucurbitæ toto anno. Cancri plures magni sed montani meliores. mons enim in medio insulæ est qui plurimum attollitur, cacumen tegitur arboribus altissimis rectis uiridibus, sed fructu tamen carentibus, adeò autem densa sylua est, ut aditum pene prohibeat: medius aer perpetuò diuq; ac noctu densa nebula tegitur, unde collectus in aquã super frondibus uapor, ac ex illis cadens riuulos efficit frequentes, quibus campi ueris tempore irrigantur. Scaturiunt etiam aquæ multis in locis: per urbem fons transit, cuius aqua omnium consensu saluberrima est. Abundant præterea piscibus marinis & optimis, et auibus omnis generis tum suibus quos impinguant expressis arundinibus sacchari atq; ijdem fiunt saluberrimi, suaues. Vexantur culicibus maioribus quam Europæi, & inquilini pulicibus, indigenæ pediculis nec secus. Habitant ibi quoniam admittũtur uiri cuiusuis regionis modo sint Christiani: serui, & indigenæ nudi incedunt: operam autem quinq; dierum domino mancipatã habent, sibi ac filijs sabbato libera relinquitur.

Totus ager reditus ex saccharo cuius colligunt libras magnas quater millies quingẽties mille, qui numerus ex uectigalibus regis habetur, cũ sit p ò decima quadringenties quinquagies mille librarum, quibus si addideris dimidium habebis numerum librarum communium. Sed id saccharũ neq; album est, neq; dulce, ut reliqua genera, nec seruatur. Ideo longè uilioris precij. Didicerunt seruare suppositis prunnis è ligno sicco absq; flamma fumoq;. Sata ex herbis proueniunt sed semen inutile, ut cogantur in singulos aduehere, ut lactucarum, betarum, brassicæ, petroselini: omnia hæc cũ principijs nostris conueniunt. adeò enim abundat humidum, ut non concoquatur quicquam iusta ratione. De floribus nihil, sed plantæ cum aliæ alijs temporibus florent, aut ubi calor adsit uerisimile est nunquam deesse flores. Vrbs ipsa portum habet, estq; mari imminens. Insula tota, ut dictũ est, à septentrione Africam habet, ab oriente Indiam intra Gangem: partibus reliquis mari amplo Oceaniq; parte circundatur.

Moluchis uerò paruæ & ipsæ sunt ad Aequinoctij circulum positæ Mutir, siquidem sub ipso æquinoctio Tidore Borealior XXX. minutis Machian XV. minutis ad Austrũ Terenate XL. Bachian gradu uno longitudo partium CLXXI. sed alia ratione expositæ, siquidem mare habet liberum undequaq;, sed orientem præcipuè & austrum, quanquam nec prope terras alias. In his autẽ omnia meliora, ut aromata præcipua ibi generentur. Vita, robur, hominum conuersatio, uentis enim perflata regio, calore & humido non deficiente, necesse est ut omnia bene proueniant. tria enim hæc sunt principia omnium, calor ut agens, humidũ ut materia, uenti ut quæ ex actione proueniunt incommoda tollantur, & operatio ipsa perficiatur. ob id duas hi præbent utilitates.

In maioribus autem insulis uelut Sumatra, Gicolo Burnei, Maumoro, terra minus habet humidi, & ob id animalibus melius consultum est: non tamen adeo uiget uis uentorum, propterea nõ tanta copia odoratorum medicamẽtorum prouenit. sed & gemmæ melius, ut etiã in continenti, ut Malacu Quito Peru prouincia, & Aethiopia præcipuè iuxta Zolam urbẽ, salubrior uita ac gemmarum copia nisi obstet quod occidẽtalis sit regio ut in Aethiopia, Fœcunditatem tamẽ gemmarum auget natura loci montuosa, ut in Maluchis. Quocirca dubitatione dignum est quomodo in his insulis

natura montes fabricauerit. mõtes enim frigidi & sicci, maris autẽ temperatura humida est, cœli aũt calida. Quocirca seu mundus æternus sit, ut censet Aristoteles, seu factus ut Plato, alijq; multi, non leuis dubitatio contingit, an cum in plerisq; insulis montes sint, mõtes prius fuerint quàm locus mari circundaretur, an contra? Constat enim uel adnatum mare monti, insulam cum monte efficere, aut insulam montem genuisse: aut utrunq; simul emersisse, ut de Thia, Plinius (lib. 2. cap. 12.) refert. Emergũt enim insulæ uel mari se inclinante in diuersam partem, ubi altior fundus fuerit: aut intumescere flatu terram oportet ut super aquam emineat: aut accedente quasi alimẽto ex mari atq; arena. Si autẽ fierent montes ex marina substantia à frigore nõ cogerentur: sed essent montes è sale, cuiusmodi narrat Plinius (lib. 31. cap. 7.) de Orome no: Et in Gerra Africæ, Turres ex salis quadratis molibus, quamuis ambiat V M. paß. ut idẽ author est. (lib. 6. cap. 28.) Et rursus (lib. 5. ca. 5.) de Cyrene domos sale montibus suis excisis ceu lapide construunt. Haud tamẽ possunt montes lapidei cõstare ex maris materia. Verisimilius est ergo insulas cum montibus natas, simul cum antea laterent inclinante in aduersam partem mari aliquãdo ex impetu fluminũ digesta arena: nam si extumesceret spiritu cũ motus esset facile disrumperetur, & mare introrsum ferretur, nec scaturirent fontes dulcis aquæ, sed essent quasi insulæ natantes, ut in Tarquiniensi Italiæ lacu, (Plin. lib. 2. cap. 95.) Insulæ ergo plerũq; fiunt inclinato mari, cuius indiciũ est quòd uix ulla careat scopulis, scopuli aũt nõ pauci sunt absq; insulis, imo frequẽtes, qui necessariò uel fatiscunt corrupti uel submerguntur à mari incumbente in illos, aut tandem in insulam commutãtur. Ergo cur Insula B. Thomæ adeò sit infelix, causa nota est: cur in alijs minoribus atq; maioribus, & continenti alia alijs meliora, & id perspicuum: ultimum autem laudis earum est uitæ hominum longitudo, unde etiã amænitas aeris & aquarum salubritas, tum lapidum precioſorũ magnitudo: hi enim à calore potenti admodum & bene tẽperato proueniunt. Tempora uerò in his diuersa potestate & similitudine quadã respondentia temporibus inæqualium regionum, sed non tamen adeò contraria uelut in nostra Europa, quanquam dicat Berthomanus (lib. 3. cap. 30.) in Giaua maiore, quæ sub torrida est parum differre frigus eorum à frigore Italiæ, quod ob sitũ insulæ & montes accidit, tum cõparationem cuius ratione nonnunquam minima etiam magna uidentur, & leuia grauia. Minus ergo in his regionibus cõtraria sunt tempora, quia minus est frigus eorũ, magis tamẽ diuersa, quoniam maior est longe calor. Quòd uerò ad flores cùm hi quouis tempore nascantur, præterquàm hyeme uera ob frigus, ibi autem, dico in planitie frigus nullũ eiusmodi sit, perpetuò necesse est apparere flores. quod quasi Genuæ uidemus ac magis Neapoli, magis etiam Rhodi, tum uerò maxime in Alexandria. cumq; flores quidam gaudeant uere frigidiore, ut uiolæ purpureæ & primula ueris, hos atq; huiusmodi fundet hyems sua: at quæ uere saturo gaudent ibi uer ipsum, ut rosas quæ autem æstate apud nos ibidem æstate, sed in initio uelut lilia, quæ uerò hic autumno florent ut uerbascum, ibi æstate media, modo locis non sitientibus.

LECTIO LVII. SVPER EODEM TEXT. II.

At contra in regionibus quæ sub polis sunt, hyems frigida est, uarietas tamen eadem & maior etiam, sed non adeò contraria tempora, quoniam calor abest. Primum igitur scire decet nos qui à capricorni circulo distamus partibus LXVIII. tũ gelu maximo corripi, cum Sol ibi fuerit: cũ ergo Sol sub circulo æstiuo distet à polo partib. LXVI. cum dimidia, antea uerò ac post longius semper, non uidetur ueri simile, ut tepor ibi aliquis adsit. Altera causa est quod nox ibi longior sit, & ut ratio sphæræ docet partibus LXXI. altitudinis Poli nox bimestris cum sit, quomodo poterit habitari. Tertio quod Petrus Martyr refert, Antonium Cabetum mense Iulio incidisse, in mare concretũ gelu ac glacie. Guglielmus Giglerus tamen in contrarium nititur sex rationibus. Prima quod experientia id doceat. constat enim ibi esse Lapones et Biarmios, Finmarchios atq; Scricfinnos, Biarmii aũt usq; ad polum ferme extenduntur. Alia quòd Romæ Sol brumæ die distat penè LXVI. partibus ab eius uertice, & cum nascũtur rosæ & alij flores beneficio decem horarum tantũ, quibus Sol superstat terræ, quanto magis cum sub polo & prope Sol superstet terræ per mẽsem uel etiã plus? Tertia ratio est quod ibi proueniunt metalla quæ coctione ualida indigent. sed ad hoc facilè potest responderi quòd calor generans metalla est mortifer hominibus, sicut etiam pleraq; ex ipsis metallis. Et etiam quòd ille calor prouenit ex bitumine profundo: homines aũt habitant supra terram. Et ideo uel carent calore, uel habent corruptum. constat enim quòd ille non est amicus humanæ naturæ. Quarta etiam ut quæ est de bitumine respon-

sum

ſum eſt. Ideò ſolum recipiemus pro conſtanti primam ac ſecundam. Addit unum notatu dignum in hæc uerba:

» Inquit Vpſalienſis, Noctes æſtiuas ſuſtinemus
» in Gothia graues quas Romæ ſenſimus refrigeras. Sexta quod iuxta mare ob ſalem quod oleum continet non adeò friget aer. indicio eſt abundantia piſciũ, & quod in ſale quod manifeſtè calidum eſt, cõtinetur. Vnde Annibal cum per ſummã hyemem & per paludes iturus, & nocte ut Flaminiũ cũ exercitu inuaderet (quod & ei bene ceſſit) ueſperi ad ignẽ iußit milites inungi oleo, & ſumpto cibo, oppreßit incautos. Ad tertiam reſpondet Glierus in anguſtijs et in ſinubus manere glaciem, uel quòd non excipiant radios ſolares, nec aqua poßit moueri, uel quod excipiant uẽtos horridos à Boreæ partibus, uel ubi ſunt ſaxa quæ natura frigida ſunt, aut montes plurimũ attolluntur. In uniuerſum dico quòd ubi habitamus. de frigore nulla eſt maior ratio, quàm quæ à nobis tradita eſt. ſæpéq; repetentibus nõ poſſe quenquam reddere rationem, niſi iuxta principia noſtra, ſiquidẽ cuiq; regioni ut propriæ plantæ, ita & animalia & homines adnaſcuntur: nam homo genus eſt non ſpecies, ut pleriq; credunt. & ideo etiã tales moribus plurimum à nobis differunt. quin quod maius eſt cum nullũ in itineribus habeant hoſpitiũ ſub diuo dormiũt, gens effera. Quòd ad noctes attinet primum longum habent crepuſculũ quod ferme mẽſem totum implet antecedendo, atq; aliud ſequendo. Deinde dicit, luna lucens & luminibus plena, ſiquidem longius tãto abeſt à ſole, quo Sol ab illo cum uertice recedit dimidium temporis illuſtrat, reliquũ ſtellæ multæ claræq; dũ ſerena nox fuerit.

Habent & inter cætera cõmoda animal, quod Reen uocãt, magnitudine mulæ, pilo aſini ſed hirſuto, ungula biſida, cornibus ramoſis cerui inſtar, ſed tamen breuioribus & minus ramis denſis, nõ fert hominem, ſed antilena impoſita uehiculũ iungunt, trahitq; uix creditu facile die una atq; nocte CL. millibus paſſuum. tantæ eſt pernicitatis, roboris, tollerantiæ. Porrò regiones quæ ibi ſunt Norduegia, id eſt Septẽtrionalis uia Gothia, id eſt bona Dania, quæq; & Suecia, & aliæ plures. de quibus dictũ eſt his magis ad polum poſitæ. Inſulæ præclaræ, Scandia ſeu Scandinauia, id eſt Dania amæna: Gronlandia uirens terra: Islandia id eſt glacialis terra: Hethlandia. landia enim terrã ſignificat: Lapouia à Laponibus quaſi ineptis dicta. Habent præterea regiones hæ animalia plura & magna, præcipuè Vros et Biſontes boum ferorũ ſpecies, & Onagros ualde magnos quod mirum eſt. tũ quia in regionibus calidis abundent, ut rarò calidiores & frigidiores regiones idem ferant animal. Et aſini etiam in frigidioribus locis non uiuunt, cum ex eadem ſpecie cenſeantur. Habent et urſos. Eſt & Finlãdia, id eſt pulchra terra. De horum populorũ magia mira feruntur, ſed hic extra propoſitum. Ver ergo longum iſtis, æſtas breuis, breuior Autumnus, hyeme raptim ipſum præoccupante. Ver igitur licet temperatũ ſit, indigenis tamen uicem quãdam ſubit: in pratis duntaxat & ſyluis uer eſt. Ideo ibi fructus admodum pauci, & qui matureſcãt longe pauciores, qui aũt boni ſint pauciſſimi. Ideo ſicut fructus aliqui & ſemina & plantæ & animalia proueniunt, aliqua non, quia ſpecie inter ſe differũt: cum homo etiam æquetur uniuerſo uiuentium generi, igitur homines aliqui ibi uiuere poterunt, tametſi alij non poſſint, idq; præſertim accedente humana induſtria, præcipuè igne & habitationibus & ueſtibus. De caniculæ autem tempore, an ſit ſiccum uel humidũ, dubitatio magna eſt apud Philoſophos: conſtat enim cuncta tum areſcere tum exuri quæ omnia munia ſunt ſiccitatis adiunctæ calori. At ſi putredines, fẽbres, inteſtinorum profluuia quis animaduertat, cõſtitutionem humidam appellet neceſſe eſt. mihi uerò horum nil repugnans adeò uidetur, ut etiam unum ex altero ſequi neceſſariũ exiſtimem. Id ſic ſe habet, calor ſiccus nulli uſui concoctionis utilis eſt, teſte Galeno 5. de Tuenda ſanit. (cap. ult.) cũ ergo nõ concoquitur humor, neq; in ſubſtantiam hominis mutatur, quare redundat in uenis, quæ cauſa eſt ut hecticis multis plus ſanguinis in uenis ſit quam ſanis, quod eorum corpora tabeſcãt: & hecticis etiam aqua intercus accidit: quamobrem ſub cane utrunq; malũ & exitioſum abundat inopia humidi uitalis & abundantia letiferi. Verum & ratio loci & temporum ad hoc multum facit: ſi enim pluuiæ tum abundent, aut locus paludoſus aut ſtagnum ſeu lacus aut palus ipſa aer humidus erit & plantæ et animalia & homines ipſi: at contra ſi aridus aut ſiccus et perflatus. non enim quieſcunt uapores donec in arctũ cogantur, unde loci caui & anguſti proprios & alienos excipiunt uapores, liber rarò ſuis inficitur, alienis nunquam. propterea in montium cacuminibus bene ſe habent. Cum uerò Eteſiæ aliæ à mari aduenient, aliæ à terra, contrarios etiam pariunt affectus. Sunt et qui exiſtiment quaſdam ab Auſtro proficiſci, quæ omnino erũt inſalubres. Vtcũq; ſit ratio tota æſtiui caloris eiuſmodi eſt non ſolum caniculæ.

Reſtat ut dicamus de temporibus intemperatis quæ non ſemper ſunt mala, ſed biſariam contingit illa eſſe bona. primũ cum opponuntur naturæ loci aut temperaturæ, ut 2. de Cauſ. plant. (cap. 4.) Aeſtate & in Aegypto uenti frigidi & ſicci ſuccedentes pluuijs & inundationibus & calidioribus humidioribus temperaturis, uelut Auſter ſembus melior quam Boreas, ille enim quandoq; tum ſalutaris repente occidit exhauſtos uiribus atq; calore: cõtrà Germanis & hyeme calidus & ſiccus. Et ratione quidem frigida et ſicca ad putredinem minus faciunt. nõ ergo adeò inconſultè pronuntiandum de anni temporibus quæ ſalubres ſint conſtitutiones. Velut Hippocrates in 3. Aphoriſ. (18.) Aeſtate uerò et Autumno uſq; ad aliquid ſenes. Eſt etiã conſideranda ratio loci, nam ubi uentus exitũ nõ habet malus ſit, ut etiam ſi reſpiciat orientem. Propterea regionis ſitus bonus ſemper, bonus uenti non ita. Vnde diſſoluitur cõtradictio de uento Boreali, an ſit ſalubrior orientali, et dico quod in morboſis conſtitutionibus eſt ſalubrior, ſcilicet in peſtilentibus biſariam: & quod ſimpliciter magis reſiſtit putredini, & quod contrarius, orientalis autem melior ſanis.

Item per quæ ueniant uenti & mos regionis, qui experimento conſtat, conſiderandus, ut Mediolani febres peſtilentes & profluuia alui in æſtate. Circa tractanda cum ſint ſex conſtitutiones de quibus tractat Ariſtot. 1. Probl. & de quinque hic Hippocrates tantum tractat omittens unam illam adiecimus. cùm uerò ex quinq; tantum quatuor expoſuerit in Aphoriſmis, ſolum illa quæ ibi poſita non eſt neq; expoſita, hic ex toto exponetur: in reliquis quatuor ſolum quæ hic ſuperadduntur, uel in quo euariant ne repetam.

LECTIO LVIII. SVPER TEX. III.

SI uerò hyems quidem ſicca ſit & borealis, uer autẽ pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtatem febriculoſam fieri & lippitudines inducere. Cum enim æſtus derepente accedat terra humida exiſtente à uernis imbribus, & ab auſtro, neceſſe eſt æſtũ duplicatũ eſſe & à terra irrigua ac calida, & à ſole urente: cũ uentres in hominibus nondum cõſtricti ſint, neq; cerebrũ reſiccatum. Non eñ fieri poteſt cum uer tale exiſtat, ut corpus & caro nõ humore fluida fiant, adeò ut febres acutiſsimæ in omnes irruant, maximè aũt in pituitoſos. At dyſenterias par eſt fieri & mulieribus & uiris humidioribus. Et ſiquidẽ circa canis exortum accedat aqua ac tempeſtas Eteſię ſpirauerint, ſpes eſt ceſſationis, & ut autumnus ſalubris fiat, ſin minus, periculũ eſt ne & pueri & mulieres moriantur, minimè uerò ſenes: Et neque qui ſuperſtites euadunt in quartanas deſinant, & ex quartanis in hydropas.

Hoc totũ eſt expoſitum in 3. Aphoriſ. Solum reſtat ut declarem unũ generale, quod eſt maximi momenti, ſine quo mentẽ Hippocratis aſſequi non licet. Et eſt cum dicimus uer pluuioſum aut hyemem, aut uentoſum, aut auſtrale, non intelligimus quod ſemper pluat aut flet auſter, hoc enim forſan nunquam accidet. Sed neq; in quo plus ſolito, nã nimis eſſet frequens, nec eſſent uerè tales prædictiones. Neq; in quo plurimũ pluit, hoc enim eſt indefinitũ, nec habet determinationẽ. Intelligitur ergo uer pluuioſum, aut hyems cum terra ita madeſcit ut antequam ſiccetur iterũ pluat, & hoc in profundo, ut poteſt ante aduẽtum æſtatis plueret per quindecim dies continuos, & poſtmodum ſuccederet ſerenitas per duodecim dies antequã aduniret æſtas, nihilominus dicitur tempus illud pluuioſum, quia terra eſt madida in profundo. & eadem ratione in hyeme facilius dicetur pluuioſa quàm in uere, Sol etenim cũ incẽduerit, æſtas hauſit ex profundo terræ aquam & uapores, & ita corrumpit aerem, & aliquãdo ſeruatur illa aqua in terra, & aliquando in aere, & tũc celerius operatur. Memento etiam quod omnia iſta, ut potè calor, frigus, ſiccũ, & humidum, ſummuntur à qualitate terræ pluſquàm ab alijs. Et ideo cũ terra fuerit intus putrefacta generabuntur animalia fœdæ plurima, ac erucæ, uermes, ranæ: & ſi fuerint innoxia, ſignificat ſolum morbos uulgares: ſi aũt uenenoſum habuerint ictũ, ſignificat peſtem. Et anno M. D. XXVII. cũ apparuiſſet tanta ranarũ multitudo in Solcenſi agro, ut equus cogeretur calcare nonnullas earum, ſucceſſerũt eadem æſtate profluuia uentris fere in omnib. indigenis, ex quibus neminem perijſſe puto. Si autem ſint fœdiora, ut ſcorpij, ſerpentes, & peſtis in animalibus, ſignificat peſtẽ: quia, ut dixi, terræ corruptio mala eſt. Et de uentis eodem modo, dicetur auſtralis conſtitu-

cõstitutio, in qua proxime ad æstatẽ ita flant uenti australes, ut non impediantur, neq; ab alijs uentis ualidis, neq; à calore solis immodico, neq; à frigore, neq; ab imbribus. Intelligẽdum est etiam, quod si post pluuias quamuis longas antequã succedat æstas, succedat constitutio frigida, & sicca cũ uentis borealibus, fiet irrita prædictio tota aut magna ex parte. Et similiter ubi æstas non seruaret suam naturam, & ideo sunt aliquæ urbes ubi hæc non sunt uera adeo manifestè. Hippocrates autem fuit in regionibus perflatis, & iuxta mare, seu nõ procul, & locis fermè temperatis. Exemplum aũt præsentis constitutionis habemus hoc anno M.D. LXVIII. Bononiæ.

Et si quidem.] Addit hic duo quæ nõ sunt ibi exposita, primum, quod si circa canis exortum exoriantur tempestates & Etesiæ, scilicet uenti Boreales flent, ita ut temperetur aer in frigido & sicco propter uentos (Vnde patet quod illud uerum est quod dixi, scilicet boreales uentos in constitutionibus plerisq; pestilentibus & etiam popularibus, & si pestilentes non sint, esse salubriores orientalibus : hos autem ut rursus dixi sanis) Autumnum futurum salubrẽ cum fuerit temperatus. pluuiæ enim illæ alioquin insalubres, & per se etiam si uenti nõ adiungerentur, hic fiunt salubres succedente tempore immodicè sicco. Et non meminit mortis usq; nunc, tum quia non adeò processit æstas ut putredo adeò magna concipi potuerit. Secundo, quia nondum aduenerunt dies caniculares qui occidunt ob uehementiam caloris & iunctam siccitatem : tertio, quoniam, ut dicit Philosophus in Problematibus, (1. Par. 26.) multi pereunt à solstitijs per centum dies, non ita ante. Hoc autem anno M.D.LXVIII. uidimus annum ad unguem huiusmodi cum hyeme siciβima, uere humidiβimo & adeò pluuioso ut fœnum colligi nequiuerit, & succedente æstate quidem iam cœperant febres acutæ & pestilentes, sed statim sub canicula apparuerunt imbres copiosi cum borealibus uentis adeò aβiduis & potentibus, ut hic annus dici poβit planè portentosus, & cessarunt statim febres, & non ægrotabant homines prorsus, & qui ægrotabant, ægrotabant tertianis simplicibus aut duplicibus : & quorum status morbi nondum transierat sanabantur, quamuis ab initio febris pestilens uisa fuisset. Vnde colligitur quod in huiusmodi febribus si quis spargat aquam quotidie ter aut quater, & frondes salicis, uitis, alni, malorum cotoneorum & aliorum & pyrorum & rosarum & rubi germina & flores utriusque nymphææ, inde aβiduis flabellis diu noctuq; præsertim in Euripo ægro pannis bene contecto, aerem refrigeret, seruabit ægros, uelut in mutatione aeris naturali, sed hoc est laborioβum, tamen in Principibus non solum potest, sed & debet fieri. Apparuerunt etiam eodem anno sub caniculæ temporibus loco ægrorum tot erucæ Bononiæ, ut omnia redderentur immunda, & morsus earum ruborem afferebat, refrigerato aere interierunt. Et impostores solent talia conuertere in sua commenta, dicentes iram diuinam quæ morbos minabatur eorum loco erucas miβisse, atq; sic exoneratam.

Sed ubi contingat ut annus sequatur secundum consuetudinem, dicit quod aduenient mortes in pueris & mulieribus, non autem senibus. exponit hoc Alemanus (cap. 8.) quia senes non sunt adeò humidi, ut pueri & mulieres. hoc est falsum, quinto de Tuenda sanitate, imò sunt humidiores senes & humido aquoso. Dico ergo quod hoc est, quia humidum senum est frigidum, ideo non aptum putredini, tum quia aquosum tum ob imbecillitatem caloris innati.

Et ne qui superstites.] Hoc est secundum ut superstites, scilicet pueri et mulieres præcipuè, cum autẽ dixit superstites, intelligit ægros, non autem sanos incidant in quartanas. hoc conuenit pulchrè ob uehementiam putredinis, aduruntur enim humores, fiunt ob abundantiam humidi febres continuæ ualde longæ, ideo intelligitur solum de febricitantibus. Et ex quartanis in hydropas : Alemanus exponit pulchrè causam in huiusmodi patientibus, quoniam ex immodico calore et humido corrumpuntur membra, & quasi rimas contrahunt scilicet iecur, lien, uentriculus, masaræum, renes, inteβtina, omentum : & adhuc supereβt copia magna humoris aquosi & putridi, ideò stante ad huc febre quartana fatiscentia admittunt humorem illum in cauitates, & ita generantur hydropes aut ascites, si multa aqua & exiguus calor : aut tympanites si paucus humor, calor autem maior & prauus. Et hoc est quod dixi de morbis compositionis, quod sunt illi qui sunt periculosi. Et sæpe etiam latitant, ut in his qui solum quartana laborare uidebantur.

LECTIO LIX. SVPER TEX. IIII. ET V.

SI uerò hyems australis fiat, & pluuiosa, & clemens, uer autem boreale & siccum & tempestuosum, primum quidem mulieres, quæ uterum gestant & partus ipsis ad uer instat, abortum facturas esse ueri simile est. Quę uerò etiam pepererint, impotentes ac morbosos pueros parere ita, ut aut statim pereant, aut tenues & debiles ac morbosi uiuant. Atq; hæc quidem mulieribus: reliquis uerò dysenterias & lippitudines siccas & aliquibus defluxiones à capite in pulmonem. Pituitosis igitur dysenterias fieri ueri simile est, & mulieribus pituita de cerebro defluente propter naturæ humiditatem. Biliosis uerò lippitudines siccas propter carnis caliditatem ac siccitatem: Valde autem senibus defluxiones, propter raritatem ac eliquationem uenarum, adeò ut aliqui quidem derepente pereant, aliqui uerò semisyderati, aut dextra aut sinistra parte fiant.

Magna pars huius Textus declarata est Tertia Aphorismorum (Com. 12.) Quæ uerò reliqua sunt hæc. Primum quòd pituitosis & mulieribus dysenteriæ fiunt propter pituitam è cerebro defluentem. ita dicit Hippocrates: non simpliciter fiunt dysenteriæ, ob pituitam à cerebro descendentem. cum enim fuerit noua defluxio, non quasi naturalis, tum præcipuè in hyeme australi falsa erit: ab hac autem, ut demonstratum est suprà, fit difficultas intestinorum. Declarat Galenus sexto de Tuenda sanitate (Cap. 10.) grauem esse defluxionem pituitæ, à capite ad uentriculum bifariam, uel cùm caput & pituita frigida fuerint, & uentriculus calidus: uel cum in tali defluxione uentriculus ad uomitum difficilis fuerit, & aluus astricta. Vnde accidit paradoxum, ut facilius incidant in dysenteriam qui habent duram aluum, quàm qui lenem & mollem, propterea quòd, ut inquit ille, pituita retenta putrescit, & putrefacta erodit: & erodens parit difficultatem intestinorum. Diximus sæpe astrictam aluum huiusmodi morborum esse indicium: tum quia significat retineri bilem, quæ immista alijs succis erroredit & putrefacit: aut si non permeet, fertur ad renes & cutim, sin minus etiam inducit febres: sin autem neque hoc repit ad caput, tùmque est summa malorum. Est etiam causa quoniam quæ retinetur putrescunt, & erodunt atque hæc maximè in pituitosis inter quos mulieres & pueri numerantur, sed non semper.

Biliosis uerò lippitudines siccas.] Dicit (3. Par. Aphorismorum Com. 12.) *ob carnis caliditatem ac siccitatem: sed Galenus hoc non declarat, uerum alia tametsi bona ac uera, scilicet quòd collecta materia in cerebro, seu calida & biliosa, seu frigida & pituitosa, caloris tamen participe exprimitur, à frigore ueris ad oculos, & non exit propter aeris frigiditatem, sed non dicit Hippocrates sic, sed ob carnium potiùs caliditatem & siccitatem. Galenus exponit pro eodem, sed modum non docet. Dico quòd tempus frigidum & siccum reddit carnes calidas & siccas, ut in Aphorismo (17. Par. 3.) exprimendo enim sicut in cerebro ita pari ratione in carnibus, quòd est frigidum & humidum reddit eas calidas et siccas. Vt etiam in libro de Sacro morbo (Pag. 8.) intelligit autem & sub biliosis iuuenes.*

Senioribus autem.] *Vt in antecedentibus pituitosis pueros, in biliosis iuuenes cõprehendit. ita commemorat senes & sub his melancholicos & exangues. Sunt enim melancholicorum duo genera, sanguineorum & bene carnosorum, qui non continentur sub his, & exanguium ac macilentorum, quorum habitus senili persimilis est. Senib. ergo accidit ut aliqui phrenitide pereant, aliqui resoluantur parte dextra aut sinistra. Quomodo autem Phrenitide? id est, quòd materia biliosa & crassa retinetur, neque fluit tum ob imbecillitatem, tum ob prauitatem, ideò uertitur morbus in phrenitim, sed si pituitosa sit, & uires robustiores, propellitur in neruos, & fit resolutio.*

Aristoteles tamen prima Problematum ubi hunc recitat Aphorismum (1. Par. 9.) attonitos potius, quàm phreniticos legit, ubi hunc recitans Aphorismum dicit, morbos fieri in utero gerentibus, uere cæteros ut lippitudines siccas, dysenterias & attonitum ad ætatem refert: Sed Galenus de solo uere intellexisse uidetur ob Aphorismum qui inutilis est, atque concisus. Fallitur etiam Alemanus, quod per phrenitidem intelligit inflammationem, ut etiam Arabes intelligunt: sed phrenitis Græcorum

non

non est, ut in Quarto contradicentium (80.) sed cur hæc in senibus? non solum ob caloris imbecillitatem & uirium inopiam, sed quia uenæ in illis angustæ sunt, ideo cogitur natura per alias transmittere uias. (lib. De Tumoribus præter naturam cap. 10.)

TEX. V.

CVm enim hyems sit australis & pluuiosa ac calida, & corpus non adstringatur, nec; uenæ uere accedente boreali & sicco ac frigido, cerebrum postquam ipsum dissolui, ac purgari contigit, à grauedine ac raucedine, tunc simul cum uere stabilitur ac constringitur. Quare derepente æstate accedente & ardore ac mutatione contingente, hi morbi incidunt, & intestinorum leuitates, & aqua intercus ferè, reliquis morbis desinentibus superuenit, cum non queant facile uentriculi à concepta humiditate exsiccari.

Reddit rationem diuersam à præcedenti, adijciens etiam morbos alios, de quibus non dixit, æstati quidem proprios. sed ut ad rem deueniam, uidetur Hippocrates in præcedenti Aphorismo ita reddere rationem, ueris & æstatis, ut frustra hyems addita uideatur sicca & borealis, cùm omnia referantur ad uer pluuiosum & australe, tum æstatis calorem: cum quis etiam meritò quærere posit, quid faciat hyems sicca & aquilonia? nunquid hoc sit in causa, ut uer sit pluuiosum & australe? Et certè talia omittunt, non solum scriptores nostræ ætatis, quæ ad rem ipsam pertinent, sed etiam Galenus ipse (11. Par. 3.) quanquam uideatur in commento Aphorismi aliquo modo causam assignare dicens, quod Per hyemem siccam & aquiloniam corpora quidem tali modo afficerentur, quali ipse dixit per hæc uerba (3. Aphorism. 5.) Si uerò aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, urinæ difficultates, horrores, dolores laterum, pectoris. non tamen effatu dignus morbus cõtrahitur. nam & alioquin sicciores constitutiones sunt salubriores. Ex toto enim ait siccitates esse, pluuiosis temporibus salubriores, & minus mortiferas. Hyems quidem aquilonia & sicca nocebit rectis stantibus hominibus ad tusses & alui suppressionem & urinæ difficultatem & dolorem locorum ad thoracem attinentium, non tamen febres uel difficultates intestinorum, aut tale quiddam operabitur. cur igitur non etiam in uere pluuioso atque australi morbi uulgantur? quoniam anteceßit hyems sufficienter frigida atque sicca. ipse uerò dixerat non simpliciter constitutiones præsentes fore considerandas, sed ex qualibus ad quales fiant permutationes. Præexsiccatum itaque corpus per hyemem siccam, atq; aquiloniam quæ præceßit, non modo nihil ex uernis pluuijs patietur, sed potius aliqua ex parte iuuabitur, ad naturalem rediens mediocritatem. Si uerò totum uer humidum fuit, ad contrariam ducetur constitutionem, ei, quæ antea inerat, id est siccæ transcendens illam, quæ medium tenet mediocritatem. Quare æstas subsequens paratum excipiet offensioni, cum terra adhuc humida sit atque ob hanc causam suffocationem efficiat, nondum spirantibus etesijs. Videtur enim inniti huic responsioni: quod consideranda sit constitutio, aliquando simpliciter cum fuerit perseuerans, & ad nocendum ualida, tunc enim contingent uelut in cranone morbi, præsertim si constitutio fuit etiam prona ad morbos, ut æstas aut autumnus: quod si constitutio leuis sit ad morbos & perseueret, aut etiam permutetur, poterit in sequenti tempore generare morbos: sed si deterior sequatur, & tamen comparatione prioris efficere uideatur quoddam temperamentum, succedente tamen tempore morboso ualde, generabuntur morbi omnino. Propterea ibi addidit, necesse esse ut sequantur. Et tempora quidẽ bifariam diuiduntur, in salubria & morbosa: salubria sunt uer & hyems, ut Aristoteles (1. Probl. 25. 28.) & Hippocra. (3. Aphor. 9.) docent: morbosa æstas et Autumnus. alio modo in effectiua morborum per transmutationem, & nõ effectiua. Et sic effectiui sunt æstas & hyems, per qualitates exuperãtes scilicet calorem & frigus, ut ipsi ambo docẽt. præsertim Aristoteles (1. Prob. 8. & 20.) Quibus cõstitutis si æstas calida fuerit, & pluuiosa sufficiet ad morbos generandos ut in cranone dictum est. Sed si hyemem calidam & humidam uer frigidum & siccum excipiat, non hyems morbos generabit ob frigus quod calorem contemperat & uincit, sed uer ob frigiditatem: si autem hyemem frigidam & siccam, uer calidum & humidum excipiat, temperatis utrisque, nec uer morbosum erit, sed æstas subsequens. Videns quando in primo tempore, quando in secundo, quando in tertio generentur morbi: quandoque in quarto, ut etiam prima Probl. (19.) cur si hyems Aquilonia, uer Austrinũ & pluuiosum, æstas « sicca admodũ fuerit, pernicioßus omnib. sed magis « tamen pueris Autumnus accedat? Dicit quòd «

in illis

in illis maximè cum sint calidi et humidi, cum nec à uere nec ab æstate refrigerentur, collectum copiosum humidum per uer putrescet in partibus superioribus ob leuitatem, & descendet ad pulmones, ac statim illos præfocabit, quia calido & humido sunt corpore, & angustijs uijs in illis, parum norunt quæ sibi expediant, aut in graues incident lippitudines.

Quibus intellectis uenio ad declarationẽ præsentis loci (tũ maximè quod in lib. de Constitutione temporum hæc sunt à nobis uberius declarata) dicit, inquam, quod corpus in ea hyeme non potest constringi: quia causæ astrictionis sunt calori, & humido contrariæ, scilicet frigus & siccitas, quæ non possunt adesse ubi constructio sit calida & humida, tunc eo tempore quo deberet purgari atque senescere à grauedine & raucedine, scilicet propter uer constringitur materia, & constringitur intra cerebrum, quare postmodum superueniente æstate dissoluitur hæc materia, continguntq; morbi supradicti, scilicet lippitudines siccæ, dysenteriæ & destillationes ad pulmonem ac pectus præfocantes, tum paralyses. Vnde patet Galenum non adeo bene intellexisse Hippocratem cum hæc omnia ad uer referat, uelut Aristotelem qui omnia ad æstatem refert, præter utero gerentium affectus.

Et intestinorum leuitates.] Vult quod morbi supradicti, si non interimant aut lippitudines obcæcant, quod transmutentur in unum ex duobus morbis, qui sunt leuitas intestinorum & aqua intercus: & hi sunt morbi qui cum aduenerint post longos morbos interimunt. Videamus ergo de lienteria, est Aphorismus in septima particula (57.) & ibi docemus causas, dolorem scilicet & imbecillitatem uentriculi & intestinorum. Propriè autem est symptoma huius affectus raro phrenitidis, lippitudinum, resolutionis, sed febrium ad eas affectiones consequentium. Ibidem ponitur aqua intercus, ut accidens consequens ad lienteriam. tertia causa lienteriæ est causa dysenteriæ, uelut pituita salsa & acris humor & similia. Aquam autem intercutem sequi ad lienteriam procliuum est, & non absonum ab his quæ hic dicuntur. Sed enim facto imbecilli iecore, ob uitium concoctionis & obstructionibus, multis eo laborante ob cruditatem, mirum non est eam ad lyenteriam subsequi. Ad dysenteriam uerò iam declaratum est suprà.

Sed dubium incidit, quoniam Philosophus in eadem particula loquitur de æstatis morbis & Autumni, comparando illius dicta: nam hoc in libro in superioribus (8. & 19.) meminit tantum de æstiuis morbis, nec transit ad Autumnum quamuis præsupponat non pluere in diebus illis canicularibus. Dico quòd interrogatio fuit facta imperfecta iuxta Aphorismum (Tex. 3.) & post perfecta ut in libro isto: & concordant cum utriq; loquantur de quartanis succedentibus in Autumno. quare uerba illa Hippocratis ita legenda essent. Sin minus periculum est, ut pueri & mulieres ex fluxionibus ad pectus breui pericli-tentur.

LECTIO LX. SVPER TEX. VI. ET VII.

Si autem æstas pluuiosa sit, & austro multum perfletur, similisq; sequatur autumnus, necesse est hyemem morbidam esse, & ijs, qui pituita abundant, & qui quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes fieri uerisimile est: qui uerò bile abundant costarum abscessus & pulmonis.

Hic Textus euariat à præcedentibus in quatuor, primum quod non scribitur in Aphorismis, secundum quod non redditur causa illius, tertium quod ostendit mutationem ex cal d s in frigidum statum, quartum quod præsupponit statum similem duorum temporum: subijcit ergo tria, unum generale, scilicet hyemem esse morbosam: duo specialia, ut pituitosis & his qui sunt post uigorem, quem statuit finiri ad quadragesimum annum, succedere febres ardentes, qui uero bile abundant Peripneumonias & morbos laterales. Alemanus suo modo hunc exponit locum, sed Aristoteles (1. Probl. 20.) Secus inquit enim cum ex æstate sensim per Autumnum frigidũ esset transeundum & Autumnus sit similiter calidus, transimus ad hyemem repente ex calido in frigidum & natura percellitur. Ideò qui raro sunt corpore, id est molli & pituitosi febribus ardentibus corripiuntur. nã fit febris ardens nota, de qua Hippocrates Quarto de Victu in acutis, (Tex. 13.) causæ genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua sicca, aspera, salsa. Vbi Galen. eo modo quo prior febris ardẽs ex bile fiebat ita posterior fit ex salsa pituita. Dicit aũt philosophus ibi, quod qui denso sunt corpore cum minus redundent in his humores, minus colligunt ex his & fiunt morbi laterales & pulmonis inflammationes. Priores enim cõstat fieri à bile, teste Galeno sexta Aphorismor.

At de

At de pulmonis inflammationibus, fiunt à pauca bile & multa pituita aut sanguine, & hæc fit potius à sanguine. Adest præterea, *ut dixi (Com. 33.) causa alia, scilicet immoderãtia humidi collecti, per duo tempora æstatem et autumnum. Sed Philosophus considerauit qualitates solum, æstiuas ut magis efficaces. Hanc coniugationem Hippocrates (Aphor. 14.) non transtulit in Aphorismos, ut ne tam ex sua contraria quæ ab eo ibi posita est. quoniã autumnus Austrinus est, ideo natura percellitur.*

TEX. VII.

SI uerò æstas sicca existat, & austro perfletur, sequens uerò autũnus pluuiosus, ac uentis Septentrionalibus agitatus, capitis dolores ad hyemem expectare conuenit, & cerebri concussiones, ampliusq; raucedines, grauedines, & tusses, aliquibus etiam tabes.

Hic textus positus est in tertia Aphorismorum (13.) Adijcitur solum hic, quod ibi non est (& cerebri corruptiones) sed & hoc ibi comprehensum est in declaratione. Adijciam ergo, primum cur hic addatur, ibi relinquatur. quoniam hic cõprehensum est, ideo adijcitur: ibi omittitur quia raro accidit. cerebri aũt corruptiones σφακέλου τοῦ ἐγκεφάλου plurium sunt generum, tria enim ponuntur in secundo de morbis (Pag. 2. & 3. et 8.) nam qui prius positi sunt ad uerbum repetuntur in eodem libro. Alterius meminit tertio libro (Pag. 7.) quæ tamen non multum distat à prioribus. Sed dubitatio emergit, cur hanc constitutionem faciat præcedenti deteriorem, quæ deberet esse mitior, cum sit minus intemperata? Respondeo quod in priore plures interibunt homines, in hac tamen cõstitutione cum siccitatem habeat admistam, fient morbi aliqui acutiores. causam habes Tertia Aphorismorum (Pag. 27.) cum dixit, In siccitatibus febres acutæ fiunt: In temporibus siccis accidunt, quandoque morbi acutißimi, licet sit tempus salubrius, quàm in pluuijs. Oportet autem docere modum: Aristoteles prima Problematum (10.) uidetur referre in collectionẽ pituitæ, quoniam autumnus humidus multam colligit pituitam, quæ si retineatur syderationem mouet, seu cerebri corruptionẽ. Est autem sphaceliſmus corruptio quæ etiam in plantis accidit quam syderationem uocat Theophrastus Quinto de Causis Plantarum (Cap. 11.) retenta ergo pituita ob frigiditatem & multitudinem iuxta Philosophum, potius quam putredine mouet, syderationem, id est morbum attonitũ. At nos cum uideamus quod principale est omitti, id est, æstatis statũ, cogimur iuxta Hippocratis sententiam illud exponere, seu eius reddere rationem. ab initio igitur huius libri dictum est (Tex. 1.) tempora & annum esse salubria, cum iuxta rationem successerint, uelut æstas calida & sicca moderatè: contra hyems, & suis temporibus pluat, & ita transitus fiat, non ex contrario in contrarium. Ergo cum hic supponatur æstas sicca & Borealis, id est, frigida etiam patet corpora præter naturam affici: tum uerò & mutationes non esse repentinas, ut dictum est: at hic sunt repentinæ ex immodica siccitate æstatis in humidum ualde autumnum, igitur præter rationem communem, quòd autumnus calidus mutetur in hyemem frigidam, et humidum in corpore per frigus contineatur in illo, quæ duo sunt communia, præcedenti etiam constitutioni, hæc duo sunt in hac contra naturam, quare nil mirum si morbi attoniti, & tabes etiam accidant. Hæc ergo ob oppositionem habet grauiores morbos, sed paucis in præcedenti ob humidi & calidi copiam plures, non tamen adeò acutos, quia non adest oppositio, qua natura maximè percellitur.

At Galenus negat in commento hanc partem inueniri in codice Hippocratis, sed dignus est uenia, pleraq; enim interuersa sunt per illam conflagrationem C. Cæsaris, qui non minus ea quàm sæua cæde humano generi fuit hostis, sed hunc tamen legit Aristoteles in Problematibus. Constat enim quod assimulatione Aristoteles ex hoc libro hæc intexuit in suum.

LECTIO LXI. SVPER TEX. VIII. ET IX.

QVòd si borealis sit æstas, ac neque sub caniculam, neque sub Arcturum pluuiosa, confert pituitosis natura, & maximè qui natura sunt humida, & mulieribus. Bilijosis autẽ infestissimũ hoc tempus existit. Valde enim exsiccantur, acciduntq; eis lippitudines aridæ, & febres acutæ, ac diuturnæ: nonnullis etiam bilis atra, siquidem quòd liquidissimum & aquosissimum in bile est, cõsumitur, densissimum uero & acerrimũ relinquitur, quod idem accidit secundum eandem rationem & circa sanguinẽ. Vnde repẽtini hi morbi his accidũt: pituitosis

tuitosis autem hæc omnia commoda sunt. Exiccantur enim & in hyemem perducuntur, ab alijs in alia resiccati. Si uero hyems Borealis sit & sicca, uer autem australinum & pluuiosum, æstate lippitudines fient fortes, pueris & mulieribus febres.

Proponitur hæc sententia, à Philosopho tanquã diuisa Prima Problematum (11. & 12.) In priore quid humidis, in posteriore de bilijosis tractat corporibus. et est quod si tam æstas quàm Autumnus siccus fuerit (Per hoc quod dixit neq; sub canicula, neq; arcturo manifestum est, quòd supra diximus Arcturi ortum pertinere ad æstatem ut Autumnus ab Aequinoctio incipiat) mulieribus & natura humidis atq; pituitosis confert. Vnde peruersè interpretatus est Alemanus: & corrupit literam Græcam, & contra Cornarium addens Occasum, dum de Arcturo loquitur, cum Hippocrates de eius ortu intelligat. Planum est quod tria genera humidorum corporum explicat, mulieres quæ ob sexum sunt humidæ. hoc uidetur planum, sed non est, cum alio modo pueri humidi censeantur: quare pueri optimo humido abundant, qui uerò humida natura diutius uiuunt, hi densius habent humidum: pueri abundantius scilicet hoc, & illud mulieres humidius, id est liquidius: at humidi temperatura, neq; densiore, neq; plurimo, neq; liquidiore, sed potestate eiusmodi, ut intelligamus qualitatem sine substantia, quoniam minus terrei adest. Exemplo non aliter intelligi potest: Vrceus sit in quo dimidium sit olei, dimidium terræ: hoc est eorum qui diutius uiuunt. Fingamus esse terræ uncias quatuor & duas diluti pinguis, sex olei, hic puer est: & sit dimidium terræ, tantundem aquæ quæ non est adeò densa, ut oleum sed liquidior: hoc est fœminæ temperamentum, ubi hoc adipiscatur à membris genitalib. si uerò à solis principalibus, tunc est humidũ corpus. at uero sit corpus, quod ob humidam intemperiem abundet pituita aut humore crudo, hoc iam ex naturali intemperie in aduentitiam transiuit. Mulier autem quæ diu uiuit ut Terentia Ciceronis, cum uir humidus ob dilutam humidi substantiam diu uiuere nequeat, humidum habet densum sed impurum ex superueniente non ingenitum. Reliqua in expositione Aphorismorum (Par. 3. com. 14.) animaduertendum est autem, quod ubi hic dicit, Bilijosis autem in Aphorismo loquitur, generaliter dicens, reliquis, ut de omnibus intelligatur, sed præcipuè tamen de bilijosis.

Si quidem quod liquidissimum.] *Oportebat reddere rationem posteriorum, cum de pituitosis & mulieribus esset perspicua, & etiam ab Aristotele, scilicet quòd ad temperamentum talia corpora reducuntur, pugnante cum temperatura corporis aeris natura, quæ semper in intemperatis contraria esse debet, cum cibi & potus sæpe similes exigantur, modo reddit rationem quam ex Aristotele accipere licebit (12.) inquit enim ille cum corpora exsiccantur, quantum in his dulcedinis est euaporat, ut necesse sit illa uehementer incalescere, ut dum humor consumitur, aridæ lippitudines oriuntur: residuo quod bilijosum remanserit, eodem recalescẽte, febres acutæ, utpote ex syncera bile inuadant. nonnullos insania rapit, quorum scilicet natura atra bile abundat. hæc etenim largè supereſt, cum eius humores contrarij resiccescat. Vult ergo tres partes resiccari ubi dulce euanuerit, uaporosum quo lippitudines, bilijosum, ex quo acutæ febres, feculentum ex quo mania, nam & hoc apud Aristotelem legitur insaniæ loco. Animaduerte quod licet Philosophus uideatur loqui de eisdem, loquitur tamen de diuersis: nam absurdum est credere, quod eisdem hominibus accidant, primum lippitudines, inde acutæ febres, & post etiam insaniæ, cum uix unquam hoc accidat, sed in quibus humor ille uaporosus, lippitudines accidunt, quibus bilijosus & aqueus, febres, quibus terreus ex operatione tamen in omnibus siccitate insaniæ. Et hoc plerunq; ordine suo ab initio lippitudines & reliqua. Vnde qui purgant cum educentibus tenues humores, ut rhabarbaro prouocant insaniam: sicut illa non fit nisi à siccitate prius tenui resoluta parte.*

TEX. IX.

HAec igitur si quis mente concipiet & considerabit, is præcognoscet plurima omnino quæ ex huiusmodi mutationibus sint futura.

Hic satis grauiter inuehitur Alemanus in Hippocratem, de quo non habeo quid dicam. puto enim nõ semel obseruatas ab Hippocrate, cum maioris partis exempla pateant in libris Epidemiorum. Cæterum de coniugationibus illis in Aphorismorum commentarijs (14.) abunde dictum est.

LECTIO LXII. SVPER TEX. X.

MAximè autem obseruare oportet magnas temporum mutationes, ut neque medicinas in illis libentes

bentes exhibeamus, neque uramus, quæ circa uentrem, neque secemus priusquàm prætereant dies decem aut plures, & non pauciores.

In præsenti parte conuertit sermonem ad medici operationem, in qua euidentius apparent errata illius, cum nulli alij soleant successus mali imputari. Et dicit, quòd mutationes temporum maximè cauere oportet. Alemanus hoc interpretatur de qualitatibus efficacibus, ut pote magnos æstus et magna frigora, quod etiam ostendit ex Hippocrate quarta Aphorismorum, (5.) sub cane & ante canem molestè sunt medicationes. Et clarius in primo ad Glauconẽ (cap. 14. post princ.) Cauendæ sunt medicationes in cõstitutione exquisitè calida & sicca, qualis est inter exortum canis et Arcturi, ut qui sanguinem tum miserint omnes perierint. Et similiter in immodicè frigida mittere sanguinem est formidandum. Vbi animaduertendum quod magis nos à uenæ sectione prohibet quam purgatione: Et magis in maximo calore ac siccitate quàm frigore, quia ibi duæ sunt qualitates contrariæ, hic una: Et etiam quia calor est maioris in agendo uis quam frigus. Et cũ dicit quòd omnes perierunt, supponit quòd sit in regione calida, saltem ut Roma, & quod ea æstas sit pura ut neq; à pluuijs neq; uentis sit refrigerata: & sectio uenæ sit ad quantitatem euacuationis quam ipsæ præcipit, quæ saltem debet esse Rotuli unius, id est duodecim unciarum, demum quod magis refert, ut sit in febre sola & non in absceſſu. Et hæc omnia quæ Alemanus dicit uera sunt. Sed tamen non sunt ad propositum hic.

Et mirum est quòd adducit Aristotelem (prima Problem. 3.) pro se, cum sit contra ipsum è regione, & quod exponat per mutationes temporũ qualitates excellentes cũ Aristoteles explicet uentos, ac similia idq; sit contra rationem uerbi τὰς μεταβολὰς, quod est mutatio seu quouis modo noua aliqua introductio: sit etiam contra Hippocratis demonstrationem. nam utitur hac ratione

» *ille, ut in sequenti Textu deprehenditur: Periculosissima sunt solstitia et æquinoctia, in quibus mu*
» *tationes fiunt. neq; enim aliud est commune, quia*
» *in æquinoctijs non sunt qualitates immodicæ, er-*
» *go omnes mutationes sunt periculosæ. Idem dixit*
» *tertia Aphorismorum, (1.) Mutationes temporũ*
» *potissimum pariunt morbos? Et in temporibus*
» *quibusdã magnæ mutationes frigoris aut caloris.*

Ideo uno dicto admisit tres errores. Sed tamen omnia quæ hic dicit uera sunt, utilia & culta, non tamen, ut dixi, explicat Hippocratis sententiam. Alius error principalis est, quod non probat illud in quo nititur ratio Hippocratis, scilicet temporũ mutationes potissimum pariunt morbos, ergo in temporum mutationibus maximè cauere oportet omnia ualida auxilia. cognitis erroribus circa expositionem prosequamur in illa.

Et est ergo sensus, In omnibus magnis temporum mutationibus saltem per decem dies post cauere oportet ab auxilijs magnis quæ sunt præcipuè tria, medicatio, sectio uentris, & usus eius. Et si sint maiores mutationes, aut æger sit debilis, aut nulla cogat necessitas, cauendum erit per multo plures dies. Et hæc est pura & nuda sententia. Primum igitur in mutationibus corpora debilitantur: sed medicamenta & huiusmodi affligunt, igitur in his mutationes sunt periculosæ. Et hoc habetur à Galeno secunda Aphorismorum, (2. de Vict. in acut. Tex. 31.) duas causas debilitantes naturam debemus simul iungere. Secundò, mutatio temporum mouet humores: igitur uel motu simili motui artis, & tunc nimium opus intenderetur, aut contrario, & tunc medicus cũ natura pugnabit, igitur utroq; modo periclitabitur, (lib. de Medic. purg.) Dici solet, turpis calamitas dato medicamento expurgante dato hominem occidere. Sed si contingat præter id magnitudinem qualitatis accedere, tunc erit deterius. Sed hoc adijcit alibi, ut dixi, & etiam in sequenti. Et quanquam cassia nigra & rhabarbarum sint mitiora & temperie æqualitati propiora, nocẽt tamen. Vnde nõ tandum quod Alemanus hoc nõ animaduertit sed duo tantum intemperiem medicamenti & robur. sed est tertium quod proprium humorem trahat. quia non potest trahere nisi separet, quarta Aphorismorum, (Com. 22.) sed non potest separare nisi cum magno nixu, præsertim materia non concocta, ideo in mutationibus temporum hoc est periculosum.

De secundo et tertio auxilio illi fuerunt in usu antiquo tempore, nec est necesse ut commemorem loca in quibus de his agit in libro de Internis affectionibus, & in secundo & tertio de Morbis. pag. 13.) Et in septima Aphorismorum (42. & 43.) nec est ut dicam quomodo & quando, sed ut aliquid lucremini, dico, quòd Hippocrates præcipue urebat aut secabat tria membra, & in sex morbis. membra erant pectus, lien & iecur. Morbi autem Purulentus seu suppuratio, ascites, iecoris suppuratio & tumor durus, quod magno malo omittunt medici nostræ ætatis, & lien etiam du-

rus, & in doloribus uehementibus. Demum in carie ossis, ut in libro de Fracturis, (6. Par. 6. Epid. Tex. 7.) inter reliquos apponam quæ scribit de ascite, libro de Locis in homine, (pag. 10.) Vbi licet uideatur loqui de lienis uitio, tamen, ut deprehenditur ex sensu uerborum, de ascite agit. Verba igitur sunt hæc: Medicamenta in potu exhibenda sunt quæ aquam purgent, & edulia quàm pituitosissima offerenda. Si uerò neq; sic leuior fiat inurendæ sunt crustæ quam tenuissimæ, et quam maximè in superficie, quo aquam cõtinere possis circumcirca umbilicum, & una in umbilicum, & emittere singulis diebus. Cum enim morbus periculosissimus sit in his periclitari oportet. Si enim successerit sanum facies: Sin minus quod etiam aliàs futurum erat idipsum perpetitur. Cæterũ in puero hydropem sic curare oportet. Partes tumidæ & aqua plenæ aperiendæ sunt scalpello, & frequenter ac parum educendum est. Educendum autem est à singulis corporis partibus & fomentis utendum, & semper locum apertum unde eduxeris calfactorio medicamento illines.

Quod uero ad decem dies extendatur hæc custodia, morem uidetur sequutus Philosophi qui quærit, cur homines ad decem tantum numerent? & multa cum adducat circa hoc, nihil tamẽ est proprium, neq; enim alij numeri in se ducti rotundi euadunt, sed formam mutant, præter quinarium, senarium & denarium, hi enim soli in seipsos redeunt. Ergo quæstio hæc mathematica est, nec ad præsentem disputationem attinet. Hippocrates autem statuit numerum hunc, quoniam ad Solis cursum pertinet, cuius tertia pars est dies CXX. Huius tertia pars terminat acutos morbos, quem numerum si diuiseris per quatuor, qui est numerus temporum anni, prodibunt dies decem. Est enim sapientis, ut Philosophus ait, & artificis uniuscuiusq; proprium reddere rationem ex principijs artis: medicus autem à naturali Philosopho accipit principia suæ artis, non à mathematico, ideò debet respondere per principia Philosophi naturalis ad quæsitum.

Restant modò difficultates duæ magis necessariæ, quoniam in præcedenti solũ quærebatur causa, in his ignota est causa & effectus: scilicet an istud idem sit intelligendum de uenæ sectione, quæ est quartum præsidium potens. Et an ustio sit periculosior sectione: ista plurimum faciunt ad medicinam. Hippocrates primum prætermisit, secundum breuitate inuoluit. Dico ergo quòd cum Hippocrates sua ætate magis reformidaret sectionem uenæ, quàm purgationem: ergo multo minus illam fecisset in his temporibus, quàm medicamentum purgans exhibuisset. quoniam ut aliàs declaratum est, (2. de Fract. Tex. 27. & 29. Et 3. eiusdem Tex. 48. & 49.) neq; in febribus, neque in magnis fracturis mittebat sanguinem, sed potius exhibebat elleborum & inedia summa utebatur quam uellet sanguinem mittere. At in interioribus inflammationibus sanguinem mittebat ob maximam necessitatem, sed necessitas nulli legi subijcitur, ergo quanquam abstineat à medicamento in his temporibus & decem proximis diebus: et medicamentum sit minus uerendum quam sectio uenæ: tamen in his temporibus ac terminis licebit mittere sanguinem. Atq; ita habes difficillimæ quæstionis solutionem, quæ oritur ex necessitatis maioris causa. In senectute tamen Hippocratis magis adhæsit sectione uenæ, quia uidebat ægros nolle pati exquisitam illam inædiam. Vnde etiam in periculo Phlegmonis mittebat sanguinem. Et ex hoc patet concordia Hippocratis, Galeni, & etiam Erasistrati: omnes enim bene dicebant & bene faciebant, sed diuersa ratione: scilicet iuxta ægrorum abstinentiam. Sed ex hac rursus alia deriuat. Dices enim, quomodo sectio uenæ in quartana (in sua Empirica cap. de Quartana.) sit in hora coitus lunæ, ut multi ex hoc auxilio B. Fauentini seruati sint? Dico primum quod illa coniunctio non est hic nec alibi posita ab Hippocrate. nam certum est quod eam nouit, ut in libro de Septimestri partu, & uulgus omne & populi & Hebræi, nec ipsam excipit, ergo illam non uoluit esse obseruandam. aut non adeò ut impediret. Secundò dico quòd sectio illa uenæ parua est, imò exigua, ut non possit corpus debilitare. Dico demũ quod hæc est cura propria, in qua aliquando facimus totum oppositum eius quod facere cõuenit, licet omnia habeant causam, & si habent causam, habẽt etiam rationem. ratio enim est causæ inuentio: sicut de sectione uenæ saluatellæ sinistræ manus hora aduentus accessionis in eadem fẽbre: quæ si sæpius fiat curat eam, ut refert Valesius de Taranta, (lib. 7. cap. 12.) Per hoc enim intercipitur putredo & calor dissoluitur pro accessione futura. Demonstratum est autem aliàs quod febris intermittens cum una accessione deserit, sanatur homo ex ea nisi aberrauerit: et ut medicus diligenter caueat. De incisione uerò & ustione dico, quod ustio est deterior propter circumiacentia, nam in incisione incidimus & præcidimus quod uolumus, in igne urimus etiã quod

uolumus: & ideò est ualde periculosa prope nerauos: & est sententia Hippocratis in libro de Articulis. (pag. 6.) Pro loco autem ipso tria sunt detrimenta cõmunia tam ustioni quam incisioni, dolor & conuulsio & amissio operationis membri.

Ex dolore aũt contingunt febris, delyrium & uigilia, et quamuis dolor sit etiã causa conuulsionis, tamen qualitas causæ doloris magis effectrix est conuulsionis, quam magnitudo. Et dolor à frigore magis efficit cõuulsionem quam à calore. Et ideo ignis minus efficit cõuulsionem quã incisio. Et licet uideatur Hippocrates post ustionem loco adducto timere conuulsionem, intelligit, ut ibi se declarat, superueniente frigore, aliter non. Præcisio ergo est deterior ratione priuationis operationis & cõuulsionis: ustio aũt quo ad doloris magnitudinẽ. Animaduerte aũt quod licet loquatur de operatione medici, tamẽ intellige ex consequenti, quòd hæc etiã tempora sunt per se periculosa.

LECTIO LXIII. SVPER TEX. XI.

PEriculosissima sunt etiã ambo solstitia, maxime uerò æstiuum. Periculosum etiam æquinoctium utrunq;, magis uerò autumnale.

Insinuauit tria periculosa, magnum cum operationes quæ plurimum debilitant uires, fiunt sub mutationibus temporũ etiam fortuitis. Sed maius longè cum fiunt sub mutationibus temporũ naturalibus, atq; maximũ cum fuerit hæc mutatio, uel in solstitio æstiuo, uel æquinoctio autumnali. Multa hic dicit Alemanus uera, sed nõ ad propositum principale, nam propositum est, ut dixi, loqui de operatione medici: ideò oportet ad illã saltem primo sermonem dirigere: et dico quòd quæsita quæ sunt annexa literæ semper debẽt esse prima. Ergo talia sunt: cur solstitiũ æstiuũ sit prriculosius hyemali? quòd Plinius & cæteri solent appellare brumam. Secũdum est: cur æquinoctium Autumnale sit uernali periculosius? Tertium, an solstitia sint periculosiora æquinoctijs? & cur? Quartum, an bruma sit periculosior Aequinoctio Autumnali? dato quod solstitia sint periculosiora æquinoctijs. et componitur dubitatio ex secunda & tertia. Vltima quæ ad rẽ pertinet, est, quod uidemus plures mori inter hæc tẽpora quam in ipsis temporibus, scilicet sub diebus caniculæ et mense Octobri, quæ tẽpora sunt intermedia inter hæc & non ex ipsis.

Ad primũ solet dici, quòd ad eam mutationem accedit intemperies aeris, quæ in uno calida est, in alio frigida, ideo deterius est solstitiũ æstiuum quã bruma, quoniã calor magis agit quam frigus. & si quis dicat, quod Aristoteles uult, quòd plures ex languentibus moriantur hyeme quam æstate, ut in 1. Probl. (25.) istud tamen contingit bifariã, per accidens (ut dici solet) nam per se primũ quia materia minus diffiatur in hyeme quàm æstate. secundo quoniam corpora quæ ægrotant hyeme, si sint robustiora ægrotant à maiori causa, ideò sunt in maiore periculo. Si aũt sint imbecilliora, sunt ualde imbecillia, quia uentres hyeme & ucre natura calidissimi. dicebat Hippocrates 1. Aphor. (15.) Ideo plures ægri quod ad numerum ægrorum pereunt in hyeme quàm æstate, simpliciter tamẽ plures ægri fiunt sub solstitio æstiuo quã sub bruma. & simpliciter accipiendo plures homines tunc quàm tempore brumæ moriuntur. Et ex hoc sequitur ut solstitium æstiuum sit deterius natura, & inde quo ad opus medici periculosius, & hoc postmodum est Hippocratis intentum.

Quare aũt Autumnale Aequinoctium uernali sit periculosius duæ sunt causæ, una cœlestis, alia sumpta ex ipsis inferioribus. A cœlo quoniam sol recedit à nobis in autumnali, tũc omnia tristantur & folia cadunt, & fit transitus ex calore ad frigus, ex amico naturæ animalium præfectorum ad inimicum. Ex inferioribus: quoniam corpora nostra sunt languida, plena malis humoribus. ut Galenus 3. Aphoris. (Com. 9.) & etiam quia tempus illud est magis inæquale, & siccum cui frigus superuenit: in uere ab humido transitus fit ad calidũ & humidum, & causa inæqualitatis aliàs à nobis declarata fuit. Tertia difficultas est, an solstitia sint periculosiora æquinoctijs? Et uidetur cõstans ratio quòd sic, nam Galenus non meminit de Aequinoctijs ullibi, sed de immẽso calore & frigore, 1. ad Glauc. (cap. 14. post princ.) & in Aphor. 4. particulæ. quãuis de cane potius quàm de solstitio meminerit. Est postmodũ authoritas Philosophi in 1. Probl. (5.) qui expresse meminit solstitiorum, & usq; ad centum dies post, igitur multo ualidiora existimat (26.) solstitia æquinoctijs. In oppositum ille idem inquit paulo post (27.) cur uer & Autumnus morbis infestent? Idem in 3. Aphoris. dixit de Autumno non de æstate Hippocrates. Præterea in 3. Aphoris. magnæ mutationes morborum causæ sunt, ut etiam 1. Problem. (9.) sed maiores fiunt mutationes in temporib. æquinoctiorum, (1.) siquidem sol in septẽ diebus circa æquinoctiũ plus perambulat quam in triginta quatuor circa solstitium, (3.) siquidem in septem diebus circa æquinoctiũ, perambulat declinatio-

nis partes tris & duo minuta, in triginta aũt quatuor diebus à solstitio partes tres minus totidẽ minutis, id est minus duob. minutis declinationis: & hoc supponendo quòd perambularet unã partem significri singulo die. Et ideo ego soleo dicere quòd quemadmodũ in arboribus uidemus expresse maiorem mutationẽ ex æquinoctijs quàm solstitijs: in calore aũt & frigore maiorẽ in solstitijs quàm æquinoctijs. ita solstitium æstiuum plures parit morbos, & cum maiore impetu quam æquinoctium Autumnale, sed æquinoctiũ Autumnale deteriores & acutiores quam solstitium æstiuum. Aequinoctium autem uernũ plures facit morbos quàm solstitiũ hyemale, sed mitiores. Animaduertendum quod artificiose Aristoteles, cum dixit fieri plures morbos post solstitia per centum dies, incluſit etiam æquinoctia, & usq; ad decem illos dies quos commemorauit Hippocrates hic.

Quarta quæstio sic solui debet. Bruma non efficit morbos adeo lætales, sed tamen difficilioris sanationis. sed iam dictum est quòd Autumnus est lethalior omnibus temporibus anni. Ideo potest potius hyems cõparari ueri: sed uer est salubrius longè hyeme, plures tamen efficit morbos, hac causa solum comparatur cæteris temporibus. Sed dicetis, cur ergo comparatur uer Autumno si est saluberrimum? in eo enim tempore non debemus uereri, neq; purgationes neq; ustiones? dico quod uerum est nisi in tempore æquinoctij: de reliqua parte ueris dicit oppositũ 6. Aphoris. (45.) Vltima quæstio fuit de eo quod uidemus plura immutata, & inter reliqua hoc, aut forsan id intendit Philosophus cum dixit, à solstitio per centũ dies homines maxime ægrotare, non sub eo quod uerum est admodum, ut sub magnis caloribus homines moriantur: nam de bruma disputare hoc in loco non duxi: Certè Hippocrates tradidit principia rerũ, quæ post adijriuatur cum periculo sunt, ut ita dicã. Videmus enim multa promiscuè miscери, morbos, mortes, salutem, parum differentibus temporibus: nõ eodem anno eadem: neq; diuersis eodem tempore eadem: neq; in diuersis regionibus eadẽ. uidemus nostra ætate ferri morbos quasi per successionem, etiam non contagiosos ex una urbe in aliam, ex regione in regionẽ, & maxime ab oriente in occidẽtem. hæc obseruata antiquitus an sint non scio, nec credo postquàm de hoc non nisi ab uno authore, & semel nec medico factam mentionẽ uidi. Quæ uerò obseruata ab illis sunt, siue ob magnam locorum uarietatem, cũ illi mari propiores essent, & regio calidior, siue ob tẽporum uarietatem, cum etiam in nonnullis speciebus mutatio facta uideatur, balsamum, laser, ita familiare illi habuerunt, ut nos florem garyophylli & moschum, atq; tibethum illis ignotũ, non adeò respondent exquisite nostra ætate, & nostris in regionibus respondent. Quinimo coniugationes ipsas. locorum cum temporibus quis obseruare poterit? Alia Bononiæ, alia Mediolani ratio temporum et morborũ. Hic destillationes multæ, melancholici morbi et laterales: in patria febres pestilentes, aluꝰ profluuia, & persæpe eadem cõstitutio. In uniuersum nullo tempore fermè pauciores morbi quàm sub solstitijs uidentur? Et ratio hoc suadet: nam quod ad solis motum in latitudinem mundi, quam declinationem uocamus penè nullus est calor aut frigus, tum primum solum incipit sæuire, ut uentra causarum possit efficere tot morbos multo minus mortes. neq; hoc dixit Hippocrates, sed solum iubet medicum prospicere operando, quoniam in temporibus maxime natura nostra labefactatur, non tamen statim ægrotat, neq; enim eodẽ tempore laboramus, fatigamur, calescimus, refrigeramur, replemur, uigilamus, concubimus nimium, edimus pepones, cucumeres & ægrotamus, neq; cũ ægrotamus morimur. sed aliud est tẽpus initij morti, aliud initij mortis, aut decreti, aliud mortis. nonnunquam enim causa morbi distat ab eius aduentu. duobus aut tribus, aut etiam decẽ & amplius annis, ut in robustis corporibus, qui cucumeres copiosè ederunt. afflictantur ergo ipsa die solstitij, aut paulo post ægrotant caniculæ temporibus. Ergo ut ad rem redeam, cum æstate calor immodicus ferueat plures cõtingunt morbi, uires tamen dissoluũtur sic solstitio ipso tanquã inustione facta tum candenti ferro, licet diebus sequentibus augeatur morbus, idem in bruma rigescit, & in coitu generatur fœtus, licet sequenti tẽpore magis ac manifestius augeatur. Et in ueris initio humores liquãtur, et corpus incalescit, in Autumno refrigeratur, quæ mutatio est manifestè periculosior quã reliqua. ut uidemus in his qui ab exercitatione frigori se exponũt, nam generantur in eis febres & inflãmationes: ex frigore aũt si quis in calidariũ ingrediatur aut se exerceat, non solũ non lædit, sed sentit manifestã utilitatem, ob id cum in utroq; æquinoctio corpora nostra debilitẽtur, in Autumnali etiã læduntur, in uernali minime aut ualde parũ. Atq; hæc fuit sententia Philosophi (1. Probl. 27.) etiã. Et ex hoc discemus tẽporib. æquinoctiorũ et solstitiorũ, qui nã sint ægrotaturi, et leuiter aut grauiter, aut ad mortẽ & q sani uicturi.

LECTIO

LECTIO LXIIII. SVPER TEX. XII.

OPortet autem & astrorum exortus cõsiderare: præcipuè canis, deinde Arcturi & Pleiadũ occasum.

Sidera dicta sunt, teste Varrone, (Aduersariorũ lib. 23. cap. 14.) ut Tornelius author est, quod terris insidat et ut candens ferrũ in pecude inurat. Constat aũt pluribus stellis Astrũ in sydere præclarior stella: quanquã & per sydus Astrum intelligas, ut apud Virgilium, mineruæ sydus pro Arcturo. cõmittitur aũt amphibologia, cum quinq; recipiat sensus primus: Cõsiderare oportet maximè canis ortum & Arctũ occasum ac Pleiadũ: Secundus Canis & Arcturi ortũ & Pleiadum occasum: Tertius canis Arcturi et Pleiadũ ortum. deinde etiã occasum, sed hic nõ conuenit ob propositionẽ deinde interpositã. Verùm potius canis & Arcturi & Pleiadũ ortum & Pleiadũ occasum, etiã uel Arcturi & Pleiadũ. Et tamẽ hi etiã parum legitimi uidẽtur aut amphibologia ad duos primos tota reduci uideatur. In trib. sensib. ortus ad tria refertur occasus, ad tertiũ solũ aut secundũ cũ tertio aut ad omnia. In duob. primis, ortus uel ad primũ occasus duo sequẽtia, uel ortus ad duo prima occasus ad sequẽtia. Sed. n. tres primas interpretatiões explodit unũ κοὶνὸν seu quod deficit ibi ante (occasum) legeretur. n. Arcturi Pleiadũq; & occasum, aut tũ occasum. Et his duobus ut intelligamus sub quo sensu sit accipiendũ, non ut Alemanus simpliciter significata ortus et occasus distinguere oportet quæ tria sunt, sed eo modo quo intelligebat Hippocrates. Hippocrates enim teste Galeno, nihil uulgare tradidit (2. diff. spir. 7.) locutus est tamẽ uulgari modo, illud enim est eorũ qui gloriæ suæ student: hoc eius qui humano generi benefacere cupiat, quorũ utrũq; ille præstitit. Neq; uerò bifariã ut isti dicunt, sed uno modo ortũ accipit, uno itidem modo occasum. Ergo de caniculæ ortu cõtentio nõ est cum eodẽ tempore & Heliace et uerè oriatur, id est, & ante solem quòd est uerè oriri seu cosmice, scilicet ortu matutino qui est præstãtissimus ut Heliace, id est à sole relinqui: at de occesu supponẽre oportet Pleiadũ occasum Autũno fieri, quod ab Hippocrate dictum est, in primo Epidemiorum (Sec. 2. Tex. 2.) ubi Galenus hæc habet quæ ad plenam huius textus interpretationem faciunt: "Vergiliarum occasum finire Autumnum antea diximus. Præterea etiam duos esse menses ab Arcturo ad Vergilias. Atq; unam esse significationem in uere ab Arcturo duas à Vergilijs alteram quando autumno hyems cõmittitur cum in fine sit. alterã quando uer æstati. Arcturi aũt mentionẽ nõ nisi solus ortus facere Hippocrates solet, quandoquidem sub eo incipit autumnus, æstas terminatur. Diffinita igitur est quæstio prima quoniam in secundo sit intelligendus, id est canis et Arcturi ortus & pleiadum occasus considerandus. Hæc obstat quod etiã ortus Pleiadum dignus sit considerationes, quoniã & si uerum sit, magis tamen occasus. Adeo ut ordo eiusmodi sit, ortus caniculæ, ortus Arcturi, occasus Pleiadum. nunc secundam diffinire oportet quæstionem, scilicet de quo occasu intelligat, cum sit triplex: clarum est ex dictis inter Arcturi ortũ & Pleiadum occasum intercedere duos mẽses. Et quod hoc tempore quo hæc scribimus XXIII. Maij scilicet anni M.D.LXVIII. oritur Arcturus Mediolani tum Bononiæ ubi sumus, cum sol est in sexta, parte libræ ob magnam latitudinẽ boreale, scilicet partium XXXI. min. XXX. licet sit in fine XVIII. partis libræ. et est stella Primæ magnitudinis inter crura Bootis naturæ Iouis iuxta Ptolomæum, atq; ita incipit oriri die XX. Augusti. ortus enim talium stellarum præclariorum mense integro fermè definitur. Inclarescit igitur à die XX. Septembris ortus Arcturi, sicut canis (et intelligitur de stella quæ est in ore maioris canis, quàm Syrium uocant, nõ de sydere) cum sol est in decima parte leonis: scilicet die XXIII. Iulij. numerando igitur ut ab initio proposuimus menses duos, ab ortu Arcturi, id est à XIX. die Septẽbris incidet finis eorum in XIX. diem Nouembris. tũc igitur fit occasus Pleiadum nostra ætate et nostris in regionibus, & sol est in septima parte sagittarij, sed hoc minimè congruit regioni nostræ nostrisq; temporibus.

Dico ergo Pro intellectu primum horum quod sunt duo crepuscula, unum matutinum, quod aurora uocatur, alterum uespertinũ, quod nomine proprio significatur. Vtriusq; sunt duæ partes crepusculum clarũ in quo multa uidentur, latent astra omnia, præter ea quæ sunt lucidissima, ut utraq; canicula et Arcturus & bellatrix in humero sinistro Orionis, Iupiter & Venus, & cingulus orionis qui ex tribus constat stellis, & aliæ primæ magnitudinis stellæ claræ. sed in crepusculo obscuro astra omnia insignia uidentur. habent autem se cõtrario modo in ortu solis crepusculum obscurum præcedit clarum, in occasu autem sequitur, est autem diuersum iuxta regiones et tempora, æstate et in regionibus ubi purus est aer, ut in Aegypto crepuscula sunt clariora & lõgiora hyeme, & Ger-

mania breuiora & obscuriora, generaliter autem est circa unam horam in Italia, quæ est quasi media inter Aegyptum & Germaniam dimidium cuius claro crepusculo & aliquanto plus æstate aliquãto minus hyeme tribuitur reliquum obscuro. Cum ergo Sol sit per dimidium horæ sub orizonte, utpote in secunda parte crepusculi matutini ascendent. partes octo fermè ex æquinoctij circulo, sed quoniam initium Arietis tam ex æquinoctij quàm signiferi circulo secat orizontem obliquum quemuis ad angulos non rectos, nisi æquinoctialis in sphæra recta semper suũ orizontem. & signiferũ orizon, qui est sub torrida zona, in duobus tamen punctis solum qui nõ sunt ijdem ubiq;, sed iuxta poli altitudinem à sphæra recta usq; ad partes XXIII. minutas XXX. ultra citraq; æquinoctialem. ideo cum recta uia sit breuior obliqua necesse est, ut crepusculum clarum matutinũ incipiat cum celerrime dũ Sol appropinquat per circulum magnum secantem ad perpendiculum orizontem iuxta sex partes, antea ergo cum uidentur Pleiades, quæ sunt iuxta XXIIII. partẽ Tauri, & cum latitudine boreali quinq; aut sex partium, oportet ut sit Sol in initio Sagittarij, id est in secunda saltem parte ut sit crepusculum obscurum orientis illis cadentibus in occidente antequã Sol oriatur per mediam horã. Cum ergo ascendit gratia exempli prima pars Scorpij & Sol est in decima eiusdẽ, Pleiades bene uidentur, quia sunt supra orizontem uigintiquatuor partibus, & uix incœpit crepusculum obscurum, ideo non dicuntur occidere cum bene cernantur. Sed neq; cum Sol ipse tum ascendit, dicuntur occidere, quia adhuc procul sunt ab orizonte, ergo nõ ea causa occidere dicũtur. Sed neq; quia tum non uideantur, quia hoc non contingit eis solis sed omnibus astris ut oriente Sole occultẽtur, igitur nullo modo occidũt Vergiliæ, dũ Sol est in decima parte Scorpij. Ponamus modo quod Sol processerit ad uigesimam partem eiusdẽ, & ascendat prima pars Scorpij, non dicentur occidere imò minus cum nullum tunc futurum sit crepusculum, & tamen stellæ erunt in eadem altitudine. In ortu quoq; Solis non dicentur occidere, quoniam licet occidant tamen ob crepusculum clarum seu auroram non uidebuntur: igitur, ut dixi, cum Sol transierit oppositum earũ per sex gradus, ut in initio Sagittarij, id est die 13. Nouembris ante dimidium horæ quam Sol oriturus sit, ipsæ uidebuntur in occidente, & tunc occidere dicentur. Hicq; occasus perseuerabit per decem dies ut dictũ est. Et occasus hic non propriè neq; Chronicus neq; Heliacus nec Cosmicus sed mistus. ideò illa diuisio non est bona neq; exacta ortuum atq; occasuũ. Sed quia etiam ortus Vergiliarum in cõsyderatione uenit dico quod cũ sit ut Canis & Arcturi, scilicet Heliacus erit cum initio fermè geminorum. Io. Stadius autem posuit solum ortum & occasum obliquũ propter geneses. orientur ergo Pleiades ratione dicta in die solstitij, uel circa diẽ XII. Iunij: & perseuerabunt usq; in finem mensis, quia non sunt ex lucidioribus astris. Ex quo patet quod æstas incipit serius nunc quam olim cũ tunc ante solstitium, quamuis esset etiam tempestiuus, et propter diuersitatem regionis. Quantum ualeant hi ortus & occasus dicebat Plinius, (lib. 2. cap. 40.) nam caniculæ exortu accendi Solis uapores quis ignorat? cuius syderis effectus amplißimi in terra sentiantur.

Ortus Pleiadum Iunij XII. finis Iunij XXX.
Ortus Caniculæ Iulij XXIII. finis Auguſt. XXII.
Ortus Arcturi Septemb. XIX. finis Octob. XIIII.
Occasus Pleiadũ Nouemb. XIII. finis Nouemb. XXIII.

feruent maria ex oriente eo, fluctuant in cellis uina, mouentur stagna. Orizem appellat Aegyptus feram, quam in exortu eius contra stare & contueri tradit, ac uelut adorare cum sternuerit. Canes quidem toto eo spatio maximè in rabiem agi non est dubiũ. cætera quæ addit Alemanus ad benebilioſam pertinent non ad hunc locum. Vnum addam Arcturum haberi tempestuosum apud omnes antiquos, nec scio cur Marti & Mercurio tribuatur à Ptolemæo, sed forsan in Aegypto eiusmodi est aut loco Mercurij, Veneris sit legendum, nam notæ quibus scribebantur penè similes. Vel quoniam penè uertici nobis immineat: aut quia quasi non recidat confici Sydus dicitur cum plerie oritur, aut occidit postquàm occiderit ut apud oppidum de Bello Africo, namq; Vergiliarum signo confecto circiter Vigilia noctis secunda nimbus cum saxorum grandine subito est exortus ingens. Constat hoc anno cum luminarium coitio (scilicet M. D. LXVIII.) in Arcturi partem incidissent præter temporis rationem singulo die sequentis mensis pluisse, fuitq; coitus die XXVI. Maij, hora VII. post meridiem, ideo in occasu.

LECTIO

LECTIO LXV. SVPER TEX. XIII.

MOrbi enim in his maximè diebus iudicãtur, aliq; perimũt, alij uero desinũt, reliqui uero omnes in aliam speciem aliumq; statũ transmutantur. Et hæc quidem, sicut dixi, ita se habent.

Proponit uim talium ortuum & occasuũ quadruplici exemplo, quia aliqui iudicãtur, aliqui perimunt, quidam desinunt, aut in aliam spem aut statum transmutantur, iudicari proprie est per motũ uelocem liberari à morbo, Hippocrates enim hoc nomine utitur paßim in Epidemijs (1. Lang. 3. 5 & 6.) in Herophonte, Epicratis uxore, & Cleanactide, & in tertio de Pythione (Lang. 1. & 3.) & eo qui in Dealtis horto decumbebat, nec licet in his duobus libris inuenire ægrum, qui mortuus sit, & uolenti hoc significare dixerit esse iudicatũ. Hæc duo igitur liquent, scilicet quod subita mutatio ad salutem dicitur iudicatio. subita mutatio ad mortem nõ dicitur iudicatio. Tertium, quod dubitatione dignum est, quod in morbo læthali subita mutatio qua æger in melius cõmutari uidetur. Iudicatio etiã appellatur, ut in 3. Epidem. (Lang. 2. ord.) de Hermocrate qui iudicatur est in uigesima, obijt tum in uigesima septima. ergo iudicatio duo habet significata re, licet nomine uideatur unũ tantũ habere significatũ, id est mutationẽ in melius, adeò ut liber à morbo uideatur. Hoc idẽ repetit ne quis existimet errorẽ fuisse scribentiũ in Entyanoctis filia (Lang. 6. eiusdem.) inquit, sexta die à febre libera nõ sudauit, iudicata est, quod uero circa sedem erat parum suppuratum est: erupit unà cum iudicatione. Post iudicationem septima die riguit, parũ incaluit, sudauit post iudicationẽ, octaua die riguit non multum, & tamen mortua est, suppurtatione facta die trigesima ab initio morbi, ut de hoc dubium nõ sit quin iudicationem uocet etiam solutionẽ morbi repentinam quamcũq;. Verùm in 3. Prognost. uidetur cõprehendere sub crisis nomine, & subitam mutationem ad mortem ut ad salutem, inquit enim (Tex. 1. Οὐδὲ πυρετοὶ κρίνονται ἐν τοῖσιν ἀντίοισιν ἡμέρῃσιν τοῦ ἀριθμοῦ ἐξ ὧν τε γίνονται οἱ ἄνθρωποι καὶ ἐξ ὧν ἀπόλλυνται. Id est febres iudicantur in ijsdem dierum numeris, ex quibus supersunt, et ex quibus moriuntur. Galenus exponit quod seruãtur & moriantur per crises in pari dierũ numero. Sed hoc non demonstratur ex Hippocr. uerbis his: Verùm quia lis est solũ in uerbis concedamus hoc illi. Sub hoc sensu uerbi κρίνεται, siue iudicatur declarare erit alia diuisio in tria tantũ membra, scilicet, morbi iudicãtur imparib. temporibus, alij ad mortẽ, alij ad salutẽ, alij mutant speciem ac constitutionem. Ergo permutatio speciei est uelut ex angina in Peripneumoniã. Et de his tractat Hippocr. 3. Prognost. (Tex. 20.) permutatio cõstitutionis est cũ locus idẽ manet, ut ex laterali morbo in suppurationem 3. Prognost. (Tex. 52.) & 5. Aphoris. aut ex suppuratione in tabẽ, ut ibidẽ habetur. (8.) Manifestum est aũt quod hæc transmutatio est etiam duplex ad mortem aut salutem. Vt redeat res rursus ad quatuor membra.

Circa causam huius Alemanus nihil dicit, sed multa tamẽ (15.) è quib. unũ ridiculũ, quod data cassia nigra cũ manna dũ luna esset in XV. parte Capricorni mulier una in operatione perijt. Sed melius fuisset quærere causam in medicamẽto aut in morbo, et nõ in astris. fieri potest ut materia aliqua ueneni non expers mota sit, aut quod inclitum sit uenenum, aut quod laboraret abscessu aliquo propecor aut in cerebro ei incognito, è tribus enim unũ fuit nõ ex astris, neq;. n. nouit uim astrorũ quomodo sit sumẽda, ut uideo ex omnibus primũ aut saltem potentioribus & conuenientibus inter se, & postmodum cõparatis ad hominẽ hunc, & in hoc tẽpore: dico iuxta genethliacè, ut quatuor necesse sit concurrere ad tales effectus repentinos. Et licet hoc acciderit anno M. D. LI. ut colligitur ab eo, quia dicit quod fuit die XI. Augusti, & tum Mars esset infelix in libra respiciens quadrato Lunam, est tamen causa absurda & indigna tanto uiro, cũ mille homines acceperint medicamenta ea die ex scammonio, etiam qui ne ungue quidem læsi sunt. Ideò doleo illius causa quod occasionẽ dederit imperitis irridendi cum alioquin sit peritus. nam nõ solum se sed artẽ ipsam exponit his improbis illudendã. sumamus ergo causam à Philosopho in 1. Probl. (3.) & pro exẽplo accipiamus orionẽ, cuius ortus est circiter XVIII. diẽ Iunij, quoniã appellatur nimbosus à Virgilio (Aen. 1.) quanquam splendidæ quæ sunt in humeris positæ sint naturæ Martis & Mercurij, & reliquæ Iouiales ac Saturnæ, Ptolemæo teste, sed neq; hæ uidentur accommodatæ, Sed iã accipiamus, omissa causæ inquisitione, quod pro cõstanti habentur orionis stellas, quæ nũc cũ cancro oriũtur esse pluuiarũ causas, et ideò mutationis temporũ & humidas, qua ratione primũ fient sudores multi ob hãc cõstitutionẽ, ut Hip. (3. Aphor. 6.) dicebat: Quando æstas fit ueri similis sudores in febribus expectare oportet. Ratione ergo qualitatis spiritum iuxta illud. (3. Aphorismorum 7.) In siccitatibus febres acutæ fiunt,

harum igitur indicia celeriter adueniunt. Prætereà ex qualitate præmente cogitur, uelut in incremento caloris aut frigoris magno natura decernere. Est tertia causa mutatio ipsa, redeo ad Philosophum cum eo melius dicere me posse non confidam. Verba eius sunt hæc: Cur tẽporum flatuũq; mutationes morbos intendant, tollantúe iudicent uel cõmittantur? An quod aut frigidæ aut calidæ aut humidæ aut siccæ sunt? morbosq; qualitatum huiusmodi excessum committit? Secunda & enim ualetudo mediocritas quædã est, quod si per humidam, frigidamúe materiam morbus cõstiterit, tempus accedens contrarium tollere illum poterit, sed si minus contrarium subsecutum sit, qui similis status temporis subuenerit, intendet sanè atq; interrimet. quo etiam fit ut qui bene ualẽt ægrotare tempore mutato incipiãt, corporis enim proinde temperamentum soluatur necesse est, quippe quod nõ nisi temporũ, ætatum locorũq; statu idoneo aptũ sit augeri seruariq;. Quamobrem cum tempora euaniant ratio tunc ualetudinis habenda diligentius est. illud autem illud pro causa particulatim etiã adest, quod in uniuersum proposui de temporibus mutationes, etenim flatuum, ætatum atq; locorum pro temporis cuiusdam mutatione accipi debent. Quapropter hæc etiam intendendi uel tollendi uel iudicandi uel contrahendi morbum uim habent. quemadmodum tempora & syderum ortus orionis, Arcturi, Vergiliarũ, Caniculæ, qui flatus imbresq; excitãt. qui serenitates, frigora, teporesúe solent adferre. Verbo aũt uno dicam, ualidæ mutationes aut contrariæ sunt causis morborum, & concoquunt soluuntq; morbum, aut similes intenduntq; morbos & occidunt, si uires sint imbecilles aut similes sunt, & uires ualidæ, et tunc non possunt concoquere quia similes: neque occidere quia uires ualidæ, relinquitur ut transmutentur, quæ transmutatio duplex est, ut supra dictum est. Ex hoc autem loco antequam me recipiam, illud prætermittere nolim, quod quemadmodũ in solstitijs et æquinoctijs anni, quicũq; imbecilli sunt corpore aut cacochymo (partes enim dici ut anni secundo Epidemiorum) uitare debent ortum solis et occasum eius, tum meridiem & mediam noctẽ, & tamen mireris non satis medicos Principũ, qui eis consulant cum equitandum quod aer minimè calidus sit.

Catholica Syderum.

Antequam aũt ad finem cognitionis eorũ quæ temporũ status decernũt perueniamus, status quidem temporũ morbosos aut salubres definit Hippocrates mutationibus temporum, atq; trifariam, aut cognitis iã, aut occulta ratione aut cognoscendis. Et cognitis quidem cũ dixit: Si uerò æstas ficca sit, & Aquiloni et cauere oportet temporũ mutationes magnas. occulta ratione à solstitijs & æquinoctijs, futuris aũt ab ortu & occasu stellarum insignium. De his ergo non tractat nisi ut mutãt, nã si ritè processerint, ut in Epidemijs, nihil promittũt. Velut cũ dicit, sub Arcturi ortu aqua pluit multa. Quæ sint aũt mutationes hæ quas animaduertit simplices sunt per genera quinq;, quæ colliguntur 3. Aphoris. (5.) iuxta uentos præsentes et perseuerantes & pluuias & siccitates (17.) tẽporumq; mutationes ipsas, cum dietim tũ per uicissitudines & per calorem & frigus, ut in 4. Aphoris. (15. & 16.) & tertia (48.) etiã eiusdem. Vt ergo præcognoscamus pluuias maxime, quoniam hæ ad morbos sunt potentes ualde, ut 2. Epidem. (4.5.6.7.) Ex syderibus inerrantibus atq; erratibus, de quib. diximus in comment. Ptolem. (18.) & lib. de Natura Planet. (Sec. 1. in prin.) At hic uolumus quærere generaliter naturas inerrantiũ quarum effectus fiunt quadrupliciter uel ortu, uel occasu, uel quia uertici insideant, uel quoniam in nouilunijs & plenilunijs, ut præcipuè in deliquijs simul adsint uel oriantur aut occidant: aut quoniã erraticæ maximè Luna eis copuletur. Quæ igitur procellas mouent sunt de natura Martis & Lunæ. Et quæ de natura Martis & Veneris: etiam omnes quæ sunt ex natura Martis cum Luna aut Venus ei iungitur, demum cum Mercurius occidentalis effæminatus Marti iungitur, & demum quando& congressus Iouis & Mercurij cum Luna eis miscetur ob uentos ualidos. Pluuias longas & cum frigore stellæ ex natura Saturni & Lunæ, & ex natura Saturni & Veneris. Et cum stellæ ex natura Lunæ aut Veneris iunguntur Saturno aut Mercurio occidentali & effæminato. Pluuias multas stellæ ex natura Veneris ac Lunæ, aut cum fuerint ex natura unius & alteri iunguntur. omnes autem modi sunt duodecim sex quatuor & duo. Et in meridiano procellas in occidente longas, & cum frigore: Multas & suaues in oriente.

LIBER V.

LECTIO LXVI. SVPER I. TEXTV, & est initium quinti libri.

VOlo autem & de Asia & Europa demonstrare, quantum differant inter se per omnia, & de gentium

tium formis, quid distent, ut nihil inuicem simile habeant. Verum de omnibus si quis dicere uelit, in immensum excresceret sermo: quare de maximis, & plurimum differentibus dicam, quantum saltem mihi in ea re est compertum.

Hunc librum si quis bene animaduertat in tres partes principales commodè Hippocr. diuisit primam in qua est proœmium, secundã quæ est de generalibus iudicijs omnium gentium, tertiam quæ est de his quæ singulis gentib. propria sunt. Vt cũ secundum in tres partes diuiserimus iuxta tractationẽ trium elementorũ terræ, et est de habitationibus & situ, & aquarũ & aeris, & est de anni partibus. Tertium uerò in quatuor partes, iuxta quatuor etiam partes terræ habitabilis ab Hippocrate descriptæ, scilicet Europæ, Africæ, Asiæ atq; Scythiæ, meritò hæc cõmentaria in octo libros diuisimus. Neq; uerò rectũ est, quod est ut se habet docere uelle omissa authoris sententia, ut facit Iulius Scaliger dum Theophrastũ exponit: neq; ita sequi authorem, ut rei ipsius historiã omittas. seu quia ille deceptus sit, seu quia post plura lõgè innotuerint. alterum enim est nimis ambitiosi imò stulti, cum præstitisset per se commentari, non alium interpretari: in altero frustramur sine ipso propter quem scribimus, scilicet inquisitione ueritatis, quæ dulcissima est, ut Aristoteles dixit. Primum igitur mente Hippocratis explicare decet, quæ mens ei, qui sensus: Deinde quomodo res se habeat uniuersa declarare: demum unum alij coaptare: ut rem ipsam per Hippocratem intelligamus, & Hippocrati rem ipsam accommodemus. Principio dicit se uelle de Asia & Europa differere, per has etiam intelligens Africam atq; Scythiam, quantum differant inter se per omnia, sunt autem dicta superius, id est situm, aquas, uentos, naturam locorum & anni tempora. hæc enim quinq; principaliter superius attigit: unde etiam morbos. Et quantum differant in formis: est autem duplex forma corporum atq; animorum, & sub animorum forma leges, mores, consuetudines, & ratio Reipub. continetur, quæ & si uiolenta sit nec subijciatur moribus, mores tamen ab illa immutantur. Vt sub tyrannis necesse sit, aut in perpetuò metu, aut ob id semper tristes uiuere, aut negligere cuncta chariora, uxores, filios, opes atque existimationem: ut utrouis modo agas, & uitam reddas breuem & ualitudinem infirmam. Medicum autem decet omnia contemplari. Aristoteles refert Dionysium Tyrannum seniorem scilicet, omnes ciues Syracusanos quinquẽnio bonis omnibus spoliasse. Non omnia autem cum prosequi, sed præcipua tantum testatur Geographiam imitari uelle se docet, quam Ptolemæus sic diffinit. Geographia est unam eandem habitabilem terrã nobis cognitam ostendere, quomodo natura situq; se habent: circaq; ea tantum intendit quæ per descriptiones orbis magis generales sibi iunguntur. Sunt autem talia distantia in longitudine: sumitq; initium à Fortunatis insulis: & in latitudine, sumitq; principium ab æquinoctij circulo in utranq; partem: inde ut terminos prouinciarum præfigat: demum ut doceat insigniores partes, montes, insulas, urbes, maria, paludes & flumina. Vt sint in uniuersum partes sex huius quartæ considerationis, & sane nondum comperta diuisione prouinciarum sub Asia & Lybiam & Aegyptum, sub Europa Scythiam comprehendit, quorum utrunq; alienum à Ptolemæi descriptione est, nam Scythiam utranq; in Asiam collocat, Lybiam & Aegyptum in Africa. Verùm Hippocrates hanc diuisionem in tres partes non nouit. Exequamur igitur primum Ptolemæi diuisionem (Tabula 7. & 8.) de partibus orbis habitabilibus. Diuidit ergo totam in tres partes, Europam, Africam, Asiam, quam longè maiorem facit unaquaq; aliarum, sed Africa maior est Europa. Verùm quoniam parum habitata ideo paucioribus tabulis quam Europa contenta est. In Europa decem sunt tabulæ, in Africa quatuor, in Asia duodecim, sicq; erunt omnes tabulæ uiginti sex. Vt uero in regiones tabulæ distinguuntur. Europæ continet XXXIIII. Africa XI. Asia XLIX. omnes ergo regiones habitabilis terræ notæ tempore Ptolemæi fuerunt XCIIII. Termini Europæ ab Africæ parte fretum Herculeum, ab Asia mare Mediterraneum, Ponticum, Palus meotis et Tanais & Meridianus, qui per hæc loca fertur. Africa autem ab Asia disterminatur sinu Arabico & Prasso, (Vide quarta Africa tabula.) per raptum, promontoria & Trogloditas, & per Isthmum Heroum, in quo urbes leneze & sues inter Aegyptum & Arabiam Petream. Sed cur Scythiam Ptolemæus in Asia constituit, in Europa Hippocrates? Quoniam Ptolemæus ad longitudinem respexit, ideo cum Scythia sit maxime orientalis, nec posßit sub Africa contineri, ideo necessario uenit Asiæ ascribenda. Hippocrates cum Borealem partem totam Europæ ascribat, quia longitudinem non curat quæ non uariat qualitatem aeris,

acris, Scythiæ autem sint sub Borea, ideo Scythæ Europæ sunt adnumerandi.

Hactenus de diuisione partis orbis cognitæ secundum Hippocratem & Ptolemæum suis temporibus: quæ faciunt ad intellectum sententiæ illius in hoc libro: nunc de totius orbis diuisione agamus iuxta Hippocratem & etiam Ptolemæum, ut res melius intelligatur. Dico ergo quod cum Hippocrates consideret solum latitudinem ad unguem, eadem statuet de tota medietate, quæ ad Antarcticum spectat, quæ statuit de illa quæ ad Arcticum: & in ea quæ ad Arcticum spectat, diuidit eam in duas partes, in frigidam quam attribuit Europeis, & calidam quam Asianis. frigidam diuidit in frigidissimam quam tribuit Scythis, & temperatam quam proprie uocat Europam. Ptolemæus autem partem suam quæ occidentalis est maxime, & Borealis Europam uocat: quæ uerò ad Austrum posita, & occidentem usq; ad L X. partes uel circa, tribuit Africæ, ut è regione Africa Europæ opponatur. Quæ uerò à L X. gradibus ad C L X X X. fermè orientem uersus seu boreale sit, seu ad meridiem positum id totum Asiæ tribuit: ex quo patet quod iuxta illum Asia est Europæ & Africæ pene duplæ: singulis autem earum quadruplæ. Quarta pars iuxta eum erit in distantia pene partium C C X L V I I I. breuior & ob occidẽte C X L I I. Et uocant Ameniam totam: sed iuxta Ptolemæum finietur ad isthmum. Pamana iuxta longitudinem C C X C. partium seu propiore uia L X X. partium, & hoc fit nauigando, per Hayn insulam, quam uocant Hispaniolam, ex Palo portu Hispaniæ, qui est iuxta Gades & isthmi autem latitudo borealis partium circiter sex aut septẽ. Partes autem Boreales iuxta illũ tribuentur unicuiq; parti, quæ est è regione illius ut fluuius Boeer in Groelandia. Termini eius in longitudine à C C L I I. ad C C C X L I I. scilicet ex partium in latitudine autẽ à V I I. parte ab Aequinoctij circulo ad L X X. fermè ut sit partiũ V. In ea est Hispania noua ad meridiẽ optima prouincia sub Rege Hispaniarũ ad Borream Bacchalaos & Florida & Gallia noua deserta ferme sub Rege Gallorum. Quintã partem cõstitueret Ptolemæus Peru uocatam amplissimam sanè, longitudo huius initium ducit à parte C C L X X X V. & finis extẽditur ad C C C X L I X. tota partium L X I I I I. latitudo ut dixi à V I I. parte citra Aequinoctij circulum extenditur ultra ipsum partibus circiter L V I. aut L V I I. ad fretũ usq; Magallianũ, ubi prorsus à terra quæ sub Antarctico posita est diuiditur. latitudo igitur partes continet circiter L X I I I. At rursus sextam partẽ cõstitueret, quæ ad Antarcticũ circumcirca posita est, non plane etiã nunc notam: planè notant prouinciã Auriferam quã Beach appellãt, quæ propè circulum Capricorni peruenit. Igitur tantundem quod ad numerum partiũ attinet innotuit beneficio Hispanorum quantum antea cognitũ fuit Ptolemæo, quãtitas aũt fermè etiam par nisi quod ex tribus illis partibus etiam quæ Ptolemæi tempore innotuerant portiones quædã remanserunt incognitæ, quæ nunc innotuerunt. Ex Europa quidem quicquid ad Boream positũ est ultra L X I I I. partes distantiæ ab Aequinoctij circulo scilicet ultra Danos, Getas, & Sarmatas, sunt aũt Suetia & Tilemanchia & Helsingia, Finlandia, Inlandia, Bothmia, utraq; Nidrosia, Lapponia, Tornia, Trondanes, Finmarchia, Scrifinia, Biarmia, latuerũt Ptolemæum eo tempore, eo quod procul esset à Boreali regione cum habitaret in Aegypto. Ex Asia aũt ultra C L X X X. partes quod lõgius abesset cum Alexãdria solum à Fortunatis distet partibus L X. ideo distabat à Metropoli quæ est iuxta Catigarã in India ultra Gangem. Ex Africa aũt ignorauit quicquid fuit ultra Lunæ mõtes estq; X V I I. partiũ, cuius finis est Caput bonæ speciei. Sed neq; hoc præter rationem, nam terra ob uastas solitudines & mare arenosum nullus patebat aditus per mare nõdum inuenta pyxide prorsus impoßibile: quandoquidem Lusitani per multos annos nõ potuerunt promontorium Aromata superare. Primusq; Gilianus ex ea gente hanc laudem tulit, ut referi Ioan. Barros (Dec. 1. hist. lib. 1.) Partes ergo hæ additæ incognitis Ptolemæo detractæ à partibus cognitis efficiunt, ut pars cognita post Ptolemæũ se fere sexquitertia, si nõ maior parte ab illo cognita. Diuisio aũt nostra propriè est in septem partes, nã Asia à Scythia ob magnitudinẽ & situ seperamus, ut fit quicquid à L X. parte uel circa ab æquinoctij circulo distat per totum ambitum, reliquæ ut à Ptolemæo. Illud sanè mirũ est tamen non inueniri in hac tota terra, quæ à Ptolemæo citra inuenta est duodecim urbes. Magnam unã esse referũt in noua Hispania, quã uocãt Themistitan, aliam in Peru prouincia, nomine Chuse. Sed iam uideamus quid uelit Hippocrates per illa uerba.

Quare de maximis.] Has magnas differẽtias sumit à corporũ forma, à ualetudine, à moribus, à pecoribus, plãtis & aquis. Sed hæ rationẽ obtinẽt & differẽtiæ et causarũ locorũ. Et causas sumit à tribus, à loco, situ generali & proprio. dicemus aũt de his omnib. opportune in sequẽtibus.

LECTIO

LECTIO LXVII. SVPER II. ET III. TEX.

AC dico quidem plurimum differre Asiam ab Europa secundum naturas omnium ex terra nascentium, itemq; hominum, longe enim pulchriora & maiora omnia nascuntur in Asia. Estq; regio ipsa, hac nostra multo mansuetior, sunt etiam hominum gentes benigniores & cultiores.

Non satis opportunè hic Alemanus Europam laudat, cum Hippocratis mens sit, in quibusdam Africam præferre, sed maximè eam partem quæ ad Aegyptum pertinet Europæ, atq; hoc in magnitudine corporũ eorum quæ è terra nascuntur, & etiam hominum tum mansuetudine morum. & sunt, dicit, benigniores & cultiores. De differentia cultus & benignitatis haud obscurum est. Sed de differentia benignitatis & mansuetudinis dico, quod benignitas consistit in actione, mansuetudo in passione. fuit autẽ Hippocrates Asianus, sed medius quasi inter Europæum & Asianum, intelligẽdo ergo sub Asia etiam Africam, fuit medius inter has duas regiones. Præponit Asiam Europæ beneficio naturæ & probitatis, Europam roboris. Appellata est Asia, si quid facit ad rem, à filia Oceani & Tethyos, ut quidam uolunt: Vt ergo cognoscamus regionem præstantem, debemus inspicere præter loci situm, hæc tria, homines, animalia magna & plantas. In hominibus, ut sint proceræ staturæ, pulchræ formæ, boni coloris, robusti, si multi senes ac longa senecta & integri, si partus incolumes ac non monstrosi: mores autem boni, tum instituta ac reliqua ad societatem comparata, in animalibus ut sint pinguia, magna, cum uisceribus sanis. In satis ut abundent, & magna & boni saporis, & diu durent, & odoratæ herbæ plures, & ualidè boni odoris, & fructus magni, suaues & qui minimè corrumpantur, absint herbæ mali odoris, & quæ ferunt lac & uenenosi. Et similiter reptilia: ista enim significant semper facilem corruptionem. Ita numero non solum, sed specie maiora nascuntur animalia, & plantæ seu arbores seu herbæ in regione bona, ue lut maximè in India, quam in intemperata, nimis æstuosa aut frigida.

Demonstratio huius affertur ab ipso in sequenti Textu, cum dixit:

TEX. III.

CAusa uerò horum est temporum anni temperatura. Si quidem in medio solis exortu sita est ad auroram, à frigiditate omni remota: Incrementum autem & benignitas inde omnium maximè proficiscitur, cum nihil sit præcellens, & cogens uiolenter, sed per omnia æqualitas uigeat. quanquam non habeant ubique per omnem Asiam, omnia secundum eundem modum.

Oportet ad intellectum eorum quæ dicuntur ab Hippocrate, hanc illius rationem interpretari hoc modo. In Asia, cum sit magis ad orientem posita (eo enim distinguitur ab alijs partibus, ut uisum est supra) & sub æquinoctij circulo quadam parte; mirorem recipiunt uarietatem quam in Europa, imò absolutè fermè sunt temperatæ, scilicet quæ mediæ sunt naturæ in calore & frigore, & uariantur nisi per ortum solis, aut non ut ille intelligit quæ sub æquinoctij circulo sunt, comprehendit autem Aegyptum & Libyam, nos autem utrãq; etiam Indiam, igitur cum calor & humidũ nunquã desint neq; abundent Asiani, sunt temperatiores: & eorum regiones meliores Europæis.

Quanquam non habeant. *] Intendit modo reliquũ rationis hoc modo, sed partes Asiæ sunt propiores his temperatis quàm Europæ, & ideo tota Asia generaliter est temperatior & melior tota Europa, licet non tota Asia sit eodem modo temperata. Sed quomodo Asia cũ sit soli proxima est temperata, aduertit hoc Hippocrates quod Asia à parte occidentis habet mare, & ideo non incalescit ab ea parte, nisi calore temperato, quia calor magnus prouenit à caliditate terræ. Præterea sol exoriens eas terras repurgat aura orientali quam secũ adducit, ideo Asia ipsa est temperata. Propter propinquitatẽ igitur solis non potest esse frigida, & propter mare ab occidente nõ potest esse calida, ergo in uniuersum erit temperata. Pars enim quæ debet incalescere multum, oporteret ut esset occidentalis, quoniam dum sol oritur, et ad multũ diei accedit ad eam, orientalis aũt nõ incalescit, dũ est in oriente quia non refrangantur radij ab ea, sed fugiunt & dilabũtur, occidentalis aũt nõ incalescit ob mare, & ideo pars orientalis est magis tẽperata. Et hæc est causa quod Africa sit calidior Asia & Libya, Aegypto Asia. n. & Aegyptus habent mare ab occidẽte, Libya et Africa ab oriente cõparando totũ toti, & partẽ parti.*

Quonam

Quonam pacto autem hi homines bonis moribus sint præditi 5. mansueti, benigni ac culti, supposita bona temperatura ob regionis situm docebat Galenus eo in libro (cap. 2.) qui inscribitur: Quod animi mores corporis sequantur temperamentum, quod qui sunt temperamenti alicuius habent mores pro natura eius: & probat hoc à pueris animosi, timidi, incontinentes, impudentes, uerecundi, & quod spectat ad medicũ hæc scire, quoniam est morbus hominũ mores mali, sunt etiã quia corrumpunt temperamẽtum, tum per se ut ira & timor & tristitia, tũ per accidens ut incontinentia. Sed mutato temperamento mutantur & mores, mutatur autem temperamentum cibis & potibus, ut in lib. de Assuetudinibus (cap. 1.) docuisse affirmat: igitur hoc ostendere ad medicum spectat tanquam pertinens ad finem. Et ita habes causam quare Hippocr. hoc doceat. Adijcit autem unum admirabile, scilicet quod pueri differant substantijs animarum, quod omnino falsum est in uia Philosophorum. Deinde ponit tres animas concupiscibilem generalem in cerebro, irascibilem in corde, concupiscibilem uoluptatum in iecore. Quæ autem in cerebro est, est concupiscibilis bonorum uerorum, & uocatur rationalis: sicut tertia non uerorum. (cap. 3.) Aliud argumentum quod satis efficax est (mirum tamen quod ad id asseruandum quædam recipit falsa, plura dubia, omnia sane non necessaria) quia qualitates ipsæ uel sunt anima, uel animæ instrumentum quatenus corpus cõstat ex eis utrouis modo, & ab humoribus, & à medicamentis uidemus animam à corpore disiungi, alios furore, alios melancholicos fieri, alia lætum reddere, uelut à κωνείῳ, seu cicuta, stulti à uino læti: si ergo temperamentum in totam animam potest, ut eam disiungat, si in præcipuam sui partem ut amentes lætos tristes faciat, igitur temperamentum erit causa morum & operationum animæ. Idem quod in actiuis antea in passiuis post declarat, (cap. 4.) adijciens unum quod siccitas est causa sapientiæ, sicut humidum ignorantiæ. Vt nullum mortale corpus possit omnino esse prudentissimum, quia nullum tale est exquisitè siccum: astra autem sunt prudentissima quia siccissima. Hæc iuxta Platonẽ, iuxta Stoicos, in his mortalibus prudentiam temperamento qualitatum constare, iuxta uero Chrysippum ex illarum concinnitate, id est debita mensura, quam Princeps ad Iustitiam uocat. Inde ponit quartam opinionem Heracliti, quod à splẽdore sicco. (cap. 5.) Addit etiam ibi tertiam rationem, senes & delyri priuantur proprijs facultatibus, & memoriæ & prudentiæ, et transeunt in contrarios prorsus affectus: igitur temperamentum corporis est causa operationum animæ atque morum. Id uerò ostendit exemplo pestis, & maxime Thucydidis, sicut etiam in morbis oculorum uitiari operationem animæ & instrumentum, & secundum Galenum facultatem & substantiam, quod tamen minime uerum est. Inde adducit quartam rationem à Platonis, Aristotelis, & Hippocratis authoritate. (cap. 6. 7. 8.) Et de Aristotele quidẽ ponit, quod causa prudentiæ est tenuitas & puritas ipsius humoris: unde animalia quæ sanguinem habent fibris refertum solida sunt, uelut taurorum, nam in quibus calor magnus inest illa sunt animosa: damarum autem & ceruorum, quia sanguis fibris caret, mores sunt timidi & non ingenioſi: exanguium autẽ plura ut apum solertia sunt, quia humor tenuis & purus. Propterea exanguia ob timorem, alia quidem à motu desinunt: alia etiam fœces omittunt: alia colorem mutant, ut chameleon. Adducit etiam quintam rationem: quoniam Aristoteles docet cognoscere mores hominum ex Physiognomia. (cap. 8. 9. 10.) Primo de Historia animalium. hæc autem corporis forma pendet ex qualitatibus, igitur etiam mores & natura hominum ex qualitatibus primis deriuantur. Inde cum adducit Hippocratis authoritatem, eas ex præsenti libro adducit. Sed & aliam selectam ex secundo tum sexto Epidemiorum, nam utrobique scribitur. Quorum uenæ in cubito pulsat hi furiosi sunt iræq; præcipitis: Quorum autem immota typhælcis, id est succenso stupori opportuni. ut constet ob calorẽ aut frigus tales euadere. Sexta subijcitur sumpta primum ab Hippocrate ibidem, & ex eo libro, (cap. 9.) inde uberius in sequentibus explicatum: scilicet quod animi mores mutantur ex calore, frigore, uentis, aquis & cibis. Pollicenturq; ex ratione uitæ mutaturum mores & uires animi, non solum ex temperantia in quantitate, sed ex natura in qualitate. (cap. 10.) Quæ uerò sequuntur ex Platone prodita sunt: quod uinum efficiat audaces, inconstantes, quãdoquidem idem efficiat furiosos. Concludit demum tum ex ipsa generatione quæ originem à temperamento, tum ex ipsis quæ ei succedunt, tamen institutione homines fieri bonos aut malos: adeò ut apud Scythas unus fuerit, scilicet Anacharsis, Athenis autem plures: contrà Athenis stulti pauci, apud Abderitas autem multi.

Supersunt tria hic, primum ut ostendamus Gæ-

ienã

leni rationes uanas esse prorsus, quibus conuellere animi immortalitatem nititur: Perinde enim est ac si dicat opus lucis solis ex aere nubiloso, aut muro mutatur, & in uidendo erroris causam præbet & impeditur, igitur lux ipsa solis pendet ex aere & mortalis est: cum uel ipso iudice utrumq; falsum sit. Ego uerò demonstrabo totum oppositum uno argumento: facultates ipsæ omnes, & anima est indiuidua, etiam iuxta eos qui animam existimant esse mortalem, igitur non uitiari possunt neque minui, sed earũ tantum opus: aut omnino desinent. Non animaduertit memoriam, rationem, uim uidendi, audiendi, mouendi uoluntatem, non solum per se, sed simul esse indiuiduas, sed iunctas simul, quare non mutantur nisi ratione instrumenti. instrumentum autem mutatur à qualitatibus, & à compositione etiam magis. Sed quòd ad rationes attinet, illæ omnes nil plus concludunt de qualitatibus quam de falce: ergo falx immutat animi qualitates, multæ sunt quæ corrumpunt animi operationes, lux, sonus, timor, crapula, dolor, puluis. non uideo quid hoc ad astruendum opinionem suam. nam ira & cæteræ perturbationes animi & obliuio & dementia, & timor, & amor importunus non sunt operationes, ut credit Galenus, ut sunt uitiosæ, sed solum ut habent perfectam partem in se, anima enim uidendi, habet audiendi, cogitandi, plenam uim, communicat corpori, & ut est uitium & instrumento, ita etiam operatio redditur uitiosa. Sed error suus manifestus est. quod putat primum eam uim esse in corpore, & non ab anima in illud communicari. Secundus est quoniam etiam quod facultas prodiret à corpore, nõ tamen prodiret uitiosa à corporeis qualitatibus. Sed anima ipsa est perfecta: opera autem persæpe impedita. Dico ergo quod pueri non habent, operationes perfectas, quia instrumenta nondum didicere obedire animæ. Et quod qualitates possunt corrumpere operationes, ut dixi, animæ ratione instrumenti. De Authoritatibus sapientum nil tale uel somniarunt. Verum uolunt cum hanc manare ab anima in corpus ut de tonsore & opere nouaculæ.

Ad Physiognomiam, indicium est instrumenti perfecti aut imperfecti, adeò ut tota uis operationis sit in anima, executio indiget instrumento. Vltimum uerũ est quod Hippocrates intendit in hoc libro. Pro cuius intellectu dico quòd operationes animæ aliæ sunt corporeæ, ut uidere & currere, qua totæ pendent à corpore, quoniam cuiusq; animæ est integra, ideo quia defectus proueniunt à corpore, existimarunt quod etiam origo operationum, quanquam etiam tales usu plurimum perficiantur. Aliæ fiunt ex præcedentibus operationibus, ut scire & cogitare ac cauere, istæ ab institutione præter instrumentum pendent. Aliæ fiunt à uoluntate quæ ex intellectis deliberat: & ideò operatur iuxta intellecta & institutionem: nec pendet à corpore: nisi quatenus præcedẽtes operationes ab illo pendent. Institutio autem in his plurimum potest, hac institutio pendet ex tribus, legibus, consuetudine propria, & præceptis Philosophiæ. At uerò cum homo dominetur sibi ipsi, ut dixi, per uoluntatem, causa legum et Philosophiæ præceptis sibi imperat. Sed quoniam populorum maxima pars Philosophiæ est expers, naturalem habitum & cõsuetudinem & leges sequitur. Hippocrates igitur cum uideat motum aeris, & constitutionem mutare animorum operationes, scilicet ut dixi cprrumpendo, & nosceret imperitiam uulgi & quod de consuetudine sequuntur. naturam imo augent illam, pronunciauit liberè de moribus gentium per dispositiones locorum, & uictus rationem ac reliqua, & quanquam à legibus hæc possent impediri, rarò tamen impediuntur, quoniam clam etiam multa perpetiantur: de quibus non laborat ipse. In uniuersum ergo dico, quod ex his absq; tanta machina quam struit Galenus, qui ex passere uoluit facere elephantem, multa falsa, plura dubia, pene omnia impertinentia addens, ut ex tenui dogmate atq; unico totum librum conderet. concluditur ab Hippocrate diuersarum gentium, diuersa esse ac propria ingenia atq; mores.

LECTIO LXVIII. SVPER TEX. IIII. V. ET VI.

QVęcunque enim in ea regio in medio sita est, calidi & frigidi, ea omnium fertilissima existit, & arboribus infertissima, & maxime serena, aquisq; maxime utitur & cœlestibus & ex terra promanantibus. Neque etiam à calore combusta est ualde, neque à squallore et aquarum inopia exsiccatur, neq; à frigore oblæditur. Verum austris perflatur, & irrigua est tum propter imbres multos, tum propter niues.

Nullam præscribit regionem, sed qualiscunque dicit quæ ad orientem posita sit, uelut Africæ pars Aegyptus & ei cõtermina Arabia felix, modo sit

in calore ac frigore media. hæc omnia habebit ut aer clarus sit, hoc est quod dixit εὐδιεσάτας, a= quis etiam cœlestibus utatur tum ex terra proma nantibus scilicet optimis: & ut fertilissima atque arboribus densa, quæ quatuor conditiones terræ sunt optimæ & fælicissimæ.

Neque enim à calore combusta est.] Scilicet quod nullam qualitatem à qua læ datur excellentem habeat, non calorem à quo ura tur: non aquarum penuriam qua sterilescat, non frigus à quo geletur. Indicans has esse tres par= tes regionũ, quibus etiam alijs afficiuntur malis.

Verum & austris perflatur.] Hic duo mirabilia docet, scilicet austros & niues lau= dans. Hic cum non animaduertat Hippocratem loqui perpetuo de Africa multa, adijcit Alemanus de regione Hippocratis & Galeni, quæ nullo mo= do ad Africam pertinent. Quædam tamen ad pro positum sunt, ut illud de Tarape Vrbe Africa, iu= xta Plinium (Libro 18. cap. 22.) ubi ob aqua rum irriguarum abundantiam cœliq; temperiem & soli fertilitatem sub grandi palma oleam sub olea, ficum sub ficu, punicam sub punica, uitẽ fru= ctum edere in umbra singulis annis docuit, sed & sub uite dicit frumentum prouenit, post quod eo= dem anno legumen, quo collecto olus etiam seri= tur & decerpitur, tanta est soli fœcunditas, iuxta Leptim, hæc urbs est tanto miraculo digna, hocq; bene animaduertit Alemanus. Cæterum ubi sit quomodo nunc uocetur, non docuit. Est ergo iu= xta Tritonem fluuium qui quasi per lacus effu= sus in mare se prouoluit, Libyæ prouincia est urbs maritima, cum portu hodie Cape uocata, prope Neapolim seu Leptim magnam, seu paruæ propi or inter utranque. Estq; Tuneto orientalior (Se= cunda Africæ Tabula.) Capen uocat Ioannes Leo in Quinta parte Africæ historiæ: uerum ego reor non Capem esse Tacapam Plinij, sed Tacapam nunc dirutam fluménque tantum esse Capę orien= talius. Verum relictis quæ haberi non possunt, di= co in Africa esse regiones maximè amœnas, ut re= citat Ioannes Leo, præcipuè Heam seu Maritani= am Tingitanam, sub qua Temesma prouincia & regnũ Fessæ olim Volubilis appellatæ. Sed & Tu neti regnum & ora illa tota maritima, quæ Bore= am spectat, etiam Numidiæ, nam Tunetum in Nu= midia est & Aegyptus tota, quid enim iucundius aut amœnius. Et ut breuiter referam, quæ mens fuit Hippocratis, Africa innumeris abundat mon= tibus è quibus præcipuus est Atlas, qui radicibus suis seu ramis (est enim instar arboris) maiorem Africæ occupat partem, & ubiq; montes hi sunt, aut regio cum fluminibus respicit Boream mare q; mediterraneum, aut pluuijs irrigatur. tota est qua lis hic prædicatur ab Hippocrate, nam & niuibus abundat, ob montes & irrigua, etiam ob id & tẽ= perata & fertilissima & amœnissima est. Velut in ter reliquas urbes Tagodast, Tesegdilt, Marochus, Azaamur, Elmadina, Elgimuha, Esra, Tedde, Ei= thiad, Fessa, & præterea Secsiua & Denimagher montes. de Aegypto (Libro 1. cap. 9.) Pomponi= us Mela inquit, Aegyptus mirè fertilis. sed et Soli= nus unius ficus Aegyptiæ exemplo illius declarat, fœcunditatem dicens, (Cap. 45.) in anno septies fructum ferræ. Vt uerò specialiter de hoc agam, miras laudes Plinij testimonio discite, (Libro 7. cap. 9.) etiam primum de hominibus, septenos in Aegypto gigni Trogus author est. Et de hoc non pauca est dubitatio, utrum plures quam tres filij uno partu editi possint uiuere? Quæstio autem est duplex, an omnes scilicet? an aliqui? addamus & tertiam an in Aegypto? Vlpianus aliàs Iulianus le= ge, si pater meus. Digestis De Solutionibus (Titul. 3. lib. 46.) & liberationibus, hæc habẽt. Aut sex= tam quia quinque, nam & Aristotelem scripsisse quinq; nasci posse (Titulo De Hist. Aanimal. cap. 4.) quia uuluæ mulierum totidem receptacula ha bere possint: & esse mulierem Romæ Alexandri= nam ab Aegypto, quæ quinq; simul pepererit, & tum habuerit incolumes, et hoc in Aegypto affir= matum est mihi. At deceptum in hoc Iurisconsul= tum multifariam dubium non est. Quæ enim enim adducuntur à Gellio (Libro Atticarum noctium cap 2.) in hanc partem de muliere tempore Au= gusti in contrarium faciunt, cum illa cum filijs o= mnibus obierit. Quæ etiã scribit Cælius Rhodigi= nus (Libro 4. cap. 23. Lec. An.) etiam ex Alberto qui modo uigimi, modo septuaginta, sed etiam cẽ= tum quinquaginta ait natas uno partu, nihil ad rem, cum etiam obierint omnes. Nec quod Aristo= teli tribuunt ut uterus in quinq; diuidatur cellu= las uerum est, nec ille dicit, quin potius consenta= neum, pari si modo diuideretur esse distributas. At quanto magis Ptolemæo credẽdum erit, (Cap. 7.) qui cum Aegyptius esset, solum tres asserit posse nasci uitales, cuius etiam causam reddit in Tertio Apotelesmatum (Libro 10. cap. 54.) cum etiã id acciderit in Horatijs Romæ & cariatijs. Sabinus & nos totidem uidimus iuuenes uno partu editos (Lib. 17. cap. 18.) At de animalibus oua nasci in frinetis, idem narrat nullo fotu: quod quamuis ma gnum sit, tamen esse potest. Quod uerò ad fata at=

tines

inet dicebat idem (Lib.18.cap.18.) quod quouis menſe anni in Aegypto ſerunt, quod etiam cõmune eſt omnibus regionibus, ubi imbres æſtiui non ſunt.ut in Aethiopia & India. Conſtat enim iuxta omnium ſententiam in Aegypto æſtate non pluere. Serunt etiam ibi ſine ratione dicit. (Cap. 15.) nam Nilus uices inquit coloni agit (Libro 2.cap. 97.) At uerò nullibi clarius in uigeſimo primo libro, dum de aculeatis plantis agit. Aegyptus frugum quidem fertiliſſima, ſed ut ſola his carere poſſit, tanta eſt ciborum ex herbis abundantia nobiliſſima (Libro quarto, capite decimo.) è quibus eſt colocaſia caule, cũ certus eſt areneoſo thyrſo, qui inter folia emicat, ſpectabili folijs latiſſimis etiam ſi ad arboreis comparentur, ex Nilo eam metunt. Theophraſtus & Dioſcorides deſcribunt digiti craſsitudine, calamo molli, rimas intus habente, non geniculato lilij inſtar, flos duplo maior quam papaueris, roſei coloris, qui ubi defloruerit caput, apparet fauo ueſperum orbiculato ſimile, in cuius ſingulis cellulis ſingulæ fabæ continentur, paululum ſupereminentes circiter triginta numero. radix craſsiſsima arundine plenior, ſpinoſa, rimas ut caulis habens. folium magnitudine non ab ſimile nymphææ, & ipſum ſupernatat aquis, uſus tamen eſt radicis, & crudæ, & elixatæ & aſſatæ. Amatus exiſtimat eſſe Batatam ſeu Iuhæmæ Indorum, quod aut uerum eſt aut ſimile, nam de fructu Iuhæmæ nil compertum habeo. In tam claris rebus inſignes hi ſcriptores nil certi reddunt, hic tamen melius cum antiquis. ſed & poſt colocaſiam ſecunda laus cichorio in Aegypto, tertia Authalio, quarta araciduæ. Illud ſanè mirum cum dicat Italis, non eſſe niſi fraga, ruſcum, batin marinam & hortenſem, tanum, paſtinacam et lupum ſalictarium: cum faba melior ſit omnibus his præterquã fragis aſſata elixa crudaue eſtur. ob id animaduerti ex Tragо (Libro 2.cap.14.) à quo poſtmodum ſumpſere Amatus Luſitanus (Libro 2.cap.99.) & Dembertus Dodoneus (Cap. 32.) fabam antiquorum eſſe potius ſimilẽ liceri arietino. ſcilicet ualde paruam et rotundam, & leuis ponderis ut oboli, quæ omnia oſtendunt ex Galeno undecimo de ſimplicibus medicamentis, ex Scribonio Largo, ex Paulo in ſeptimo dum dicunt, oniſcos contractos eſſe fabis ſimiles, ex libro de Ponderibus, ex Celſo libro Quinto (Cap. 28.) Addit Rembertus ex Ariſtotele ſexto de Hiſtoria animalium loquente de oculis Gallinaceis quos decima die à fota maiores fabis eſſe ſcribit, ut liqueat fabam Græcorum fuiſſe admodum puſillam. Atque in hoc (proh dolor) animaduerti quoſdam à quibus tot & tanta ſperabamus, adeò fuiſſe pertinaces ut ne fatereтur oſcitantiam quæ leue eſt peccatum, & homini proprium, neque mutaſſe ſententiam, nec reſpondiſſe obiectis, cum iam quindecim pene annis Tragus, Luſitanus, nouem Dembertus & ipſe ante ultimam illius edictionem euulgaue rit librum ſuum. Quid igitur modo eis credas in alijs: O miſeram mortalium ambitionem? nónne ſatius fuiſſet, ſi non poterant argumentis quæ certè ſunt nimis (meo iudicio) multa & ualida ſatis facere, leuem ignorantiam ingenui. tum maximè ob publicum fateri beneficium, quàm tot labores una falſa, uel erroris ſuſpitione fœdare? nam non uidiſſe quis dicere poßit cum uicißim expoſtulauerint. Inde laudant eos à quibus iactatur nil ſuum eſſe. Sed ad Hippocratem redeo.

Et generaliter uult Hippocrates hoc unum eſſe conſiderandum, quod ad orientem regio poſita ſit, nam ſi Borealis erit, non erit ad orientem poſita: Vbi uerò hoc adſit, facilè temperabitur: uel quia natura media ſit inter Auſtrum & Boream, uel quia ex abundantia pluuiarum, aut montium, aut fluminum, qui ab orientali parte eſſe ſolent, ob uim temperamenti primorum radiorum reddetur temperata. atque hic eſt primus ſenſus. Vel dic quod per regionem poſitam ad orientem intelligit, quæ eſt uerſus orientem, media inter torridam Zonam & Borealem, atque ſic comprehendunt omnes conditiones. Etſi dicas, tota Aſia non eſt ſub hoc ſitu, reſpondebit Hippocrates: quod neque totam Aſiam dicit eſſe temperatam: ſed quod temperata regio in eo includitur. Hic ſenſus eſt clarior, & defendi poteſt facilius, ſed primus eſt magis generalis, & artificioſior Hippocratique dignior, ac literæ magis conuenit. De Auſtris dico, quod in Africa uim habent refrigerandi, ut docet Philoſophus (Vigeſima ſecunda Problematum 51.) Igitur ut ad primum ſenſum redeam, regio calida uehementer redditur amœna, ſalubris & fertilis tribus modis, uel ubi ſunt montes, nam ibi niues & aquæ & flatus. Vel ubi fumina magna, nam illorum aquis irrigantur terræ, & urbs riuulis abundat, & piſces non deſunt, & merces aduehuntur, uel ubi mare à parte Boreæ, aut occidentis, nam pluuiæ & uenti frigidi, temperant regionem & terra ea ex parte non poteſt incalescere, & merces confluunt, & reliqua ad uitam, & locus eſt ſalubris & aer humidus.

TEX. V.

FRuctus autem suo tempore maturos, multos in ea nasci par est, siue ex sparsis seminibus hi prouenient, siue terra ipsa per se sponte producat eorum plantas, quarum fructibus utuntur homines, eas ex agrestibus cicures, & domesticas facientes, & pro commoditate sua transplantantes.

Docet nos plantas omnes olim fuisse agrestes, inde cura hominum domesticas effectas, & ubi temperata regio est oriri omnia seu sponte seu culta. Theophrastus in primo de Causis Plantarum (cap. 1.) docet omnes plantas quæ semen edunt, etiam à semine proprio posse propagari: aliter dicit natura fecisset illud semen frustra, tamen dicit eædem plantæ possunt prouenire sine semine: & dicit quæ semen non edunt illas etiam absque semine oriri nemo dubitat, adeo ut uelit plantas solum, quæ semen edunt oriri ex semine, & neq; has semper sic sed etiam sponte. oriuntur autem plantæ quinque modis, semine, sponte, radice, surculis plantatis, & insitæ, nam nux persica insita edit nucem, & ita nux illa nata dici potest, ac si in terra esset plantata. Et quæ ex radice nascuntur, bifariam nascuntur, aut euulsa seu diuisa, ut lilium, iris, colocasia, & quædam dilatata non euulsa, ut corylus & rutus ac rosa. Similiter plantæ notæ ex truncis bifariam oriuntur aut euulsæ ut salix, sambucus & uitis: eædem alio modo terræ sepulta dum adhuc priori radici hærent, & dum fuderint radices, præciduntur ab antiqua matre.

In his igitur duo spectare oportet operam & cultum: per operam enim seruntur, aut alio modo propagantur: per cultum transplantantur, præciduntur mortuæ partes solum, impinguantur, irrigantur, sarriuntur, hyeme palea circũdantur quæ imbecilles sunt. Hic solum dubium est de his quæ euulsis radicibus aut ramis insitæ propagantur: nam cum hæc sint hominis opera non naturæ, nec aliorum animalium, constat autem necesse fore, ut natura ad hominum operam respiciat, uel quod ueri similius est, ita nata esse ut non auulsa augerentur: atq; id in radicibus facile est persuadere: at in ramis quomodo transibunt in plantam absque operâ humana? ob id dicendum quod generale est per se, quod autem conueniat parti, id est, ramis est per accidens, ideoq; necesse est quod planta quæ prouenit surculis plantatis, ut oliua, uitis, salix, & quæcunque humidiores sunt etiam euulsis radicibus propagetur, sed non conuertitur. Ex his modis cum miscentur uidentur fieri alij, sed sunt ijdem. Et similiter quia latent. Velut uiscus oritur ex semine uisci, quod sturni edunt in coctum, & uidetur ea planta sponte innasci quercui, uel alij plantæ cum ex semine oriatur. Et ita plures plantæ nascuntur ex stercore auium, aliæ boum, dum herbas edendo deuorant semina, deinde non corrupta egerunt, alia mistione, uelut si cinere aceturn acre misceas, inde alia contusa, & sub diuo exponas ex imbribus nascentur plantæ quasi noui generis: imbrifera enim aqua multa noua gignit maxime plantas, metallica etiam, & lapides, et animalia exanguia, ut etiam ranas quamuis sanguineæ etiam ipsæ sint, tum pisces multos, præcipuè cyprinos. In huiusmodi ergo regionibus talia plura homini utilia generabuntur, sicut & quadrupedia. Vnde dicit.

TEX. VI.

PEcora etiam ipsa pleniora prouenire illic maxime est consentaneum, quæ & pariunt sæpius, & pulcherrimè educantur.

Non signa propriè sed effectus connumerat. Vt eiusmodi animalia quæ sunt nobiliora, & natura homini magis similia pinguiora proueniũt, & sæpius pariunt, quod uisum est in India, etiam quamuis occidentali, et felicit er educantur ob aeris, aquarum, & pabularum salubritatem, quibus omnia educantur. Verum dubitabit aliquis, an & hæc regio feris animalibus, ut pantheris, leonibus & lupis magis fauebit? De serpentibus cum sint sicci, ut declaratum est, & reptilibus cum sint frigida, erunt pauciora & innoxia magis: sed de animalibus feris cum sint quasi media, dubium relinquitur, & dico quod & hæc abundant: sed quia sunt loca culta ab hominibus, ideò ab illis destruuntur, ideo talia magis abundant in desertis, licet maiore incommodo uiuant, nam ut aliàs declarauì, homo est genus quoddam quod regnat super animalia, sicut animalia super plantas, & plantæ super elementa: sunt enim quatuor hæc genera, & intermedia etiam.

LECTIO

LECTIO LXIX. SVPER VII. ET VIII. TEX.

QVin & homines habitiores esse, ac specie pulcherrimos, & magnitudinis eximię, minimeq; differentes, quantum ad formam ac corporum proceritatem attinet, constat.

Commendat homines à quinque conditionibus corporeis, quod sint firma ualitudine, pulchri, magni, similes, & uocem habeant claram sonoramq;, similes, id est plures qui sint huiusmodi, non enim solum aliquot sed plures tales eiusmodi gignit. namq; Gabbaras temporibus Claudij fuit & ipse Arabs, non tamen cum multis, (Plin. 7. lib.) Sed quærit Aristoteles cur non in temperatis regionibus, (14. Problem. 8.) sed potius calidis aut frigidis ualde homines proceres euadant? ut non idem cum Hippocrate censere uideatur. Verum Philosophus de enormi proceritate loquitur, ut Hippocrates comparet ad modice calidam & frigidam: Aristoteles ad ualde calidam ac frigidam. inquit enim quod qui in calida regione habitant nullo frigore percelluntur. hoc solum uerum est de his qui in calidissima regione habitant. Hippocrates cum de Libya & Aegypto agat, (12. lib. 32.) de calidis per se regionibus intelligit. Diximus autem de hoc in Contradicentibus satis. De firma ualetudine dicebat Galenus in secundo de Tuenda sanitate, (cap. 7.) in intemperata regione non possunt esse homines temperati, quod & ratio & experimentum docet, nam in calida sunt aridi & sicci, in frigida exterius nimis frigidi, interius nimis calidi: & certe uidentur bilioſi & iracundi. Quæritur igitur meritò cur regio frigida generet biliosum sanguinem, tempus autem anni pituitosum? hoc enim etiam experientia docet. Causa est quia regio dum perseuerat ex longa condensatione augetur calor, non solum quantitate, ut in hyeme, prima Aphorismorum (15.) sed etiam qualitate, & ita fiunt bilioſi.

De uoce etiam diximus supra quòd ex pluribus fit: ideo est magnum signum in temperamento corporis. Exigit enim uox clara & magna primum robur musculorum mouentium pectus, & ita facultatis animalis. Secundum latitudinem pectoris & pulmonis, quæ fit à calore uitali potenti cum origine ex cerebro non deficiente. Tertio, asperæ arteriæ incolumitatem & puritatem, quæ exigit bonam coctionem: igitur uox magna & splendida est argumentum roboris omnium facultatum.

TEX. II.

CErtumq; est hanc regionem proxime accedere ad naturam ac mediocritatem anni temporum.

Hic noster Alemanus enumerat pulchra ingenia Asiatica, at non sunt illa, sed potius Africana commemoranda, licet de hoc Hippocrates nihil dicat in Textu, sed solum quod huiusmodi regio est proxima temperamento: quare dixit proxima? quoniam sciebat illam esse iusto calidiorem: propterea enumerabimus uires celebres ex ea & rationem uictus eorum. Præcipui fuere Ptolemæus, Princeps, Rasis, Geber Mahumetus, Alchindus. afferam iudicium de his si ad ingenij subtilitatem respicias nulli meliores: si ad iudiciũ, præstantißimus Ptolemæus & Rasis. De Doctrina Græcos præponam. Ptolemæus Alexandrinus ex Pheludo oppido Astrologiæ & Geographiæ Princeps, in Arithmetica, Geometria & Musica singularis. Rasis aggregator eorum quæ in medica arte scripta sunt, Arabs, Almansori Marocco Regi libros suos dedicauit, quòd esset illius medicus. Princeps filius fuit uiri Persæ, ut quod ad hoc attinet inter Asiaticos connumerari posset, oriundus ex Buccharam regione, Arabs tamen sermone & Medicus & Philosophus insignis ut perspicuũ est. asserunt & mathematicum insignem atq; magnum. Mahumetes Algebræ author Geometra & arithmeticus insignis: Geber Astrologus admirabilis, Ptolemæi inuenta in longè faciliorem uiam redegit. Inferior omnibus Alchindus ingenij subtilitate Europæis omnibus anteferri hac in parte posset: sed non in reliquis adeò præstat.

De regionibus ergo & uictu Aforum Ioannes Leo (Par. 1. hist. Afric.) primum ita scriptum reliquit. Africa diuiditur in quinq; regiones, Africa propriè dictam Numidiam, Libyam, Aethiopiam & Aegyptum. Africa propriè Tingitana appellatur, quæ ab occidente ad fretum Herculeum terminatur, à meridie Atlante monte, post quem est Libya, à septentrione Mediterraneo, ab oriente ultima parte Atlantis, quam uocant Meies. Hæc nobilißima est urbibus, agri fœcunditate, hominũ copia, hiq; solũ candidi sunt ex Africanis moribusq; præstantes, & diuitijs abundat salubriorq; est, in qua Fessæ regnũ. Post ad meridiẽ & usq; ad mare Getulia et Libyam, quarum maxima sunt deserta. Ad orientem Tingitanæ est Numidia, quæ incipit à Mauritania Cæsariensi quæ sub Tingitana comprehenditur, & ab Ampsaca fluuio à septentrione mare idem habet quòd Tingitana: sed eo solum

calidior & aridior & incultior, quod ibi terra se ad meridiem contrahit, mare illam inuadit, ut à latere uides. ab occidente igitur ex ipsa Tingitana cingitur, à meridie Libya: ab oriente Libya culta, ubi Elocat urbs est. Libya ergo à septentrione coextinsam habet Tingitanam Africam & Mauritaniam Cæsariensem, & quam uocant Africam minorem & Numidiam & Libyam cultam, ab occidente mare Oceanum et fretum Herculeum. à meridie ad æquinoctij circulum extenditur, & deserta multa habet & magna. Post has sunt Aegyptus & Aethiopia, Aegyptus ad Boream & mare Mediterraneum respicit, Aethiopia ad meridiem: utraq; maxime orientalis à Libycis montibus initiũ ducens: qui ab occidente paulo plus LX. partibus distantes tendunt quasi recta à meridie in septentrionem. atq; similiter Nilus quasi ei æquidistans eodem modo fertur per has duas regiones. Aethiopia igitur sub Aegypto incipit à circulo æstiuo, & sub Libya ab æquinoctij circulo, & à meridie atq; occidente mari Oceano terminatur: ab oriente mari quod ubi Larius est, uocatur sinus Barbaricus, ubi in angustum tendit dicitur Mare Rubrum. ubi angustissimum sinus Arabicus: ita Ptolemæus digessit hanc partem Oceani: sed nostra ætate Maris rubri nomine intelligimus, quicquid ex hoc sinu in angustum tendit: sed lis est de nomine tantum: à septentrione, ut dixi, Libya deserta aut Aegyptus. Accidit ergo & Libyæ & Aethiopiæ, ut formam quandam mallei referant hoc modo: Aegyptus ergo terminatur ab oriente sinu illo triplici & angustijs quibus Arabiæ Petreæ iungitur, in quibus est Sirbonia Palus, et ut illi Arabia Petrea è regione est, ita sinui illo Fælix uocata coextenditur ab oriente: ab occidente, ut dixi, Libyci montes à septentrione mare Mediterraneum. à meridiæ Arabes uocati Adæi post quas, ut dixi, locata est Aethiopia sub Aegypto. Arabiæ autem pars illa non admodum magna est. Hæc est diuisio fines q; partium quinq; Africæ, & olim & nunc diuisarum.



Moret autem & uictus eiusmodi est, Numidæ uilissimo uestitu utuntur, dormiunt in iunctis storeis, famis patientissimi, camelis uehũtur, quorum lac mane bibunt, nec quicquam aliud pro cibo aut potu illis est: idq; exiguum ad uncias scilicet duodecim: uesperi carne sicca in eodem lacte cocta, uel alio uescũtur: bibuntq; lac quod superfuit impuri lactis libram circiter mediam, neq; panẽ neq; uinum neq; alijs uescuntur, nec nisi lac deficiat aqua utuntur. Velant faciem totam sandalio nigro, præter oculos, Dactylis præterea abundãt. eorum uita uenatio aut latrocinium. Arabes qui incolis Africæ superuenerunt inquiliniq; nunc sunt, pauperes & ipsi uagi, perfidi, uenationibus dediti & latrocinijs. inopes omniũ: filios siculis uendunt ut tritici (quod etiam non satis est) tum alijs, ut dactylos habeant. Et ipsi lacte & modico pane dactylisq; uescuntur. Tingitana ut ditior ac magis ciuilis tum Aegyptus & Aethiopes, ubi deserta non sunt similiore uictu cum Europæis ac cultiore utuntur: non tamen illos æquare possunt. Generaliter lac & caro sicca: qui molliore uita utuntur lacte cum farina & dactylis & carne sicca uescuntur: qui adhuc meliorẽ panem edunt absq; fermento tamen, & placentarum forma: Qui uerò omnino ciuiles sunt & opibus præstant ad uictum, ut dixi, Europæorum accedunt. fructus, pisces, ebiya, assa, panem intinctusq; habent.

In Africa tempora sunt ferme, ut in Europa, sed Fauonijs & Borea florent arbores: Fructuum & seminum prouentus anticipat, præter punicæ & oliuæ quæ prægrandis supra fidem esse solet, ut scalis non tuto colligi possint. Ver quoq; anticipat: incipit in medio Februarij, finitur medio Maij, ut hoc indicium maximè sit eius quod dicit hic Hippocrates. In Atlante monte duo tantũ tempora ab Octobri ad Aprilem perpetua hyems, ab Aprili rursus ad Octobrem æstas. iuga illius perpetua

petua nive premuntur. fontes plures sunt in illo, in quibus adeò gelida est aqua, ut si quis in ea manus contineat depereant, inde nigrescant & decidant, ut in reliquis frigore corruptis.

In Numidia nisi pluat sicce scunt pleraq; flumina, & in Libya multi sunt lacus. Libyam inundat Niger fluuius, non secus atq; Aegyptum Nilus. habetq; eadem uicissitudines & incrementi ac decrementi tempora.

Afri planiciem incolentes uix sexagesimum aut sexagesimum quintum annum attingunt, sicut & Libes. qui autem montes ad centesimum peruenire solent uelut & Numidæ ob esum dactylorum assiduum: sed dentibus ob eundem usum carent, et breui uisus acie sunt ob uentos malos, qui arenam oculis immittunt. At Aethiopes nigri etiam Afris sunt breuioris uitæ quicunq; montana non incolunt. Torquentur capitis, uentriculi et intestinorũ doloribus tum etiam dentium qui in eis putrescũt. solent enim edere fercula calidissima, inde frigidissimam aquam bibere, unde dentes percellũtur. Mulieribus & pueris alopecia, & quam uocant tineam familiares sunt. exendicum etiam morbis & tussi atq; scabie conflictantur. In Numidia & Aethiopia Indicam luem pauci patiuntur. curantur enim aut seruantur ab aere & dactylorum esu: alijs in regionibus Africæ præterquã in montibus ferme ad unum omnes laborant. cum iam ad scabiem & cutis ulcera & fœdam luem & contagium & tussim natura pronus sit aer. Comitialis in Africa mulieribus & pueris familiaris, uiris minimè, ut neq; hernia quæ tamen in Aegypto est frequens.

Creditur hoc contingere quod Aegyptij caseo salso & gummis uescantur. In Africa & Aegypto sæpe pestis aduenit: in Numidia rarò, in Aethiopia & Libya deserta nunquam. lingua Africana communis est omnibus partibus, censetq; culta, & est antiqua, in qua non solum multi libri pulchri sunt Afrorum, sed ex Latina lingua in eam conuersi habentur, qui apud nos non sunt. at uerò ea est qua Arabicam uulgus uocat, uulgaris est & alienigena incomptaq;: ut nomen sit immutatum, tum per Arabicam priorem intelligant uere quæ Africana, ut dixi, esset appellanda non Arabica, nam in Arabica libri scripti non sunt.

LECTIO LXX. SVPER IX. X. ET XI. TEX.

VErùm uirilitatem, ærumnarum ac laboris tollerantiam, ac audaciam, non uerisimile est huic naturæ innasci.

Qualitates animi tripliciter uariantur, iudicio, natura & corporis habitu. Iudicio quidem quoniam bonum appetimus, malum timemus, si nondum adsint: ubi adsint tristamur aut lætamur. Quare hi affectus maximè nobis dominantur & nos mouẽt. Et memoria quidem illorum trifariam nos afficit iuxta tres modos quibus memoramus: aut ut prorsus desiere, atq; commutant nos in contrarium malorum, lætamur iuxta illud:

Forsan & hæc olim meminisse iuuabit
Per uarios casus, per tot discrimina rerum.

Et reliqua: ita bona nos præterita quæ euanuere nos contristant. cumq; plus contristent mala, quam bonis lætemur ob id amißio filiorũ & opum semper misera est, etiam si aliquando antea dum his carebas non esses miser. si autem maneat aliquid bonorum, ut par est, læta memoria est, malorum tristis. namq; quòd doleat quis amissa bonorũ parte ob id contingit, ut dixi, quòd in amißione maior est dolor quam in aquisitione lætitia. Et in malo maior tristitia quàm in bono gaudium. Et ideò in recuperatione maior uoluptas quàm in aquisitione: propterea quòd malo maiore ex hac caremus. Si uerò nihil maneat bonorum quidẽ memoria bona est, malorũ mala, cum natura talia sunt, ut non mansura sint. Natura uerò affectiones mutantur, ut in iracundis & mollibus, illi enim facile excandescunt, hi dolent ac conqueruntur. Corporis habitu non consueti, & imbecilles aliter afficiuntur quã robusti & assueti. Perturbantur ergo cum horum aliquod fuerit uitiatum, uelut cũ quis uel ab alio deceptus, uel ignorantia uel cupiditate uel cõsuetudine bona esse putat, quæ mala sunt, aut mala quæ bona. Sic natura timidi grauiora pericula faciunt quàm sint: atq; ita auari aut iracundi ad actiones hominũ se habent. Cur igitur Afri cani cum sint temperati, sint timidi & laborũ impatientes, & in aduersis non adeò constantes (animaduertendum quod non loquitur de institutione hic, sed natura ipsa, quoniam id non esset uerũ semper, & esset extra artẽ) dico quod exclusa prima causa, relinquuntur duæ quæ sunt sanguinis natura & corporis, cum Europæi sini firmiores corpore eo quòd à mutationibus magnis caloris & frigoris magis percelluntur, & sint iusto fortiores ob caliditatem, ideò illi superantur non in uirtute sed in uitio. hoc autem uitium in Europæis ad uirtutem traducitur ob utilitatem Reipub.

Ideo Europæi liberi manent, Asiani seruiunt regibus, ut 7. Polit. (cap. 7.) docet Philosophus.

TEX. X.

SVnt neq; eiusdem, neque diuersi generis constantes, ac perpetui sunt amatores. Vincit enim in ipsis uoluptas, quæ ratio est multiformes generari partus, præcipue in feris.

Declarat non solũ indigenas sed etiam alienigenas ibi effæminari. & de indigenis satis compertum habeo, De alienigenis tres sunt causæ, exemplum, auxilium & initium. Initium quoniam cum ob uoluptatẽ effæminãtur corpora, & ipsis alienigenis promptæ sint uoluptatũ occasiones, eodẽ modo erunt in alienigenis & efficatiores, quia nouã magis mouent, & incognita uidẽtur esse maiora. De exemplo nõ est dubium. De auxilio clarum est, quoniam alienigenæ multis sunt destituti præsidijs, utpote affinib. & cæteris coniunctis atq; amicis, & consuetudine cũ magistratib. peritia locorũ, legũ municipaliũ atq; huiusmodi. Dicit quod uoluptate uincũtur, sanè uoluptas uirtutem pellit: fuerunt tamen homines uoluptatibus dediti, & in bello acerrimi: uelut M. Antonius Triumuir. quid Fortius Cæsare? & quid eo profligatius in omni luxuriæ & libidinis genere? similiter & Maumethes Ottomanus. Deinde quid intemperantiæ cum timore? Respondeo quod aliud est de uno homine, aliud de pluribus seu populo & gente. Fieri minimè potest ut una gens sit luxui dedita & fortis: quoniã populi sunt ignaui, & non pugnant ob uirtutem, sed ob educationem & necessitatẽ, quorum utrunq; tollit copia rerum. hæc aũt adest ubi uoluptas. neq; enim uoluptates expleri possunt absq; rerum abundantia. Ipsa etiam uoluptas dupliciter per se obest, et memoria sui reuocando ab officijs militaribus, & eneruando corpus. Et ideò dicebat recte Plutarchus, quòd uita Lacedæmoniorũ erat adeò dura in castris, ut diem pugnæ semper optarent, mortem uitæ præferentes. Cum ergo in temperatis regionibus adsit abundantia, deerunt omnes causæ pugnandi, scilicet necessitas & consuetudo, & ex uoluptate corpora effæminata, et memoria iucunditatis. Et ideò fieri non potest, ut in his regionibus sint uiri fortes, & in aduersis patientes. Ideò Plinius dixit, Italiam luxuria Asiatica esse corruptam. Eadem de Aegypto dicenda sunt: fuit enim Aegyptus diues semper opum: quia in ipsam ex tota Asia & Africa merces conuehuntur, gemmæ, metalla, aromata, sericum, fruges, & fructus, tum opera omnis generis, picturæ, texturæ, cælata, sculpta, aliaq; eiusmodi tum medicamenta, animalia rara: Sed de his in libris de Arcanis æternitatis, tum alibi sæpe dictum est. De uno autem homine aliud est, quidam enim sunt fortes expectatione boni, ut Christiani, Turcæ, Iudæi, alij fuga mali ut Gentiles: uelut de Cassio & M. Antonio Triumuiro: qui seipsos ob desperationem morti deuouerũt. Et est insigne exemplum de Sardanapalo, olim de Ottone multo post, qui cum essent effæminati in uita, in morte fuere fortes. talis etiam fuit C. Cæsar, Mahumetes, ut dixi, & alij innumeri. Ideo distinguitur fortitudo, tertio Ethicorum, (cap. 7.) in eam quæ est ad mortem, ad dolores corporis, ad animi cruciatum, & ad labores. Et circa illam peccant trifariam, uel timendo quæ non debent timeri, aut nimis quam oporteat timeri, aut quando non oportet timeri. Ideo dicit, quòd quandoq; timemus magis reliqua tria quam mortem: sed causam, nec quomodo, non docet. Qui ergo sunt duri corpore natura, & molles animo, præferunt cruciatus, qui duri corpore consuetudine, sed fiunt molles animo labores: qui fortes animo & puri molles corpore mortem potius quàm corporis cruciatus: qui fortes animo sed morbosi, ob uitia mortem facilius perferunt animi cruciatibus. Asiani ergo sunt etiam molliores corpore quam animo. Sed addit multiformes fieri partus præcipuè in feris. alluſit ad illud, semper aliquid noui affert Africa, cum sermo de illa sit: miscentur enim ob libidinem multarum specierum animalia in concubitu ob libidinis incendium, quanto magis in hominibus. Et ita clarissima est littera. Addit unum Alemanus quod licet sit extra propositum, hic est tamen per se pulchrum: scilicet quod si fæmina pauonis linteo candido integatur, dum cum masculus init generari pauones albos. Et pauones albos uidi aliquando, an uerò sic geniti essent ignoro.

TEX. XI.

ATque sic quidem de Aegyptijs ac Libycis mihi habere uidetur.

Insignem prouinciam fuisse, & esse Aegyptum haud dubium est, fæcunditate soli primum, de qua dictum est supra, Cœli clementia, ut diu etiam uiuant Aegyptij, sintq; saluberrimi ob uer, quod ferme est ibi perpetuum, teste Herodoto (lib. 2.) nec unquam ibi pluat. Est & præcipuum quod ab Aristotele scribitur uigesimasexta Problematum, (46.) Cur Auster oris terræ Aegypti nõ afflat: nec interius

interius itinere unius diei & noctis. ſuper Memphim uero uel per iter diei ac noctis ingenuus ſpirat. nec uerò occaſum uerſus, itinere duorum dierum, ſed & montes Libyci illuſtres, & Nilus fluuius: tum urbes immenſæ, Thebæ olim & Babylon, Alexandria & Memphis, quæ Damiata dicitur etiam nunc: & Chairum ampliſſima noſtris temporibus iuxta Sebeniticum Nili ramum ualde mediterranea ciuitas: quam Alemanus neſcio qua ratione uocat Alcio: ſeptem paludibus, ſeptem pyramidibus, ſeptem Nili oſtijs portus eximius: Mari Rubro ab oriente cincta: antiquitate nobilis. Mari Mediterraneo Europam reſpicit ab oriente poſt mare Aſiam, & opimas habet regiones Arabiam felicem & Iudæam: à meridie & occidente Africam, unde ditiſſima prouinciarum ſemper fuit. nec tantum tyrannide Principum & Romanorum auaritia exhauriri potuit, quantum repoſitum eſt fertilitate propria, ſitus commoditate, atq; incolarum induſtria. Incolæ aliqui albi aliqui nigri, plures fuſci. Dubitat Alemanus quomodo cum Aegyptij & Libes ſint Afri ab Hippocrate ſub Aſia collocentur? Et multa dicit, ſed res ipſa difficultatem non habet: nam conſtat eas regiones pertinere ad Africam diuidendo habitabilem terram in tres partes, in duas autem, ut facit Hippocrates, qui Europæ quicquid eſt frigidum, ſeu orientale ſeu occidentale Europæ aſcribit: reliquum totum Aſiæ. Et ob id Libya & Aegyptus ſub Aſia eo modo intellecta continebuntur. Rem tamẽ eſſe ſecretam Africam ab Aſia declarant hæc uerba ſuperius appoſita: ut quæſtio ſit de ſolo nomine.

Per Libyam autem totum Africæ reliquum intelligit: ſub quo, ut dictũ eſt, propriè Libya utraq; inferior, & culta & Tingitana & Numidia & Aethiopia continetur. liquet autem in Aethiopia calorem non adeò eſſe moleſtum ut in Libya, neq; deſertis adeò eſſe fœdam: idq; accidit, ob locorum inæqualitatem: montibus enim atq; collibus referta eſt, tum nemoribus atque ſyluis, ſed præcipuè quia Aethiopia à meridie mari cingitur. Animalibus feris abundat, tigribusq; maximè. gens rudis ac dura, tum præcipuè ob cultum religionis ſuperſtitioſum. alij enim Maumethẽ colunt, alij Chriſtum, ſed ſic ut etiam Iudaicam legem obſeruent. Sabbatum, & à cibis abſtinẽt quibus etiam Iudæi: uelut à ſuibus, fructuum delicijs carent, non tam quòd ager natura non ſit ferax, ſed quòd ſint uiri, ut dixi, rudes & ſimplices. Ipſe Rex Chriſtianus Negu uocatur: totus circa ceremonias intẽtus, bellicam aũt negligit: unde iam ob diſſidia quædã religionis ab annis circiter octo in Turcarum poteſtatem deuenit regulis Maumethanis fauentibus, inde ex aduerſo Luſitanis contra Turcas pugnantibus. paucæ urbes, nullæ arces, ſed uici & uillæ plurimæ. Tertiam partem hominum ac mulierum cœnobia et ſacerdotia obtinent: id factum eſt ut facilius regnũ in obſequio contineatur: nam illi populos, illos facile (aſſuetos iam uni parere, non uagari, pœnis ſubijci, uitam ducere aſperam) Rex continet. ne tamen tot ſacerdotio aſtrictis periret gens, factũ eſt ut ſacerdotes Iudæorũ more uxores ducant, educentq; filios. Triticum habent et uuas, ſed uino carent: ſeu quod arte conficiendi careant, ſeu quòd non ſeruetur. ideo illud ex paſſis uuis aqua infuſis conficiunt. Viuunt longiſſimo tẽpore: poſtquàm inquilini quidam uelut Armeni & Luſitani prope centũ annos peruenere. quòd ſi indigenæ eo non aduenient dubium non eſt, quin hoc eis ex mala uictus ratione contingat. nam ubi aer malus eſt, nulla ratiõe poſſunt homines ad lõgam ætatem peruenire. Abundat locus aquis, quia montibus atq; collibus: rarò pluit: noctes, ut ratio dictat, cum habeant diebus penè pares frigidas ualde experiuntur. Inculitum ſolũ & totum ſylua, negligentia & paucitate incolarum, non ſolis ardoribus. Gens non magna, ſed potius parua, infida, cõtumax. Auro ſatis abundat, ſed totum firme eſt regis, incolæ non pauperes, ſed miſeri ac penè nudi, unde fama diuitiarum regis re ipſa maior. Sericca longius aduehuntur. Solũ fertile ſed ſine gemmis et aromatib. prorſus: uel ob ignauiã incolarũ et imperitiam, uel quia non taliũ feraces montes.

LIBER VI.

LECTIO LXXI. ET EST INITIUM ſexti libri, Textus I.

DE ijs uerò, qui ad dexterã hyberni ortus Solis uſque ad Mçotidem paludem habitant (hic eſt enim Europæ & Aſiæ terminus) ſic habet. Multo maior diuerſitas eſt inter illas ipſas gentes, quam de quibus iam dixi, cum propter uarias temporũ mutationes, tum ob regionis naturam.

Qui uerò ad dextrã hyberni ortus. Hyperni ortus homonymia fecit, ut non intelligeretur ab Alemano: ſed nec mihi facile fuit prima frõte ex uerbis genuinũ ſenſũ deprehẽdere. uerũ ubi ad rẽ ipſam aſpexi illicò ſentẽtia innotuit quæ eius modi figura primũ indiguit. Sit finitor ſeu orizon in ſphæra rectæ



ra recta b c k d: circulus Arcticus c d, polus Arcticus h, Antarcticus k, Aequinoctij circulus e f: Tropicus cancri g h, Tropicus capricorni sint circulus hyemalis l m pars orientis b f m occidentis ergo g e l Coos insula Hippocratis patria a: Puerò palus Mæotis distinguens linea Europam, quæ est ad septentrionem posita ab Asia linea p q: homo positus in à respiciens b polum Borealem, manifestum est, quod à dextra habebit orientem & paludem Mæotidem, quæ est orientalior Coo insula. Siquidem Coos distat à Fortunatis insulis (Prima & secunda Asiæ Tabula.) partibus 5 6. Palus autem Mæotis 6 2 ubi occidentalior, ubi orientalior 68. patent igitur omnia claraq; est litera, ideo hybernus ortus bifariam dicitur, comparatiuè quo ad regionem aliquam, ut hic Coon Hippocratis & simpliciter, simpliciter etiam bifariã, hæc autem nondum liquet: scilicet, quomodo palus Mæotis sit posita ad Hybernum ortũ. hybernus. n. ortus, id est ubi Sol hyeme oritur est punctũ m. m aũt est in regione calidissima, et maximè procul à p. p aũt est propè septentrionem cũ ei a leuetur Polus Borealis partib. 49. & ubi Borealior est partib. 55. Vitruuius (lib. 1. cap. 2.) Balneis, & Hybernaculis lumina ab occidente hyberno. manifestum est cum temperaturæ caloris studeat intelligere per occidens hybernum l punctum, sic enim occidens Sol sicut locum: & noctem tepidiorem reddit. Vt ergo occidens ita oriens obseruandus. Quin quod maius est hoc in opere: Aduentos frigidos inter occasum Solis æstiuum, & orientem æstiuum: liquet (lib. 2. Tex. 7.) quod per oriens & occidens æstiuum intelligit. ubi Sol æstate oritur & occidit, & ubi initium Cancri secat Orizontem: igitur contraria ratione intelligemus hybernum ortum & occasum. Plinius quoq; in eandẽ sententiam: Saba regio spectat ortus Solis æstiui. Propterea tamen res non amittere ob uerba decet, etiam si Græca lectio suffragetur, sed ut sensus rectè se habet illa sunt interpretanda, Per Hybernum (lib. 12. cap. 14. post prin.) ortum intelligit partem hybernã, id est septentrionem qua parte Sol oritur: id est partem b d q totam & usq; ad 5. ad distinctionem partis hybernæ b c g, quæ est occidentalis. Et ideò illud explicat per dextram partem, quoniam dextra nõ intelligitur torrida regio, sed post terga Coum inhabitantibus multo maiores habent diuersitates his de quibus dictum est, nam modo frigore modo calore agitatur, non sicut Numidæ, de quibus ait Appianus quod diu niuunt, quoniam apud illos nunquam sentitur frigus. Duas ergo causas recitat quod maiorem recipiunt diuersitatem, quam priores regiones naturã & temporũ uarietatem.

Est Palus Mæotis omniũ orbis amplißima: quippe cuius ambitus est MCCC. M. P. Insula habebat olim dicta Alopecia quasi Vulpium insula, hodie uocatur Palus Tabac insulis exiguis referta, quod iam siccetur, & terra fiat. (2. Metheor. cap. 1. in fine. (Ab oriente sunt Circaßi, ab occidente Rhuteni rubri, à septentrione Moscouitæ, à meridie Pontus Euxinus.

Ergo hic non leuis dubitatio emergit, an loquatur Hippocrates de Asia, an de Europa. Phasidem inter locos enumerat, qui fluuius est in Cholchide. (Tab. 3. Asiæ.) fluitq; ab oriente, in occidentẽ ferme recta se in Pontum Euxinũ prouoluens, sub altitudine poli XLV partium, ex aduerso Cyri, qui ex occidente in orientẽ in Caspium se prouoluit, cum uterq; ex eodẽ monte nascatur Molthico. De hoc dicit Strabo (libro 11.) quod oritur ex Armenia, & circa illum LXX. alias CCC. nationes diuersis linguis inhabitãt, & est certè colluuies gentium. Diuersi mores, feri, formis absurdis, & terribilibus, anguntur enim Ponto Mæthodi Hircano mari, Ripheis montibus & Hyperboreis.

Quod si regio Hippocratis censeatur tẽperata, atq; hæc sit nouem partib. Borrealior, manifestum est quod non parum frigida, & in parallelo Galliæ togatæ, & regionis Italiæ, quæ est in Europæ intima parte, ne dũ simpliciter in Europa. Prope. n. Phasim flumen in Ponti littore urbs est eiusdem nominis cũ flumine: ut uideatur hic loqui potius de Europæis quam de Asianis. Inferius etiã dicit De natura, ergo ac diuersitate & forma eorũ qui Asiam & Europam incolunt sic se habet. Cum ergo de Europæis sermonem nullum alium habue

rit,

uit præterquam de his qui in hoc capite ascribuntur,(Tex. 9.)si illi sub Asianis collocentur, falsus erit Hippocratis sermo, sed in oppositum est quod tribuit illis temperamẽtum ueris citra mutationẽ, et quoniam post Europeis longo sermone agit nec plus de Asianis. Ideo dico quod in præsenti parte cui sextus nostrorum Comment. lib. dicatus est, loquitur de medijs inter Europeos & Asianos, ut sub neutris illos fermè collocet, aut sub ambobus. quod etiã sensit & benè Alemanus. Sed ob id exponi debet: Qui inter Asiam & Europã loco Asiam & Europam incolunt, aut expungere, & Europã. Ob regionis diuersitatem alij imminẽt. Ponto alij paludi, alij ubi arcta est, alij in mõtibus, alij in planicie, quidam in mediterraneis, quidam ab oriente aquam habent, quidam ab occidente, quidam à meridie, quidã sunt propiores Austro, quidam Borealiores: par est igitur oẽs hos inter se differre non parũ. Qui ergo olim ab oriente ad finẽ Mæotidis paludis habitabant Sarmatæ Assamatæ usq; ad Siracenos, dicebãtur in 2. Asiæ tabula, ubi plura insignia quasi uirorum fortiũ termini habẽtur, Portæ Sarmaticæ, Pilæ Albanicæ, Binæ Alexandri Colũnæ, Cæsaris Aræ, & Alexandri Aræ insignes fabricæ. Nũc pro Sarmatis Moschouitæ, pro Assamaris Cercassi habẽtur. Et ubi Borapar urbs olim nũc Bossaga lacus, siue potius palus habetur. nũc omnes Tartarorum nomine intelligantur (10. tab. Nouarum.) Ciuitas nobilis m maris Põtici littore Lopeso. Ibidem Taurici Chersonesus, Cimerius quoq; Bosphorus: hæc omnia ut intelligatis hanc mundi partem, nõ solum Hippocrati sed antiquis omnibus, & nostra etiã ætate in magna fuisse consideratione. Scribit distinctè de hoc Sigismũdus liber in hist. Moschouitarum, (cap. de Tanais flumine.) Inter reliqua singularia huius regionis est emporium Soph, alias Asoph dictum, ubi liberum est cuiq; ut uelit uiuere. Principi tamẽ Turcarũ tributum pendit. Aras nunc Alexandri aut Cæsaris non extare compertum est. Polus in Moschouia quinquaginta partib. eleuatur gens fallacissima. Propè paludem Tanais Schosnam flumen recipit. Refert Iosapha Barbarus Patritius Venetus, inueniri in Sarmatia passim herbam nomine Baltracanum, folio rapæ, carile cubitali, atque maiore, crassitudine digiti foliato, sed ita ut palmo folia inuicẽ distent semine fœniculi, sed maiore, sapore acri, sed iucundo, caulis ipse præciditur, quãtum ex eo teneri est, & alignosa parte mũdatur odore aurantij. per se editur nec sale indiget cortex, caulis uiridis & subcroceus, cum maturus est caulis intus paululum inanis est. Vnicam habet radicem. Coquuntur folia, et ubi aqua refrigerata fuerit ex ea bibunt uini loco, dicuntq; se ab ea non parum refrigerari. In Hordas Tartari diuidũtur, (Tartaria ab ijs Scythia, sed etiã Parthis commune nomẽ est, ac respondent. Vt Moschouitarũ Rex, & Sarmatis, & Scytharum parti præest, & sub eo Tartarorum pars continetur,) hæ sunt societates uelut Ciuium, sed non eodem loco constiterint. Christiani sunt Sarmatæ, sed institutum Græcorum retinent ac mores. Verum de Circhassis seu Tichis Georgius Interianus abundè scripsit. (2. Vol. Itinerũ.) Patet & gens in littore D.M P, in Mediterranea uersus oriente extenditur. Christiani & ipsi habentur: ut in nomine addunt, ut Paulus Paulus, Petrus Petrus seu commutant, rapto uiuunt. Venatores autem, latrones, milites, statura magni, & agiles atq; robusti sturionibus, quorum maxima est copia ob flumina illa, & uenatione uescuntur. Vino carent & tritico, milij usus pro pane tum Tetho: cumq; nullam fidem inter se seruent, in hospites tamen sunt humanissimi atq; officiosissimi.

Tum ob uarias temporum mutationes. In regionibus medijs magis mutantur tempora quam sub torrida Zona, quoniam cum fiat transitus à calore ad frigus, & contra à longitudine diei ad noctis longitudinem, & contra, necesse est, ut fiat magna mutatio: & hoc est clarum in comparatione mediæ regionis & Zoni torridæ, sed in comparatione ad regionem quæ sub polo est contingit dubitatio, ratione enim longitudinis diei ac noctis maior fit uarietas in frigidissima regione quàm in media: ratione frigoris perpetui, maior fit uarietas in media. Propterea uidetur accipere Hippocrates regionem temperatam, in qua est minor inæqualitas, & tamen cum calore, nam cum præponat Lybiam & Aegyptũ, ubi homines sunt nigri suæ regioni, palam est quod per regionem temperatam intelligit magis æqualem, & tamen quæ non sit admodum calida. Illa ergo quæ erit frigidissima tum ob frigus tum ob maiorem inæqualitatem diei & noctis erit minus temperata quàm media, licet in media sit maior mutatio quàm in frigidissima. ratione ergo finis, qui est ubertas, sanitas corporum & morum bonitas, media erit præstantior frigidissima, quod etiam ostendit dum reliquum Europæ præponit Scythiæ. liquet igitur quod primum loquutus est de Asia, inde de medijs inter Asiam & Europam, post de Scythis, ultimo loquetur de reliquis Europeis.

LECTIO

LECTIO LXXII. SVPER EODEM TEX. I.

Ratio ſphæræ hoc expoſtulat, ut quanto Sol eſt propinquior æquinoctij circulo, eo maior fiat declinatio in dies, ut uides iuxta Arietis, initium & finem Libræ, contra quanto magis iuxta Tropicos Cancri aut Capricorni, eo minor ſuis augeatur ſiue minuatur: At contra quanto magis Sol iuxta Tropicos eſt tunc magis augentur dies aut

♈		Sep.		♉		Sep.		♊		Sep.	
♎		Mer.		♏		Mer.	♑	♑		Mer.	
G	G	G	M	G	G	G	M	G	G	G	M
0	30	0	0	0	30	12	16	0	30	20	38
1	29	0	26	1	29	12	37	1	29	20	50
2	28	0	52	2	28	12	58	2	28	21	0
3	27	1	18	3	27	13	19	3	27	21	11
4	26	1	44	4	26	13	40	4	26	22	11
5	25	2	10	5	25	14	0	5	25	21	31
6	24	2	36	6	24	14	10	6	42	21	40
7	23	3	2	7	23	14	49	7	23	21	49
8	22	3	28	8	22	14	59	8	22	21	58
9	21	3	53	9	21	15	18	9	21	22	6
10	20	4	19	10	20	15	37	10	20	22	14
11	19	4	45	11	19	15	55	11	19	22	21
12	18	5	10	12	18	16	13	12	18	22	28
13	17	5	35	13	17	16	31	13	17	22	35
14	16	6	0	14	16	16	48	14	16	22	45
15	15	6	25	15	15	17	5	15	15	22	47
16	14	6	50	16	14	17	22	16	14	22	52
17	13	7	15	17	13	17	38	27	13	22	57
18	12	7	39	18	12	17	54	18	12	23	2
19	11	8	3	19	11	18	10	19	11	23	7
20	10	8	27	20	10	18	25	20	10	23	11
21	9	8	51	21	9	18	40	21	9	23	15
22	8	9	15	22	8	18	55	22	8	23	18
23	7	9	94	23	7	19	9	23	7	23	21
24	6	10	2	24	6	19	23	24	6	23	23
25	5	10	25	25	5	19	36	25	5	23	25
26	4	10	48	26	4	19	49	26	4	23	27
27	3	11	10	27	3	20	2	27	3	23	28
28	2	11	32	28	2	20	14	28	2	23	29
29	1	11	54	29	1	20	26	29	1	23	30
30	0	12	16	30	0	20	38	30	0	23	30
	♍	Sep.			♌	Sep.			♋	Sep.	
	♓	Mer.			♒	Mer.			♄	Mer.	

Tabula declinationum generalis.

octies

noctes sub differentia æqualis declinationis, minime uerò iuxta æquinoctij circulum: adeo ut cum iuxta æquinoctij circulum maximè declinatio uarietur, minimè tamen pro tanta uarietate dies augeatur, minuaturue: iuxta Tropicos uerò quamuis declinatio parum uarietur, illius tamen habita ratione dies ac noctes uariantur. Vtrisque autem simul comparatis plus facit ad magnitudinem diei ac noctis uariandã Solis iuxta æquinoctium declinationis incrementum, quàm paruitas circulorum tropicorum in comparatione, ad æquinoctialem. Ex quo sequitur, quòd in Zona torrida magis uariatur magnitudo dierum, dum Sol est sub æquinoctij circulo, quam cum est iuxta Tropicos, non simpliciter autem in alijs. nam in regionibus Scythiæ seu Slelocthe urbe Islandiæ Insulæ, aut Stat ciuitate Noruegiæ, ad gradus scilicet LXVI. minuta XXX. altitudinis poli maxima dies sub æstiuo solstitio est horarum XXIIII. ut etiam nox sub Bruma, & ideo in LXVI. par. XXX. min. distantiæ ab æquinoctij circulo auferri sunt dies seu nox XII. tantum horis: & cum sub polo dies ac nox illis temporibus sint plusquàm sex mensium, & hoc propter incrementum altitudinis poli XXIII. partium, XXX. minutorum, liquet quanto plus posit alibi inclinatio sphæræ ad uarietatem longitudinis dierum & noctium motu Solis per declinationem ab Æquinoctij circulo.

Vt autem hoc totum rectè intelligatur apponamus tabulam declinationum generalem, cuius usus est duplex: primum ut intelligamus quantum uariatur Solis propinquitas ex motu illius proprio. Exemplum circa æquinoctia uariatur per unam partem, & plus quarta in tribus diebus, & circa solstitia per unam partem in diebus XVIII. & circa media loca per unam partem in V. diebus. Cum hoc habemus magnam mutationem occultam in plantis, ut pullulent ut crescant ut frondes & flores mittant aut amittant aut paruam. Ideò circa solstitia uix planta ulla uiuit si seratur aut inoculetur seu inseratur, aut semine proiecto nasci debeat. cum enim non possit extendi nisi in XVIII. diebus antea putrescit & moritur. Alter usus est, ut sciamus ultra partes LXVI. min. XXX. quanta sit maxima dies seu nox, ueluti in S. Thoma, Zenobio quod est in Gronlandia partibus LXXIIII. min. XXX. altitudinis poli Borealis. uolo scire quantus sit dies sub solstitio, & quanta sit nox sub Bruma. detraho LXXIIII. à XC. remanent XV. quæro XV. in tabula declinationis, inuenio XV. XVIII. & XV. XXXVII. sumo partem iuxta proportionem. erit è regione IX. XL. ♍ & XX. XX. ♎ numero, quot sint partes inter hæc puncta, & sunt partes C. minuta XL. & tanta erit nox, quia sumpsi signa Australia. si sumpsero Borealia, erunt puncta IX. XL. Tauri ex XX. XX Leonis: quorum differentia est ut prius partium C. minutorum XL. & tantus erit dies scilicet maxima nox C. dierum naturalium, maxima dies C. dierum itidem naturalium. Hoc interest quòd cum absis Solis sit in initio Cancri. & oppositum absidis in initio Capricorni, partes illas C. ex XL. minuta in Borealibus signis, scilicet à Tauro ad Leonem perficiet in diebus CIII. naturalibus, id est horarũ XXIIII. pro singulis, & tantus est maximus dies, ubi nox autem maxima est dierum naturalium CI. tantum. Et ita in tota parte Boreali incipiendo ab æquinoctij circulo usque ad polum dies unius anni supersunt noctes eiusdem simul sumptas in horis XLVIII. uel circa: sed secundum Copernicum, multo minus superant, tamen dies artificiales, ut uocant noctes, & ultra æquinoctialem noctes superãt dies tantundem. Constat igitur quod ex inclinatione sphæræ & orizontis in VIII. partibus, quibus distat S. Thomas Gronlandiæ, à Stat ciuitate Noruegiæ auctus est dies maximus per CII. dies aut salte centum. Modo ponamus in Biarmia regione exemplum aliud, ubi polus eleuetur partibus LXXXIX. detraho à XC. relinquitur pars una quam quæro in tabula, inuenio è regione secundæ partis Arietis ex XXVIII. Libræ minut: LII. è regione III. Arietis & XXVII. uirginis Par. I. min. XVIII. sumpta parte iuxta rationem inueniemus II. partes & XIX. minuta Arietis & Virginis par. XXVII. min. XLI. quæ iunctæ efficiunt semper signi integrum, quod est XXX. partium, igitur cum à par. II. min. XIX. Arietis ad par. XXVII. min. XLI. Virginis intercedãt partes CLXXV. min. XXII. tantus erit dies maximus, scilicet dierum naturalium CLXXVIII. nox maxima CLXXVI. dierum naturalium: reliquum anni alternabit, uelut apud nos, sub æquinoctijs singulis per VI. tantum dies, sed maioribus incrementis. Ex quo patet quod in uno gradu eleuationis, non fiet uarietas nisi quatuor dierum, uel circa. & ita non secundum rationem eandem augebitur. Velut in altitudine poli LXIX. Partium cum tertia detraho ex CX. relinquuntur partium XX. minut. XL. è regione finis Tauri, & initij Leonis, & ita erit maior dies LXI. die-

rum, maxima nox LX. dierum. In paucioribus ergo partibus quam sint tres aucta est dies LX. diebus, & in partibus plusquàm quinq;, non est aucta dies nisi per XL. uel circa dies: igitur maxima uarietas fit ibi circa circulum Arcticum propter tarditatem motus Solis iuxta tropicos in comparatione ad declinationem, quia ante illum Horizon nõ continebatur sub torrida Zona. Pro regionibus autem intermedijs inter tropicos, & circulos brumales tam ultra quam citra æquinoctialem ratio magnitudinis dierum sufficiat ponere tabulam incrementi dierum seu noctium per declinationem ab æquinoctij circulo.

GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM
4.15	8.20	12.30	16.30	20.15	24. 0	27.40	30.20	33.20	36. 0	38.40	41. 0	43.10
HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM
12.15	12.30	12.45	13. 0	13.15	13.30	13.45	14. 0	14.15	14.30	14.45	15. 0	15.15
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	GM	
45. 0	48.30	51.40	54. 0	56.10	58. 0	61. 0	63. 0	64.30	65.30	66.15	66.30	
HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	HM	
15.30	16. 0	16.30	17. 0	17.30	18. 0	19. 0	20. 0	21. 0	22. 0	23. 0	24. 0	
14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	

Fructus autem binus scientiæ est, quoniam ubi est magna uarietas dierum atq; noctiũ, ibi etiam est magna uarietas naturæ hominum & morum & frugum, & cæteras plantarum & animalium quadrupedium & piscium, sed non tanta, et auium, sed & ipsa minor, hæ uolant, illi non in aere uiuunt. Talis autem mutatio proculdubio erit, ut dictum est iuxta Stat Noruegiæ urbem.

LECTIO LXXIIII. SVPER TEX. II. III. ET IIII.

HAbet aũt eodem planè modo, quemadmodum & circa aliorũ hominũ terras accidit. Vbi eñ tempora magnas mutationes faciunt & frequentissimas, illic & regio agrestis, & maximè inæqualis existit, inueniasq; & montes plurimos & denſos, itemq; campos & prata. Vbi aũt non ualdè uariant tẽpora illic æqualissima regio est, quod idem & de hominibus ipsis est intelligendum.

Ostendit quod inæqualitas temporũ in duobus consistit, in magnitudine & frequẽtia, ea aũt producit inæqualitatẽ in terra, inquit: sunt enim ibi montes, & ubi montes ibi ualles & campi & prata, quasi duorum generũ. nam campi qui sunt pro segetibus, sunt minus humidi pratis, quia semina indigent coctione, nõ tanta herbæ. Et ideò nõ leui prouidentia qui orizam inuenit, quæ in uallib. & locis aqua refectis, imò in paludibus oriretur. nec parua laude dignus inuẽtor eiusmodi compendij. Genuensis fuit qui hoc in nostra patria docuit. ũ enim proueniat id semen locis humidissimis, est tamen actu & facultate aridissimum. Quod aũt dixit montes denſos, potest intelligi ne moribus, sed melius est ut intelligatur quòd quamuis plurimi sint, sunt etiã denſi, id est magni, cum enim fuerint plures & magni, necessario erunt etiam denſi: nõ si magni et pauci aut plurimi, sed parui. Erũt autẽ agrestes & inculti quia partim aridi, partim etiã syluis pleni: ob frigiditatem enim et siccitatem est magis natura montium apta ferre nemora, & ligneã materiam quã herbas. Etenim arbores sunt sicciores herbis, ideò melius proueniunt in locis siccis: & sunt robustiores, ideò melius resistunt frigori, tertio quoniam à uentis nõ adeò prosternuntur? his q; de causis omnib. melius proueniũt ligna in montibus, qui omnino aripi nõ sunt quam herbæ: et præsertim quàm ex natura segetũ, cum etiã grana excuti soleant: desitq; calor ad semina perficienda, & humidũ est aquosius quã pro seminib. sit opportunũ. Cõtraria ergo in regione quæ tem-

pora

pora non mutat, sed & hominum natura est huiusmodi: quoniam ubi regio agrestis coguntur homines exercere se plus iusto, & non bene nutriri, quare generatur in illis multa atra bilis, & ob id fiunt moribus agrestes. Vt enim è regione pugnat atra bilis cum sanguine, ita mores agrestium utrorũ cum ciuilibus. Atq; hæc est prima causa, secunda quoniam non congregari possunt commodè, & cum paucis unde destituuntur legibus, & non discere possunt mores ciuiles. Tertio quia ob solitudinẽ redduntur timidi, & timidi sunt agrestes, unde animalium exanguium nullum mansuescit ob eam causam. Cum uerò regio nõ habet mutationem temporum, uel prorsus fit inhabitabilis, ut in arenosa Libyæ, & montibus Noruegiæ, atq; sic sermo de ea non est, aut si bona, oportet ut sit calida & humida, & tunc est duplex aut intemperata, & est fertilis sed insalubris, aut temperata, & tunc est & fertilis & salubris, & hæc est optima. Expedit autem dubitare circà hoc, quare terra fiat inæqualis ex temporum magna mutatione? & respondeo quod ob calorem uehementẽ caluatur terra, & à frigore congelatur, & fiunt saxa. & ita mõtes ac ualles & plana. Sed dicet quis sub Borea sunt plures montes, & in Libya, quam in temperatis regionibus. Aristõteles (14. Probl. 1.) etiam feritatem tribuit nimio calori aut frigori, non temporum mutationi. Et ideo qui solùm ad uerba respiciunt, in magnos incidunt errores. Dico ergo, quod Hippocrates uult, ut intelligamus regionem esse intemperatam, uel ob qualitatem, uel ob mutationes, uel ob utrunq; nam temperata est quæ utroq; incommodo caret. At de montibus in feruidis regionibus censendum est, quòd calore dissoluente humidum à noctis frigore cogitur in lapidẽ, inde cauata reliqua parte prodeunt montes. Imò montes magis abundãt in regionibus càlidissimis ac frigidissimis quam mediocribus, uelut aliàs dixi de Imao, Caucaso & Athlante. Sed magnitudine etiam Taurus in Asia insignis est, et in Peru Indiæ. Sed Olympus nomen ab altitudine sortitus, & Athos in teredia regione sunt. Ideò nõ debemus diuagari à litera, ne fortè incidamus in errores: dicimus ergo magnas uarietates sequi ob talium regionum situm, quàm situ ob uarietates (reliqua enim disputatio ad libros de Arcanis æternitatis pertinet) cuius demonstratio est, nã ubi adsunt mõtes densi, colligitur calor tempore æstatis, & hyemis tempore ob saxorum frigiditatem & umbram montium & uentorũ uehementiam, & frequentiam frigus: & similiter niues, pluuiæ, & eiusmodi, igitur talis regio habebit tẽpora inæqualia, & erit intemperata. Præterea qui habitabunt in montibus, erunt frigidi & sicci: & qui in uallibus calidi & humidi, & qui in pratis & campis, multis uentis agitabuntur, ideo regio hæc inæqualis erit, sed difficultatem hoc habet ex sequenti Textu, cum dicit:

TEX. III.

SI quis enim rectè cõsideret, uidebit quorundam naturam montibus syluosis, ac aqua carentibus simile esse, aliorum uerò aquosa ac exilia loca referre, sicut quidam pratorũ ac paludũ naturam præseferunt, atq; alij quorum planitiebus nudisq; ac siccis terris cõstitutio similis existit. Tempora enim quæ formarum natura uariant sunt diuersa: cum ergo inter sese sint maximè diuersa, uarias & multiplices formas producunt.

Comparat naturam hominum, naturæ locorũ, eamq; quadruplici exemplo ostendit. Dicit enim quod quorundam hominũ natura est similis montanis, syluosis atq; asperis locis. atq; ita de alijs, uidendum est igitur qualis sit hæc comparatio quæ è prima fronte absurda uidetur. Dicam autẽ quæ Alemanus scribit, hoc ipso mihi felicior, quo à in quo alij tristantur & dolẽt, ego lætor cum laudare hominem plenè possum: ut contra inuitus cogor malè dicta damnare, si in quempiam impegerim, quæ ob nominis celebritatem præterire non possum. Verba igitur eius sunt. Homines inculti moribus atq; horrendo aspectu referunt naturam montanorum, syluosorum & asperorum locorum. quòd si montes sint à parte orientis & septentrionis erunt morbosi, effæminati, si uerò regio his partibus sit exposita mõtes uerò sint ab occidente & meridie, erunt incolumes, uiribus firmi, armis dediti, feroces, artium minutarum contemptores, Homines molles, mites, redolent aquosa et exilia loca, qui sæpe diuites, compti artiumq; cultores, somnolenti, pratorum & paludum naturam præseferunt. Arenosa regio facit robustiores, homines sanos, industrios. Argilla facit opulentiores sed infirmiores. Vbi uerò opulentia, ibi mores sunt mitiores, & cultus artium uiget propter præmia. Qui habitant in planitie magis equitant, qui uerò in mõtibus agiliores & firmiores. Habitantes in regionibus insalubribus sunt imbecilliores minus fortes, minus crudeles, miseri cordes

» ricordes, astuti, fallaces, laborioſi, auari, uerbis » blandi. Regionem uocat planam nudam, quæ lu» cis & arboribus condita & obſepta nõ eſt, quam » qui incolunt parui ſunt & flaui, animo rigido & » contumaci. Tempora enim & aer diuerſus for» marum naturam uariant, & mores facile immu» tant. Frigentibus locis præſtant corpora modera» tis et calidis excellunt ingenia inquit Ariſtoteles. Demiror ſanè Galenum non ſolum ſuorum tem-porum uiros, ſed neq; antiquorum ullum inue-niſſe, cuius in exponendo dicta probare poſſet? Sed iam duas quæſtiones ſoluere expedit, quorum una iam propoſita eſt, ſine altera nihil agere li-cet. Propoſitum eſt quomodo ex temporum mu-tationibus regiones uarientur, utq; inæquales eua dant. Dicimusq; tempora mutari, uel ob cœlum uel ſitum: ob cœlum quia uel dies longior æſtate uel nox hyeme. Quid hoc? ſi dies æſtate terra plana exeditur, hyeme nox, fiunt montes: quic-quid enim decedit uni parti exaggeratum per a-quas & decliuem ſitum acquiritur alteri & con-gelatur. Latet hoc rudes & indoctos, & in breui temporis ſpacio, ſed non in multis annis, & Hip-pocratem latere potuit, ſi ex terra ob uentorum naturam & ſitum loci, itaq; montes fiunt aut are na aut campi paludes ue, ut licet experimento ui-dere, alijs enim influit mare, alijs flumen ingens retinetur, ita & de alijs hæc nota, quorum affe-ctus breui ſuccedunt, illa latent, quoniam tardius perficiuntur. Alterum eſt, quomodo locorum na-turis hominum qualitates aſsimilari poſsint: ut homines paludoſi, ſyluoſi arenoſiq; inueniantur? hoc quidem uerum eſt, ſed qualiter interpretari conueniat non adeò pronum. Id tamen ex hoc pendet, quod effigies proportione quadam re-ſpondent, non quod ita ſint. Videmus enim ho-mines in nemoribus educatos capillis longis, fa-cie longa, taciturnos laceris ueſtibus, mœſtos & obſcuros calore atq; aſpectu. Montanos autem rigidos, duros, contumaces, alacriores tamen, ni-hil curantes. In paludibus ignauos, mali habitus & coloris, ægros in arena ſiccos, leues terreos to tos. Et ſi quos quod ſine medio facit Hippocrates, cum medio comparet animantium iam res clara habebitur. rana terreſtris ſi inter terram humi-dam, & hominem in regione habitantem humi-da, non tamen in qua aqua dominetur, & um-broſa tamen collocetur facile hominis naturam declarabit. ipſa autem ſui ipſius per terram aut penu uiuarium uel terram um-broſam atq; macriem.

TEX. IIII.

PORRÒ quæ patum inter ſe diffe-runt gentes relinquam. Quæ autem plurimum non natura ſolum, ſed & legibus diſcrepant de illis re-feram quomodo habent.

Artes bifariam diuiduntur, quædam ſunt ſpe-ciales, ut Geometria, Arithmetica, Muſica, Aſtro-logia, coriaria, & plæræque mechanicæ uocatæ: quædam generales, ut Grammatica, Iuriſpruden-tia, pictura, ſculptura, cælatura, architectura, è quarum numero eſt medicina. In huiuſmodi enim artibus eſt neceſſarium aliquid de omni ſcientia accipere: uelut Grammaticus nomina debet ſcire inſtrumentorum fabrilium, & partes horologij & militiæ neceſſaria, & Aſtrologorum tracta-tionis, & muſicæ inſtrumenta, & rei ruſticæ, & tamen eatenus uſq;. Vnde Vitruuius (lib. 1. cap. 1.) primus poſt Rythium inquit: Non enim de- « bet nec poteſt eſſe Architectus Grammaticus, ut « fuit Ariſtarchus, ſed non Agrammatos: nec muſi- « cus ut Ariſtoxenus, ſed non amuſos: nec pictor ut « Apelles ſed graphidos non imperitus; nec plaſtes « quemadmodum Mizon aut Polycletus, ſed ratio- « nis plaſticæ nõ ignarus: nec denuo medicus ut Hip « pocrates, ſed non Aniatrologetos, nec in cæteris « doctrinis ſingulariter excellens, ſed in his non im « peritus. Quod officium adeò pulchrè in Gram- « matica præſtitit Priſcianus, ut cum illius legis in-ſtitutiones, & Philoſophiam & Hiſtoriam & Rhetoricam nullamq; non artium legere uidea-ris. Cum ergo hæc quæ hic ſcribuntur, partim ad naturalẽ Philoſophum & magis Geographũ aut Corographum ſpectent hic medico generalia, & magis diſsidentia agnouiſſe ſufficiat quatenus ad medicinam ſcilicet pertinent.

LECTIO LXXIIII. SVPER.

TEX. V

AC primum omnium de Macro cephalis, cum nulla omnino a-lia gens ſit quæ ſimilia capita ha-beat. A principio quidem conſuetu-do in cauſa fuit, ut tam longis capi-tibus eſſent. Nunc autem natura ipſa cum conſuetudine conſpirauit. Si quidem generoſiſsimum apud eos putant caput habere quam maximè longum, conſuetudinis autem hoc initium fuit. Cum recens infans na-tus eſt, caput eius adhuc tenerum ac molle exiſtens quam celerrimè con-ſtringunt

ſtringunt manibus captantes cogũt in longitudinem augeri: quin & uinculis connectunt, ac aptis inſtrumentis colligant, quo rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur. Ea cõſuetudo tantum effecit, ut eiuſmodi natura capitum exiſteret. Temporis uerò progreſſu natura quoque tales produxit, ut non eſſet neceſſe conſuetudine priore cogere.

Themiſcyra Regio (in prima Aſiæ Tabula longit. $66\frac{2}{3}$. lat. $43\frac{1}{3}$.) eſt atq; cum ea urbs in littore Ponti Euxini Cappadociæ Prouinciæ, inter Iſim & Thermodonta fluuios: In ea gens Macrocephali (inquit Plinius lib. 6. cap. 4.) oppidum Ceraſus, portus Cordulæ, ab oriente Scordiſci montes, ab occidente Galatia. In eo uerò tractu littoris Porti fuiſſe Macrocephalos, narrat C. Rhodiginus decimoſeptimo hiſtoriæ antiquæ lib. (cap. 3.) inde etiam Macronem dictam gentem, Coloniam olim ex Euboea inſula deductam. Suidas quoq; ex ſeptimo libro hiſtoriæ rerum Troianorum Palephari ſcribit, Macrocephalorum gentem habitaſſe ſupra Colchos: dicit in Libya (in ſecunda Aſiæ Tabula.) ſed legi debet Hyberia, quæ Colchidi ab oriente adiacet. Colchis enim maritima regio eſt ad Pontum conuerſa, Coracem à ſeptentrione montem habens: quamuis non parum diſtet à Themiſcyra, quæ in Ponti littore eſt auſtrali. Pomponius Mela loquens (lib. 1. cap. 21. poſt principium.) de gente Chalybeorum, deinde minus feri ne cùm & hi inconditis moribus Macrocephali, Diſchari, Buxeri. raræ urbes Ceraſus & Trapezus maximè illuſtres. Conſtat autem ratio cum priori, nam Trapezus in eodem maris littore cum Themiſcyra poſita eſt. Chalybes aut Paphlagoniæ populi. Sed Themiſcyrum oppidum iuxta Themodontem campũ, qui Hali fluuio adiacet ponit. Vt in Chalybarum regione ſit conſtitutum. non ergo à Paphlagonibus alienum erit. Vtcunque ſit in maritima Ponti, & inter Cappadociam & Paphlagoniam, ac iuxta caſtra Amazonum, qui ex Scythia per paludem Mæotim & Pontum nauigauere omnium ferme cõſenſu fuere Macrocephali. Bizares Diſcheri, id eſt inconditis moribus dicti, nunc etiam tales homines Bizares dicimus. cum uero hi populi in parallelo ſint qui per Italiæ medium tranſit, ſed orientales tantum, liquet quantum ſitus & multo magis inſtitutio & leges poſſint.

Sed cum reliqua clara ſint, ut expoſitione non indigeant hoc ſolum dubium relinquitur, quomodo in informem figuram ſemine producta degenerare poſſint. Palàm enim eſt ex Galeno (libro Artis Medicæ cap. 11.) quòd optima capitis forma eſt: Veluti ſi excogitares ſphæram exquiſitè rotudam ex cera conſtructam leniter utrinq; depreſſam. In hac enim neceſſe eſt ut poſteriores priores q; partes magis gibbæ fiant, quam ſphæræ conueniat, quæ uerò utrinq; conſiſtunt magis rete. Improbat autem ibidem caput in quo ea additamenta deficiunt, niſi robuſtas habeat operationes & orta ſecundum illam partem Capitum horum figuram faſtigiatorum ſeu ποσῶψ dicit, nomine appellat Hippocrates (9. de Vſu Par. ca. 17.) quorum tres ſunt ſpecies, uel cum anterior apophiſis tantum adeſt, uel cum poſterior ſola, iſte duæ cum capite in quo ſunt utroq; naturales eſſe poſſunt. at ut neutra adſit, & id eſſe poteſt modo tum ut rotundum ſit ab anteriore parte ad poſteriorem, æquale ei quod eſt à latere ad latas ſpacio, ut ſit quarta figura ſeu capitum faſtigiatorum, & quinta omnes connumerando excogitari mente quidem poteſt, à natura fieri non poteſt: ut utraq; ſublata apophyſi de latius ſit caput à dextro latere in ſiniſtrum quam ab ante retro. Hanc tamen licet rarò admodum, & ut monſtroſam uiſam referunt, ut in Commentarijs Artis Medicæ docuimus. In uniuerſum mola ut qualecunq; ſit caput, & cuiuſuis figuræ plus ſit à parte anteriore in poſteriorem ſpacij quam à latere in latus. Hoc igitur à parte anteriore in poſteriorem uocat Galenus capitis longitudinem, à dextro in ſiniſtrum latitudinem. At Hippocrates Macrocephalos hic non ſic intelligit, ſed faſtigio capite, & in acutum tendente, & alto atq; oblongo. Et ſi ſunt quorum meminit in ſexto Epidemiorũ (Par. 1.) Tex. 3.) dicens: Acutum habentes caput, ſi quidem ualida ceruice fiet & alijs robuſti ſunt. Vbi Galenus ait, uerùm acuta capita (nam & ex his quædam non eſſe improbanda affirmauimus) optima figura aliquantulum permutata fieri dicimus. Et paulò poſt docet, quòd tales homines ſunt robuſti, ut dubium non ſit de his intelligere Hippocratem utq; bona ſit, ſed tamen non eſſe optimam quæ faſtigiata ſit. Dubium eſt ergo, quomodo poſſit per hanc uim adhibitam, forma ſuccedentium uariari. Atq; id dubium eſt duplex, primum quia oportet ſemen non à teſtibus ſolis, neq; à principalibus mẽbris decidi, ſed à ſingulis membris, de quo actum eſt in tertio Contradicentium.

aliud est maius, quod non uideretur formari corpus ab illa ute, quam toties prædicat Galenus præcipue in secundo de Temperamentis, (cap. 6. circa medium.) et in libro (cap. 6. in fine.) de Fœtuum formatione, ubi quasi hanc mouet dubitationem. Videtur enim simile potius à simili generari, nec ulla nisi similitudinis obseruatione opus esse sapientia. Propterea dico quod simile à simili generetur, quia forma illa & si materia careat, utile tamē principio à materia sumpto, uelut tonsor nouacula. Vt sit prima fabrica à mente, quæ autem succedunt à similitudine. Et si dicas quod non est prius atque posterius cum sit ab æterno, igitur semper operabitur anima aut nunquàm: si semper, igitur materia nihil proderit ad constructionem: præsertim quod materia quæ deciditur cum sit semen, & res liquida non potest esse uitiata in figura: sinumq; igitur fiet forma solum à similitudine. atq; ita non poterit reddi ratio usus partium. Propterea dico quod forma prius operatur, & hoc ab æterno & ante, quia generaliter ut omnia incorporea in materiam: materia imbuta ui incorporea, ut est in hac parte, uel illa generat sibi simile in actu, quale est in potentia. Et quod hæc est eadem difficultas cum illa, cur filij parentibus assimulentur, quoniam neq; illi perfecti sunt, nec unus inter mille. siue ergo casu seu arte degenerauerint nihil refert. Eadem ergo cum sit ratio de uno quæ de alio, constat, quod filij assimilantur patri, quia semen est ualidius per se: matri autem quia semen deductum à patre ad uim actiuam est ualidius in matre. Operatur ergo semen secundum rectam uim, quæ est ab immateriali principio, sed cupit in genere assimilari formæ speciei, propriè autem materiei in qua est: quia forma quæ est principium, est absq; materia: quæ uerò agit pro hoc homine generando est forma in materia, quia etiam concurrit ut materia. ut etiam dicunt medici. Veluti forma in graui est, ut recta descendat ad imum: quia tamen illa forma non operatur nisi per materiam, si illa sit circumscripta, ab obliquo mouebitur per obliquum, uelut aqua per riuulum. nam & illa uellet descendere rectè ad centrum, & nemo sapiens hoc non animaduertit, ut cum in materia est, & non solum in illa, sed illa circumscripta est, etiam ab alia materia mouetur recta quidem à principio incorporeo, & non uitiato ad centrum: tamen motus ille est fermè æquidistans centro tum propter materiam, in qua est principium, quòd est natura, tum magis illud à quo circumscribitur. Dicemus igitur quod principium primum generationis hominis est natura, quæ est forma animæ & uitæ impressa in materia medio caloris naturalis. Et sicut forma sigilli recipitur non sub forma cunei simpliciter, sed ut in materia cera molli, dura argilla, gypse, marmore, ligno, ferro, auro, ita & hæc. Ergo neq; anima uitiata est, neq; materia est causa uitij in generatione hominis, sed natura quæ uitiata est propter materiam, id est membrum in generatione seminis, & post uitiat opus ipsam non semen. Vtrunq; igitur est uitiatum semen, & membrum ideo utriusque natura quia non recipit, ut nec mel aut cera cruda sigilli speciem delineatam, atq; ideò nec eam reddere potest. Cum ergo non uitiatur membrum arte uel casu res ad optimam formam reducitur ab anima, principio incorporeo non errante. Cum ergo materia non recipit uitiatur principium corporeum qualecunq; sit, seu natura seu calor solis, seu uita, sicut: si sol debilis generaret uermem, quia materia non reciperet perfectam uim solis, ille uermis alium uermem debilem generaret: si materia melior fieret, & ut calorē solis melius reciperet meliorem uermem. Incorporea enim uirtus non potest agere sine corporea. Ergo quomodo aget prima uirtus incorporea? utpote anima si agit per uitam, quomodo uitam inducit? Si per naturam, quomodo naturam in corpore efficit? Eadem enim uidetur esse dubitatio? Quapropter dicendum, quod natura intelligendo eam, ut est principium motus in elementis in animatis est prior, quia manent primæ qualitates, & grauitas in musto, & est ab anima mundi, & elementa sunt principium solum passiuum in generatione, et hoc est manifestum. postmodum. Vita uerò est primum in tempore quo ad generationem seminis, sed semen non uidetur uiuere, igitur calor cœlestis est prior, quia hic est in semine, & quia calor non est corpus, sed res corporea, ergo ille recipit impressionem ab anima, uelut corpus cœleste ab anima, ut fiat ei natura, & non ut agat in corpus cœleste: & statim natura agit mouendo corpus, & ideò per uitam mouetur cœlum, & semen ad generationem, & calor ille uariatur ex materia, in qua susceptus est non meritò animæ nisi in specie, calor igitur ut genus suscipit formam, cuiusuis animati ab anima mundi, aut singulis animabus, & principium generandi animatum, & ut est calor addictus huic materiæ specie arietinæ hominis aut asini aut plantæ, & principium generandi hoc animatū, & ut est in hac materia principium

cipium generandi hoc animatum: & ideò simile ei quod generat, & est calor cum animæ specie impressa & materia, & ideò corpus tenue totam quod agit assimilando toti, id est corpori: & non ab initio, sed iuxta id quod etiam patitur: & est crassior pars seminum masculini & fœminini, & est ut uas quod recipit ab initio mutationem, ideò totum necessario fit simile illi materiæ secundum figuram uitiatam: & non est uitium ullum, neq; in anima, neq; in calore, neq; in primo subiecto, quod est calor scilicet corpus tenue seu spiritus seminis, sed in parte crassa solum seminis quæ extenditur, ut sub delineamentis patris aut matris à calore animato, qui extendit solum cum proportione speciei & delineamentis ac figura conuenienti illi: atq; ideò optima & perfecta. Error ergo est solum ex corpulentia quæ recipit, ue lut si optimus plastes ex luto inelaborato fingeret hominis imaginem, aut in uase informi ei præparato. Et in animalibus quæ ex putri materia generantur, cum sit calor instrumentum animæ secundum speciem quæ præparauit illud loco seminis, non ab anima connexa parentum, sed connexa præparationi partis illius idem omnino accidit. Quærere autem de differentia præparationis huius ad tractationem aliam pertinet, (4. scilicet librum Theognosti.) & uirtus incorporea licet sit infinita, & ideò contrarium non habet, est tamen quod non recipit uelut lutum lumen. Differt autem à corporea, quia corporea aucta operatur ut calor in ferro, lux autem quantumuis magna non magis lutum intus illuminat quam exigua. Ideo non ualet, hoc est infinitum ergo omnia potest.

LECTIO LXXV. SVPER TEX. VI. ET VII.

QVum enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, fiatq; ut ex caluis calui gignantur, & cæsijs cæsij, & ut plurimum distortus distortum generat, eademq; ratio sit circa reliquas formas. Quid prohiberet ut nõ ex macrocephalis macrocephali gignerentur. Nunc autem non nascuntur ita magnis capitibus quemadmodum prius, cum consuetudo non amplius duret per incuriam hominum intercepta. & de his quidẽ hæc mea est sententia.

Hoc totũ est clarum ex cõtradictione adducta, & hoc est manifestius in intemperie quã in alijs, siquidẽ frigidi uentriculo & calidi iecore sibi similes generant, scilicet uentriculo frigidos, iecore calidos. Secundo in forma calui caluos, ut dicit in littera, cæsij cæsios, distorti distortos plerunq; non semper. Tertio in morbis qui sunt podagrici, aut qui nondũ sunt cum generant, paulo post aũt futuri sunt podagrici, & laboraturi eo morbo grauiter, aut attonito, aut cæcitate, aut surditate, uel hydrope aut morbo regio, his qui ab eis generãtur, imminent tales morbi: ut etiam casus dentium & phthoe. Quidam uerò fermè semper, ut cõtagiosi quales impetigo, uitiligo, lepra, elephantiasis. uix enim quisquàm ex filijs euadit, ut etiã in lue Indica. Duo ergo supersunt, primũ ut declarẽ conclusionem contradictione. i. sensum huius loci: secundũ cur & quãdo ex claudis claudi generantur. Et circa hoc etiam an claudi ex uulnere abscisso pede (nõ de alijs quib. est solũ læsio, in neruo nulla est dubitatio, nascuntur enim integri) generent claudos. Dico igitur quod semẽ potest intelligi, uel ut colliquamẽ totius corporis, aut excrementum aut neutrũ, sed sanguis purus trãsmutatus à testibus in eam naturã. Aristoteles sentit esse excrementũ, trẽ buere aũt Hippocrati, quẽ ueterum nomine cõprehendit, quod censuerit esse colliquamen. at hoc si quis neget forsan Hippocrati imustã falso notã iure tollet. Est ergo aliměti ultimi, utile excrementũ iuxta illũ et Hippocratẽ, qui quia nõ dixit tanquã secus dixerit iniustè coarguitur (1. de Con. anim. cap. 19.) Causam uerò similitudinis esse censet, quòd uelut in tectorio opere aliqd decidit, ita etiã aliquid cum excremẽto deciditur alimenti, & tũc uitiosa ex uitiosis nascũtur, alterno: Ideo quod ultimum alimentũ idem est, cum primo excremento & uerba illa (Idem enim ultimũ excrementum cũ primo excremento est) sic legi debent (idẽ enim ultimum alimẽtum) ob id ergo habemus cur mutili aliquando ex mutilis, aliquãdo integri oriantur. In uiolentiori enim cõcubitu magis fiunt similes. neq; est excremẽtum purum cum sit sanguini admistum, sed à toto membro quicq; deciditur, quod secundũ formã tale est, materia aũt sanguis uterq; sed præcipuè arterialis. Qui ergo claudi sunt, alij cõtracto uitio ex uẽtre matris, aut in infantia nuper nati aliquo casu fiunt. tũ conformati in naturalem modum, sed alienũ naturæ membri hoc efficere possunt, ut scilicet infantes trahãt uitiũ, quoniam iam forma membri similitudinẽ incremento parit, ut longè post ortum claudi, claudos non

efficiunt, quoniam forma illa non est tanquam naturalis. multo minus si leuis sit, & sine incremento & diminutione partis, uelut contracto modicè neruo. Apparet igitur Aristotelem coactum esse à ueritate, ut in Hippocratis sententiam descenderet. Hac autem in parte cum rationes Aristotelis Alemanus ex nostris contradictionibus deprompsisset dissimulato nomine eam sibi sagacitatem ascripsit, ita sumus omnes adeò gloriæ auidi.

TEX. VII.

DE illis autem qui Phasim accolunt adijciam. Regio eorum palustris est, calida, aquosa & densa, imbresq; in eam decidunt omnibus temporibus, & magni & impetuosi. Homines uerò ipsi uitam agunt in paludibus domosq; ligneas & ex arundinibus in ipsis aquis habēt extructas: neque multum inde prodeunt, ut adeant uel emporia uel urbes, uerum nauiculis ex uno ligno fabrefactis, permeant sursum ac deorsum: habent enim fossas ac ductus aquarum plurimos.

» Clarissimusq; Ponti Phasis, dicebat Plinius (li» bro 6. cap. 4.) ideò de his mentionem fecit Hip» pocrates de hoc flumine. Strabo inquit (lib. 11.) » de Colchide regione loquens: Hanc Phasis illabi» tur ingens flumen, quod ortum ex Armenia du» cens, Glaucum in se recipit atq; Hippum ex uici» nis montibus cadentes. Nauigatur autem usq; ad » Sarapanos, quæ munitio urbis habitatores reci» pere posset. Ex ea pedestri itinere curribus uecti, » quatriduo in Cyrum proficiscuntur. Ad Phasim » urbs iacet eiusdem nominis. Colchorum empo» rium quòd ex alia parte amni procingitur ex alia » lacu ex alia mari. Hinc biduo triduoúe Amisum » Sinopem nauigatur. Hæc littora & fluminis ostia » amœnissima sunt, regio fructibus, & omnib. quæ » ad fabricandas naues pertinent opportuna, nam » multa producit ac fluminibus deffert. Mel tamen » frequentius amarum est, sed præcipuè linum, ca» nabem, ceram ac picem gignit, limificium quidem » uulgatum est, nam & in peregrina exportatur lo» ca. Vnde quidam cognationem Colchorum cum » Aegyptijs ostendere uolentes fidem ex ijs captant. » Ab hac gente seu flumine Phasianus dictus est, » auis locupletum mensis familiaris.

Regio eorum palustris est. Hoc est maius, quam si dicat paludem habet uicinam. totam enim palustrem esse uult: hoc ad magnitudinem effectus pertinet. Sed cum palustrem dicat aquam docet esse immobilem. Post subijcit calida. Declarat, non adijcit calida, aquosa & densa. Palustris aquosa est densa plantis, non eadem omnibus displicent: paludibus proueniunt plantæ, & maximè certi generis, præcipuè salix, populus, culnus, ex herbis plantago, coronopus, scordion, ranumculus, sphondylium, eleoselinum, pentaphilon, uerbena, tussilago, hydropiser, cyperus, typha, iuncus, nymphea, lotos, colocasia, oriza, tribulus, oleander, adianthum, & multæ aliæ, his densa fit species loci, & calida, tum ob uapores assiduos qui ex putredine quadam cœni ascendunt, tum ob impedimentum uentorum: sed dices, cur ualida est regio, cum sit potius tecta à meridie (3. Asiæ Tabula.) Mosthicis montibus, ab oriente Molthicis, quam à septentrione uel occidente? Dico quod ut à Ptolemæo colligitur (2. Asiæ Tabula.) Colchis regio cuius pars meridiei exposita est, Phasiana contegitur à septentrione Coracе monte, ab occidente palus adest Mæoticæ.

Imbresq; in eam decidunt. Ponit tria, magnos imbres, & magno cum impetu, & omni tempore: & trifariam hoc causam habere potest, seu ut paludosa sit quia imbrifera: seu imbrifera quia paludosa, seu ut neutrum sit, sed annexum alterum alteri. Ex mari multos imbres, ex arida nullos generari, constat: igitur ex paludibus etiam generabuntur, & maximè propinquâ maxima alia palude Mæotidæ. Sol etiam tepidus qui eleuat & non spargit, causa est, facilius etiam est dicere quod talia fiunt generaliter quam in hoc loco, nisi locum eum diligenter perspexerit. Ergo quod pluuiæ faciant, aut conseruent paludes, paludes uicissim pluuias, iam puto exemplo mauis declaratum esse ab Aristotele, & authoritate confirmatum, & ratione qua constant. (2. Metheororum cap. 2. & 3. iuxta finem.) Quod uerò paludes sub montibus cõsistant & illud paulò ante. (1. Metheororum cap. 14.) Iam paludes non consistunt ubi defluxus locum habeant, uelut inter montes ubi uallis adiaceat, coguntur enim in riuos aut torrentes fossis excauatis, ut in Aegypto paludes Nili, et in Italia, unde multi magnas opes exiguo labore sibi parauerunt: nec ulla res ad opes honestè parandas promptior quàm siccare paludes præcipuè syluosas: nam sunt quædam aridæ atq; maleficæ, ubi siccatæ fuerint, aut

siccis

ſiccis locis inducere aquas, uel in montibus inueniſſe metalla: præcipuè argentum quod frequentius contingit quàm de auro, præſertim in Europa, & plus ualet cæteris metallis dico auro excepto. Cum ergo paludoſa ſint quæ circa Phaſim, nil mirum ſit adeſſe pluuias, et ob pluuias manere paludes & locũ fluminis regione eſſe elatiorem, aliter effunderetur omnis aqua breui in Mæotidẽ paludem, ex illa in Pontum, ex Ponto in Aegeum mare, ex Aegeo in Siculum, quod eſt profundius, ex Siculo in Sardoum & Tyrrhenicum, quæ ſunt profundiſſima, aliæ autem altiora, ut habetur ſecundo Metheororum. Recitat aũt Polybius (cap. 1.) ſua ætate Mæotidem paludem iam concreuiſſe ut uix nauigia admitteret aquamq; penè dulcem, ut quæ in Ponto Euxino media ſit tanto dulcior ea quæ noſtri maris quanto paludis ſalſa magis. Sed & idem author Pharum Siciliæ iuxta Rhegium M D paſſibus diſtare, nũc uidetur Pharum Rhegio nõ è regione eſſe diſtareq; paſſ. M. utrinque, mare autẽ Tabachum, quod olim Ponius Euxinus uocabatur, inſulam unicam habebat quam Heroum ſeu Achillis appellabant, teſte Tyrio Philoſopho (Quæſt. 27.) è regione Iſtri, ut nunc plures ſunt in eo iam inſulæ. In palude autẽ olim una inſula quæ dicebatur Alopecia, forſan à uulpium copia uel forma ipſius, uerùm nũc tota refertа eſt inſulis, quanquam paruis cum illa una magna eſſet: ſed tamen hæ multitudine ſuperant illius magnitudinem, ut uideatur terra inclinari, ſeu motu quodam ſimili ſtellarum, & tardo admodum, ſeu quod fit ut in aqua ſphæra reuoluatur, id tamen minus ueriſimile: ſeu abſumptis ab aqua & calore terris inde ex aduerſo reſtitutis ob abſidum motum. & ſi concentrici ſint orbes ob longiorem moram & Solis & Planetarum in una medietate ſigniferi quàm in alia. Ex his autem conſtat Italiam intra V. M. annorum ſpacium mari mergendam, qua parte magna Græcia eſt. Hæc ad aerem tranſit modo ad homines.

Homines uerò ipſi uitam agunt.] Hæc eſt ſecunda pars ex quatuor quibus probat uitam illorum eſſe quo ad ſanitatem miſerrimam deducta ab habitatione & exercitatione: nam uehuntur ſolum nauiculis, & fraudantur commodo exercitationis quod eſt multiplex. Intereſt autem ſcire exercitatio, ſecunda igitur de Tuenda ſanitate, dicit exercitationem eſſe motum, quo reſpiratio mutatur: eum, laborem ſolet Hippocrates appellare: cuius ibi enarrat tria commoda, membrorum duritiem, caloris incrementum, ſpiritus concitatiorem motum, ex quibus multa alia bona proueniunt, non ergò in nauiculis illis exercentur, tametſi aliquo modo corpus turbetur, ut quarta Aphoriſmorum (14.) & aeri nouo occurrant exhilareturq; mens & uiſus, dicebat igitur quod exercitatio confert utentibus lentis & craſſis cibis, non tamen à cibo per accidens (primo de Aliment. 1ac. cap. 2.) & in malis cibis conciliando longos & profundos ſomnos, quibus cibi concoquuntur. Propterea dicebat in libro (cap. 3.) de Cibis boni & mali ſucci. Qui commodum non habent ut ſe exerceant, abſtinere debent ab omnibus cibis lenti & craſſi ſucci. neque etiam urbani, id eſt homines qui ciuilem uitam agunt, quoniam facile in dextri hypochondrij grauitatem aut ſaltem tenſionem incidunt. nihil ergo peius. quod cum illi uiri uix uitare poſſent, conſtat infida ualetudine ſemper uſos, quanquam in hoc ut moderatam & æqualem & nullius ſumptus, aut curæ laudauerit eyercitationem paruæ pilæ, ego prætulerim longè tum quod etiam decentior ſit atq; honeſtior illa quæ fit cum ſphæruelis ex ebore in abaco cum phiteris, ſe tænijs, & ferreis circulis, de quibus alias etiam locutus ſum. (cap. 2.) Dicebat in libro de Conſuetudinibus, (cap. 4.) ſingula membra fiunt ſolidiora & robuſtiora quæ exercentur, (Idem ſecunda Aphoriſmorum 49. de Singulis partibus) nec ſolum membra robuſtiora euadunt, ſed & mens & animi uires, ut de memoria, ingenio, imaginandi ui, ratione, cogitatione, iudicio. quod etiam intelligendum eſt de ſenſibus ipſis uiſu, auditu, olfactu, guſtu: ſi enim exerceantur fiunt acutiores & meliores. Specialiter autem docet primo de Tuenda ſanitate (cap. 8.) qui nam motus cuique infanti expediat. Dicit ergo ubi primum obrepere cœperint, id eſt poſt quadraginta dies plerunque cunis & ulnis non ante ſunt exercendi: à tertio & quarto anno uentriculis & nauigio modicè: à ſeptimo etiam autem equitatione. Dicit uis uidere quanta ſit cognatio naturæ noſtræ cum exercitijs, conclude pueros loco aliquo, diſcurrent ac laſciuient, pullorum & uitulorum ritu. quanto magis ergo iuuenibus de quibus dubium non eſt. Senibus magis etiam expedirent ob excrementa multa, ſed neque ferunt ob imbecillitatem, & nocent eis ob ſiccitatem, ob hæc iubet contentos eſſe (libro ſecundo capite duodecimo.) inambulatione & geſtatione, multos etiam qui urgebantur morbis in quibuſdam particulis ob earum imbecillitatem, (libro quinto cap. 3.) gymnaſticæ

artis

artis ope restituimus sanitati atq; robori. Iamdudum uerò docuerat (cap. 10.) quæ nam sint robustæ exercitationes tum mediocres, & robustam quidem diuiserat in ualidam ac celerem: robustæ quidem securior, celer si moderata sit utilior: ita nil ex quaq; parte beatum. Obseruandum autem quod omnia ad mediocritatem comparari debent, ubi salus solùm pro scopo, ubi robur ad ualidas ac celeres transeundum. atq; in his etiam mediocritas quædam seruanda est, ut in tertio docet. (cap. 1.) Semper autẽ memor esto melius ubi delinquere in alterutro uerearis esse, per metam debitam subsistere quã ulterius progredi. Sunt præterea duo genera exercitationis seorsum & propria, quorum meminit (cap. 11.) ibidem, Apotherapia, & Præparatoria, quæ non ob celeritatem & uehementiã calorem excitat, sed habitum etiam constringit. Ostendit autem ut in quinto libro (cap. 3.) ubi supra citauimus, quod celer exercitatio corpus tenuat, tarda crassum reddit, multa siccum, mediocris autem obesum. Dicit ergo (cap. 11.) quod si per exercitationem intelligamus solùm ueram exercitationem, id est motum ualidum, quod illa non est necessaria cuiq;, ut dictum est de senibus, sed si quemuis motum, quòd est necessaria cuiq;: & probat etiam exemplo eorum qui uincti sunt in carcere: licet enim aliquandiu posint resistere per uictus moderationem, tamẽ tandẽ ægrotant. Dico nõ tam ob hoc, quam ob aeris corruptionem. nam constat multos eremitas sine exercitatione ad extremam senectutem uixisse, modo habuerint liberum aerem. Dicebat in sexto de Vulgaribus morbis (Com. 2.) exercitationis proprium est calorem naturalem duobus motibus meliorem reddere, ut per se illius substantia accendatur, & ut copiosiorem aerem trahendo uentiletur, expurgetur ac refrigeretur. Dicebat in tertio de Articulis (Com. 81.) neruæ & fibræ pleniores non solum robustiores euadunt, sed etiam pleniores ab exercitatione, carnes autem extenuatur: at ab ocio carnes quidem pleniores euadunt, sed fibræ non solum molliores, sed magis exiles euadunt, quanquam hoc non addat. Verum dicit caro musculorum in non exercitatis similis est caseo non integrè coagulato: exercitatorum autem integrè & benè coagulato. His igitur omnibus incolæ illius loci destituti erant, sed uideamus iam quid ex domibus parerentur.

Domosq; ligneas ex arũdinibus.] Arundines salubris alioquin sunt, storeis enim arundinaceis munimus portas, parietes solũ ad salubritatem cubiculi, neq; quicquam melius est nõ tantum forte tapeta prosunt: attamen nec quantum oportet aerem maximè noxium arcent, & rimis fatiscunt, adeò ut frigus nõ arceant hyeme, nec æstate calorem. Sed & Vitruuius (lib. 2. cap. 8. iuxta finem.) inquit, Cræticij parietes utinam nõ inuenti essent, quantum enim ad facilitatem utiles sunt tantundem ignibus obnoxij. His ergo omnibus uno auxilio in Anglia, ubi etiam urbium domibus sunt familiares, in crustatione gypsi succurritur. nam neq; fatiscunt, neq; admittunt aerem, neq; ignib. obnoxij sunt: sed tamẽ insalubres sunt, gypsum enim cerebro, pulmoni & cordi ac iecori, tum etiã neruis inimicum est, argenti uiui enim naturam seu plumbi retinet. At uerò illi ipsi etiam hoc præsidio carebant, unde difficillimam uitã ducere cogebant inter tot incommoda. Lapidei autem muri calce & arena fabricati lateritij meliores post silicet, inde marmorei. Vnde diuites Romæ deterius habitabãt pauperibus, quod diuitum triclinia & cubicula marmore incrustari solerẽt. Cæterũ, ut dixi, storeis iunceis nil salubrius. Vtuntur tamen nobiles pannis uarie gatis & nobiliores pictis ex lana & serico qui perpetui sunt. lineis frigidioribus, & sunt parui sumptus æstate meliores quia frigidiores: at nobiles coriaceis, sunt enim longè pulchriores aurumq; & argentum referunt: & pinguntur mira arte. Variegati etiam fiunt ex lana sola aut gossipio obnoxij ualdè teredinibus. ex his nobiliores purpurei: remedium singulis octo diebus excutere puluerem tenuibus & longis uirgulis sed leuiter. Sed & hoc atteruntur: auxilium igitur duplex uelut ex stuppa serici fiant uelut tingantur humore qui blattis non sit obnoxius.

LECTIO LXXVI. SVPER RELIQVO TEX. VII.

Bibunt aũt aquas calidas & stagnantes, quæ & à Sole sunt putrefactæ, & ab imbrium cursu auctę. Ipsaq; fluuius Phasis omnium fluuiorum stagnantissimus est, & qui lentissimo cursu profluat. Fructus autem qui illic nascuntur omnes insalubres sunt, cuirati imperfectiq; præmultitudine aquarum, propterea neq; unquam matureſcunt.

Hoc totũ superius expositum est. Ipsem quẽ fluuius Phasis.] Respõdet (li. 2. com-

2.com. 3.& lib. 3.comment. 2.) tacitæ dubitationi: nam quis dicere posset, non ne relictis aquis palustribus possent bibere ex aqua fluminis dicit perinde est, quoniam ipse fluuius lentus admodum est in cursu, et stagnans propterea aquæ praue sunt. Si quis dicat fluuij lenti non probantur, qui fecerunt præcipites, ut Tigris, & apud nos Abdua crudas habent aquas, qui nam boni ergo erunt, tum cum supra etiam damnauerit aquas fluuiorum magnorum. Dico quod ut superius uisum est, (lib. 3. Tex. 11.) fluuij rapidi si alueum & ripas non habeant cœnosas, clari sunt, sed crudas habent aquas ob id quòd à Sole minimè concoquuntur: lenti autem sunt turbidiores, quia nõ purgatur alueus. & ut breuiter colligam sunt lenti magni, spurco alueo & nitido & lenti parui spurco alueo & nitido & rapidi totidem. Pauca uelox & turbida esse non potest: ut neque multa tarda & lenta, neq; enim alueus purgatur cum sit magnus, & aqua lenta, qualis Phasis. nam & si per se clarus esset à pluuijs deturbaretur, quia plures exciperet. Plus igitur potest uelocitas & tarditas, quam quod sit turbida aut clara, sed in paruis riuis ad claritatem uelocitas: in magnis ut turbida sit tarditas motus. fit autem lentus fluuius, uel ob æqualitatem regionis, uel ob aquarum nimiam copiam, uel ob ascensum quo inhibetur: uel originis humilitatem aut terræ lentorem.

Digressio de motu aquæ.

Cæterum aquæ ipsæ mouentur uelocius in superficie quam in imò quod experimento eorum quæ transferuntur apparet nisi uentus impediat, aut retardet. id autem contingit quod aqua leuior sit in suprema parte. quod enim leuius est supernatat, & quod nullo ibi præmatur pondere ut quæ in fundo est, nam à superiori præmitur, & ate ipse ab aqua motus, mouet aquam uicissim & currente adiuuat, ut etiam lapides funda elisos. Media medio modo. Contra quæ in imò est maiore ui mouetur, & ob id rapit secum lapides & saxa, quoniam præmitur maiore pondere, & ideo quo profundior est, eo ualidior & onerata ob id lentius mouetur, sed maiore nixu obiecta euertit, ut de uiro alium ferente alias diximus, propterea flumina ducunt saxa ingentia, riuuli lapillos ne mouẽt quidẽ. An uerò tota simul, quomodo ergo diuellitur? an partes singulæ infinitũq; hoc erit: totum igitur mouetur, sed ob aerem & loci inæqualitatem sursum emergunt partes grauiores leuiores prouoluuntur, quas sursum ascẽdere postmodum est necessarium, ita uidetur aquæ illæ motus inconditus qui impulsu adiuuatur, per se autem tota aqua unà appetit esse, etsi diuidatur iungi cupit, eadem enim est ratio omnium, quapropter ascendit etiam, ut in Physicis demonstrauimus, his principijs constat fluxus aquæ.

Fructus autem qui illic nascũtur.] Copia aquarum efficit, ut fructus abundent humido aqueo, & ob id ut sint excrementitij, insuaues ac minime cocti. Dicebat Theophrast. (3. de Caus. plant. cap. 11.) Fructus omnium penè plantarũ quæ plus aquæ capiunt deteriores redduntur. Et rursus declarat (5. de Caus. plant. cap. 21.) postmodum dicens, nam et stabilis aqua si arboris magnitudinem excesserit perdet. Vt cum imbres increbuerunt, aut loca inundationibus concreuerunt. Vbi tum posit effluere arbores melius tollerent. (2. de Caus. plant. cap. 7.) Quæ aũt nec occidunt, infirmã reddunt arborem, & ob id etiã fructus deteriores efficiunt. Et similiter nitrosæ et aluminosæ & salsæ obsunt plantis: licet mistæ aliquando utiles sint. Dicit tamẽ (cap. 8.) unũ quod plantæ gaudent aquarum permistione: ueluti pluuiæ cum fontana, & crudæ cum crassa & lutulenta: at uerò ibi aquæ illæ corruptæ oẽs penè sunt. ex putredine enim malum saporem, & tementũ contrahunt. Vt contra dulces inquit omnibus alijs magis plantis sunt salutares. Vult tamen quòd plantæ gaudeant aquarum multitudine indicium sumens ab hoc quòd imbrium copia plerisq; plantis sit utilis: sed hoc distinguit, quoniã si boreales uenti flauerint erunt robustiores, si australes imbecilliores. Sunt tamen quæ magis diligant, quæ minus, ut inter herbas, cæpe, gathyũ, & omnia olera & triticum, dicebat octauo de Hist. plant. & inter arbores uitis. Tertio de Caus. plantar. (7. de Hist. plant. cap. 5. 6. & 16.) Omnia enim illi conueniunt ob quæ larga aqua præcipuè umbribus opus sit fructus multi succi, radix tum rami, qui ab aqua augescunt cum fermè nullus sit eis præstitutus magnitudinis modus: & uir magna incoquendo: est enim robusta planta & assueta multo succo cõcoquendo. ob quæ etiam pratensæ solum amat. Sic & salix & populus & Alnus: sed his fructus nullus consideratione dignus. Ergo sic accipere rem hanc oportet. Quædam plantæ primum siccis locis temporibus gaudent, quibus multitudo aquarum omnino noxia est, ut lut cappares, rosmarinus, anacardus. alijs abundantia non prodest, sed mediocritas earum ut plerisque. Quibusdam utiles quidem sunt aquæ, sed

non

non qualescunque, sed dulces ac frigidæ. pauculis quæ aquas multas & qualescunq; perferunt, uelut nymphea, iuncus, centicula, alga, colocasia, plantago aquatica, tribulus, salix, ac similia, nihilominus etiam illarum fructibus adeo nocet, ut nõ prorsus ferant, aut inutiles: utilibus autem cæterarum exitialis sit.

Nunc de fructibus agendũ est, ut intelligamus quomodo hæ aquæ eos diuersimodè afficiant. ergo fructuum alij dicuntur horæi, alij nuces, alij glandes. dictum est de illis in opere de Tuenda sanitate, (lib. 1. cap. 113. & lib. 3. cap. 96.) sed horæi ut per se peiores sunt, maximè cucumeres & pepones, ita etiam in solo aquoso & tempore pluuioso deteriores efficiuntur: & quæ facilè putrescunt, post hæc ut cerasa, chrysomela seu Armeniaca: & quæ natura præstat contraria aquæ, ut mespila, sorba, pyra, cotonea, malus punica. Inde ficus et uuæ. Post ex nucibus auellanæ magis ponticis, quoniam uermibus magis obnoxiæ sunt: & pistacia post: parum uerò pineæ & amygdalæ, nam hæ uix fermen concipiunt: pineæ nequaquam. putrent tamen ut rancidæ fiant ocyßimè. Glandium uerò paruus usus præterquam castanearum. Et harũ parua iactura est, ni forsan ipso humore fructum exiliorem aut rariorem addant. Omnibus ergo in unum iunctis, aere calido et humido, sed malo neq; perflato (non calido aere & humido bono & perflato nihil melius ad seruandam & producendam uitam) habitationibus rimosis & parum à cœno distantibus, quam causam putant esse quòd Angli adeò frequenter peste sudorifica laborent, ut mirum sit phasianos nil huiusmodi passos, inde exercitationi haud deditos aquas corruptas bibentes & edentes fructus imperfectos, & semiputridos, et quod maximum est acerbos, necesse est ut peßimè corpora eorum omnibus modis afficiantur præterquàm, quod sint parua: nam ubi calor est & humidum incremento non destituuntur. sed & animi languidi cũ corporibus, & reliqua quæ mox subijcientur.

LECTIO LXXVII. SVPER TEX. VIII. ET IX.

AT quæ cum multos aer cum aquis regionẽ occupet, ob hãc ipsam causam, quòd ad formam attinet Phasiani sunt à reliquis hominibus longè diuersi. Sunt enim magnitudine ingenti ac corpulentia ualdè excellenti, neq; iunctura eorum ullæ, neq; uenæ comparent pallidumq; præ se ferunt semper colorem, quemadmodum qui regio sunt obnoxij morbo, loquuntur autem ut si quis alij hominum grauissimè, nimirum aere utentes nõ sereno sed obscuro, et maximè humectato: sunt insuper ad laborem à natura ipsa segniores. Annicq; tempora non uaria habent, neq; ad æstum neque ad frigus permutatione.

Hic reddit causas formæ & habitus horum, & uidetur magis ex quatuor causis in aerẽ quam alia referre: & de colore pallidum arquato similem uelut galbula auis, quæ ictteris dicitur pro tur do magnitudine æqualis, quæ uescitur ficubus dũ matureſcunt tota uiridis ac crocea, quæ dum illi maturi sunt frequenter uisitur alias non adeò uel ab icti, ut Aëtius (lib. 10. cap. 17.) uult, animali quadrupede & est mustela sylueſtris aurij coloris habens oculos: sed non solum uiuerra Latinè dicta aurij coloris oculos habet, sed totam pellem fuluam, ut eam non cognouisse Aëtius uideatur, neq; Alemanus, qui ab eo sumpsit. nam de oculis id commune est omni mustellarum generi & paruæ sylueſtri quam propriè mustellam uocamus, & magnæ sylueſtri, quam uocarũt uiuerram, & uenatur propriè cuniculos: est autem oblonga ualde tenuis corporis instar columnæ, & agilis præ cæteris, adeò ut nunquam quiescat. tertium genus est urbanum quod sub tegulis habitat, gallosis propriè infestum, saltu ualidius quam cursu, & ob id longa & pilosa cauda atque ampla, uiuerra autem non ita, sed neq; saltu multum ualet, ut neq; parua, hæc parum ad rem: sed adiecta ut homines intelligerent, quam obiter etiam antiquè quidam scripserint, sed de Aëtio nil mirum, qui & Aurifaber erat & medicus fuit & Theologus, inde ob hæresim multis etiam ac diu iactatus exilijs. Sed ut ad propositum redeam, maximè huic loco conuenit quod scribitur quarta decima Problematum (12.) dicente, cur qui in nauibus « degũt quamuis in aqua coloratiores sint, quam « qui in paludibus? respondet quod loca commodè « perspirata coloris hilaritatem præbere possunt: « pallidos autem humor efficit cum putrescit, quod « euenire immobilitatis causa solet, quamobrem « sunt pallidi, qui loca paluſtria colunt. Cur autem « neq; articuli neq; uenæ appareant, causa est de uenis paucitate sanguinis, & frigiditas iecoris, ut ui

demus

demus in his qui alba pituita detinentur. Sed & de articulis causa est, quoniam carnosi sunt & addita capitibus ossa minora sunt uelut mulieribus. Mulieres enim & qui eis assimilantur minores habent articulos & minus conspicuos. Alia causa est quòd exercitium auget partes quæ exercentur, exercentur autem maximè articuli quo circa fiunt magni in exercitatis ideoq; conspicui. Et ut uno uerbo dicam eorum corpora effæminata uoluit declarare obscuritate uenarum & articulorum. Et ideo per corpulentiam etiam pinguedinem intelligere oportet. Quæ autem de uoce graui dicit, superius declarata sunt.

Sunt insuper ad laborem natura ipsa segniores.] Conuenit ut qui corpore sunt effæminato, articulis imbecillibus, corpulenti, exangues, & parum assueti exercitationi, ut etiam segniores sint ad labores. qualis enim constitutio tales mores dicebat Philosophus. (cap. 8.)
„ Vnde physiognomia fœmina in unoquoque animalium genere minoris capitis, angustioris faciei,
„ gracilioris colli, pectore imbecilliori, costis minoribus: coxendices, ut costas magis carnosas mariq;
„ habent: genua autem flexibiliora & crura gracilia: pedes uerò pulchriores, & formam totius
„ corporis molliorem potius quam fortiorem, minus neruosa autem sunt & molliora prædita humidioribus carnibus. Hæc igitur est tertia causa articulorum non euidentium. De consuetudine dicebat Hippocrates secunda Aphorismorũ (59. & 60.) quod illa efficit, ut etiam imbecilliores natura melius laborem ferant. Dicebat Galenus nono de Dogmate Hippocratis (cap. 3.) ex Platonis sententia, fœmina est idonea pugnæ & gymnasticæ & musicæ, sed non adeo ut uir. Dicemus ergo hos esse medios: nam et fœminæ ad hoc non consentur idoneæ non solum ob naturam, sed & consuetudinem.

Annicq; tempora non uarias habent.] Huius causa est quòd cum solum sit palustre, & sint prope paludem magnam scilicet Mæotidem, ut non patiuntur magna frigora ob mare ab occidente positam dico paludẽ ipsam & Pontum: neq; calores ob pluuias assiduas & abundantiam aquarum dulcium paludis & fluminis Phasidis. Et hoc contingit fermè omnibus habitantibus iuxta mare. coadiuuat ad hoc natura uentorum: ubi enim plurimum possunt uenti frigidi, uelut Aquilo & Boreas, ibi fit magna temporum uicissitudo: ubi medij & temperati non, seu idem uentus repetatur sæpius seu contrarij, sed in calore & frigore parum dissimiles.

TEX. IX.

VEnti autem eis sunt plurimi aut strini, præter unum eius regionis proprium, & indigenam qui aliquandiu uiolentior ac molestior calidus existens spirat, quem cenchrana patrio uocabulo appellat. Verum Boreas non ualdè ad eos pertransit, quod si aliquando spiret, debilis tamen existit ac ualdè lenis.

Venti omnes natura frigidi sunt ob motum, qui uerò à regione calida ueniunt, uelut Auster et Africus ob uapores sunt calidi, qui uerò deducũt aquas frigidi etiam sunt: sereni ergo & ab austro tepidi sunt, quia uapore constant calido & motu aeris frigido: qui ab eadem regione aquas deducunt frigidi sunt ut Africus, qui ergo à septentrione ueniunt frigidissimi sunt, qui à meridie propè temperamentum tepidi aut frigidiusculi: sed ad hos non perflat nisi uenti australes, igitur regio est prope calorem & sine mutatione. Ratio igitur quare ad illos non ueniant uenti, nisi calidi est, quia regio à Borea integitur Corace monte et Caucaso, qui est Coraci continuus, & è regione illius, sed orientalior, ab oriente autem Molthicis montibus, ab occidente est Pontus Euxinus. sed dices à meridie sunt Molthici etiam montes tum Mosthici? Dico quòd est detecta in quibusdam locis cenchrana tamen flat ab oriente, ut reor ex interstitio montium Molthicorum & Caucasi ramo, qui à septentrione tendit ad austrum.

De natura ergo ac diuersitate & forma eorum qui Asiam incolunt sic habet.] Poterat tripliciter legi, ut etiam superius dictum est (Qui Asiam & Europam incolunt) ut legit Cornarius & Alemanus (Qui inter Asiam & Europam incolunt) & sensus rei proximior est, & Græca litera utrunq; admittit: sed si legatur, ut iacet, sensus est clarissimus ut nil desideretur: & solum subtrahimus (& Europam) quæ aliquis ignarus addidit. Vbi nam enim de Europæis egit, nisi hos inter Europæos constituat, qui neq; moribus neq; forma Europæis assimilantur. deinde in sequentibus longissimam facit tractationem de Europæis, his de Asianis prope nullam, cum tamen Asiam statuat maiorem Europa. Imo ne de uera Asia quidem si hos detrahas,

& ad Europæos transferas uerbum locutus erit. Et etiam Ptolemæus in Asia hos homines collocat. sed & uerba quæ sequuntur non comparationem Asianorum cum Europæis insinuant, sed tractationem de Asianis solum, ut nunc uidebimus, inquit enim:

LECTIO LXXVIII. SVPER TEX. X. XI. ET XII.

QVod autem timidiores, effæminatiores, ac imbelles præ Europæis Asiani existãt moribusq; mansuetiores, tempora ipsa anni in causa sunt, quæ non magnas permutationes faciunt, neq; caloris neque frigoris, sed semper æqualia permaneat. Vnde neque mentes stupore percelluntur neque corpora fortem transmutationem incurrunt. A quibus uerisimile est iram exasperari cognitionemq;, & calorem amplius excitari, quam si semper in eodem statu quis persistat.

Non, ut prima fronte uidetur, comparat, Asianos Europæis, sed tanquam notam utriusq; naturam præsupponens, causam inquirit, scilicet cur Asiani sint rerum bellicarum imperitiores mansuetiores tamen moribus Europæis: Hæc pulchrè Alemanus qui Cornarij interpretationem meliorem effecit, sed in reddendo causam haluciatus est: neq; enim ad calorem aut frigus regionis, sed temporum mutationem hæc refert Hippocrates. Et unus est motus tam in anima quam in corpore, per quem ira exasperatur & calor accenditur. Vnde ut per quietiorem animum minus sunt fortes, ita contra sunt ingeniosiores et moribus mansuetiores. Motus ergo percellit animum & corpus unde fiunt fortiores & ad pericula obeunda promptiores, uerum tantundem stupidiores atq; minus audaces sed prudentiores. Idem uulgatum est, Anima sedendo & quiescendo fit prudens. (.7 Physicorum Tex com. 20.). At dum percellitur sæpe animus fit iracundia, & ex iracundia fortitudo, hoc enim est clarum, quod sæpius calefacto sanguine arteriali qui est circa cor et in corde remanet calidior: & quod animal eo est audacius quo calidiorem habet sanguinem, ut Aristoteles (21. de Partib. animal. cap. 4.) docet, ideò qui sæpius irascũtur fiunt audaces. Et si iam sint natura audaces euadunt furiosi, & hoc modo discès, quomodo ex timido facias audacem. & si illud nondum perspicuum est, quomodo ex mutationibus temporũ corpora permutentur ad calorem, ita ut exasperentur, & ut calor excitetur. Dico quòd mutationes temporum ad calorem & frigus, iuxta Aristotelem prima Probl. (3.) pariunt morbos, igitur cum consuetæ fuerint parient motus humorũ, sine morbo: at ex motu humorum mutantur animi affectus: igitur tempora mutant animi affectus. Sed dices, fateor quòd animi affectus mutant corpora, alij enim præ metu moriuntur, alij præ tristitia tabescunt: quidã ob iram incidunt in febres acutas, & pereunt: fateor etiã quod tempora mutant humores, et quòd abundãtia humorum parit morbos mentis, in libro (cap. 3.) quod animi mores corporis sequantur temperaturam (cap. 7.) & quod uarietas sanguinis in speciebus animalium & homine naturalis est causa uarietatis morum: hoc autem non cõcedam quod mutatio humorum casu facta, possit mutare mores naturales. Propterea dico quod mens Hippocratis est alia quam uideantur uerba præferre: & est quod humores mutati perpetuo cursu multorum annorum mutant temperaturam, ita quòd postmodum per continuam generationem quinascuntur alios aquirunt mores. nam mutare mores naturales sine morbo per solam humorum mutationem est res penè ridicula, sed sic intellecta est uerissima, & præcipuè in plebe, in qua nec ratio multum potest, nec scientia historiarum aut Philpsophiæ moralis. Ideò Galenus uidetur hallucinari circa hanc sententiam Hippocratis malè intellectam.

TEX. XI.

MVtationes enim sunt rerum omnium, quę etiam hominis mentem semper excitant, neque sinunt quiescere.

Alemanus traducit ad admirationem, sed quæ admiratio caloris aut frigoris, res eo non spectat, sed neq; ad naturam ipsam, ut iam dixi, nimis magnum est: est ergo referendum ad prouidentiam, uelut hyemem cum expectamus, cogimur parare ligna, fœnum, triticum, tegulas obducere domibus, uestes. Venit tempus serendi aut inoculandi, quam multa oportet præparare? hæc & si ubi non ueremur has mutationes non sunt negligenda, non tamen adeò solerti sunt cura comparanda. At dices artes nihilominus in Asia, potius repertæ sunt quam in Europa. Septim. Politicorum (cap. 7.) Respondeo quod ob commodum & ingenium

genium inuentæ sunt in Asia & Aegypto magis, quamuis bellica ars, in qua opus est magis fortitudine quam sapientia magis uigeat in Europa.

TEX. XII.

PRopter quas sanè causas imbelle uniuersum Asianorum genus existit, atq; adhuc amplius propter leges. Multo maxima enim Asiæ pars sub Regibus est.

Non obscura est hæc sententia, quoniam qui habitant in locis æqualibus, & ubi non sunt huiusmodi mutationes sunt magis imbelles, quam qui in inæqualibus & ob id in frigidis magis quam in calidis, propterea quòd in frigidis necesse est, ut calor aliquando superueniat, si Regio debet habitari, at non necesse est ut in calidis frigus, quoniam, ut iam dictum est, multæ sunt regiones habitabiles, in quibus calor semper uiget nullo succedente frigore. Et similiter in montibus magis quàm in planis, nam in montibus cum sint frigidiores, sunt etiam magis expositi uentis. Et ob id rectè fecit Augustus, ut narrat Lucius Florus, (in 4. Hist. cap. ult.) qui Tarraconenses Hispaniæ accolas ob illorum feritatem & fortitudinem transtulit ex montibus ad plana, ut ea loca colerent in posterum: ut minueretur eorum ferocia, & ita haberet obsequentes imperio: quod & euenit. Vt enim nulla gens tardius est edomita, ita etiam nulla magis perstitit constantius atq; diutius in Romanorum fide & obsequio.

Atque adhuc amplius propter leges. Dubium non est quin oporteat Rempub. stare aliquibus legibus, aliter latrocinijs tota breui, & indies dissiparetur: Homo enim est animal gregarium, ut uult Philosophus, & propter rationem corruptam non solum est alieni appetens, sed & propter sensus uelut tigrides et aquilæ, quæ alia dilacerant animalia & pisces fermè uniuersi: homines autem & si ob solos sensus hominibus, non essent iniurij (nam & pleraq; animalia fera suo generi parcunt) iniurij tamen essent in rapiendo quæ possiderent alij. At lex est mortua si parere debent homines legi, oporteret legem præesse homimibus, at per se nõ potest cum, ut dixi, res in animis sit: oportet igitur ut uiuat: at ut uiuat sufficere non potest animal aliud ab homine, tum quia intelligere legem non posset, nec exequi nec imperare: oportet igitur hominem aut homines præesse: & tunc aut unum aut paucos aut omnes: non omnes: primum, quia multi sunt inepti ob ætatem, sexum, ingenium, oportet ergo paucos, & tũc uel simpliciter & stabiles & propria authoritate, aut qui fungantur omnium uice, & sint nobiles, aut eligantur ex omnibus, uocabitur autem si omnes præsint, & bonis legibus utantur Respublica, si prauas leges constituant (lex enim est sanctio eorum qui omnib. præsunt) status popularis. Si enim pauci & bonis utantur legibus Aristocratia, si malis, Oligarchia, sin autẽ unus & bonis itidem utatur legibus Rex, si malis Tyrãnus. cum ergo omnem societatẽ necessarium sit in unam ex his sex dominationem incidere, nõ loquitur Hippocrates de his omnibus cũ uelit Europæos non parere ei, sed solum Asianos: intelligit ergo de regia tantum aut tyrannica potestate: Merito igitur querendum est, cur imbelles magis in unum consentiant quam fortes, quod etiam uidemus in quibusdam animalibus, uelut apibus, præcipuè gruibus, etiam ut ferunt et ceruis, etiam forsan elephantes, sanè & tigrides, & lupi conueniunt, unam & in gregem, & sues etiã, sed non uni parent. Sed de ratione carentibus nil mirum, quia difficile admodum esset, ut totus grex uni pareret. Videmus enim oues & capras, & boues, & asinos, parere pastoribus illas, & hos atq; illos opilionibus ac bubulcis, quoniam regere norunt uni, & suo grege minimè: non ergo quia naturà parere nata non sint, sed quia Dux deest. Videtur igitur hoc necessarium, quoniam cum tales homines sint timidi & imbelles obnoxij, sunt iniurijs aliorum præsertim uicinorum, & ideo coguntur in unum. Vires enim coactæ in unum robustiores euadunt, tum per se ut in inanimatis, tum propter ordinem ipsum ut in exercitu. at non possunt magis arctè constringi, quam si uni soli pareant, igitur populi imbelles & timidi in unum consentiunt. quòd & si aliquam iniuriam patiantur, non tanta esse potest cum ab uno proficiscitur, quanta si à pluribus ob hæc igitur populi singuli in unũ coëunt. pluribus autem regibus inter se pugnantibus, etiam plures reges in unum regem inde in tyrannidem, ubi sibi per securitatem uiuere posse persuasum sit, hoc autem præcipuè sex modis cõtingit, primum casu rebellantibus, deinde domitis subditis, ut partim experientiæ audeant, partim odio & ira exacerbati uelint. Secundum ex ambitione cum plus posse se putãt quam possint, quod genus periculosum est. Tertium ex pecunia congregata, ob id Respub. non debet Regem permittere, ut dominẽtur redditibus. Quartum ex militẽ externo: nam tum tyrannidem necesse est cum

externo milite utitur Rex: tum propter stipendia militum, tum ob securitatem, tum etiã ob dißidia quæ inter peregrinum militẽ & ciues exoriri solent. Quintũ ob dißidia ciuium: quæ etiam tyrannidem occupare uolentes ferunt. Sextum cum ab adulatoribus persuadetur: quod genus tyrannidis ut peßimum est pro ciuibus, ita periculosißimum ipsi Principi.

LECTIO LXXIX. SVPER TEX. XIII.

VBi autem non in sua potestate uiuunt homines, neq; sui iuris sunt, sed dominis subiecti, ibi non multi curiosi sunt, quomodo se ad bellũ apparẽt, imò magis hoc caueant, ut ne bellicosi uideantur, pericula enim eis nõ æqualia instat, nam hi in militiam proficiscí laboresq; perferre, ac mortem oppetere pro dominis suis coguntur, relictis interim domi liberis, uxoribus, ac reliquis amicis, atq; siquidem uiriliter ac feliciter bellum gesserint, dominis inde commoda accedunt, eorumq; facultates inde augentur, uerum ipsis præter pericula & cædes nihil demetitur.

Textus est per se clarißimus: non solum nõ cupiunt esse milites, sed etiã qui fortes sunt & exercitati occultant suas uires, quoniam emolumentũ ad reges peruenit, iactura ad ipsos subditos, seu occidantur aut syderentur, seu mutili euadant, seu in seruitutem ducantur, aut spolientur, aut urbs deripiatur, & ager deuastetur, & ægrotent & uxores uiolentur, & filij abducantur, & ægrotent & fatigentur. omnia mala, mala sunt eis, boni & utilis parũ aut nihil. Populus enim Romanus ei qui rem bellicã strenuè gessisset agri sæpe aliquid donabat. ita Curio qui Italia Pyrrhũ exegerat iugera agri quinquaginta septem populo in singulos diuisit. Scipio à Senatu obtinuit, ut singulis militibus, qui in Hispania aut Africa militassent, quot annis à patria abfuissent totidem bina iugera dono acciperent. Præterea armillas aureas & torques & arma argentea. Vnde toties uulgatæ illæ leges Agrariæ, nisi ut hostium ager in ciues ipsos diuideretur? Quo spectabat tot urbes, portus, regiones, occupatæ, nisi ut reditus in singulos, aut tum aut posterum descendentibus eorum diuiderentur? Mos erat præterea ut direptis urbibus, aut acie hostium cæsa omnia in milites distribuerentur, exigua sibi portione seruata: nam Scipio Catinum argenteum solũ sibi seruauit. Patri eius data dos pro filia à Senatu & alteri à Scipionum familia & Fabritio Lucino. Sic Paulus Aemilius ex tota Macedonia opulentia tantum duo uasa sustulit argentea eaq; parui põderis, reliqua, uestes, aurum argentumq;, equi, arma captiui diuidebantur, qui plures accepisset quã Duci exercitus deberetur apud populũ de præda accusabatur. Atq; hodie etiam in nauali bello Duces sibi ex quinq; partibus tres ex lege accipiũt, quartam tyrannide turpi occupant, et quicquid pulchrum est aut gratiosum. In uniuersum omnia omnium sunt sub regibus autem eximia illorum, plæraq; adulatorum & eorum qui domesticis seruitijs sine sanguine et sudore aures Principũ faciles habent. Nostra ætate tria aut quatuor immutata sunt: Primũ seruitus ob Christianam religionem. neq; enim licet Christianum à Christiano in seruitutẽ duci: quæ lex fermè omnium quæ apud nos habentur moraliũ utilißima est: Secundum ut Coloniæ non fiant, quod etiam humanitatis est. & quanquam factum aliquando sit, id potius casu quam uoluntate & lege contingit. Tertium ut spolia quisq; in prælio sibi comparet, et etiam in urbium direptionibus: hæc duo non ut primum nõ tam legibus quam necessitati debemus. nã colonias non deducimus ob inopiam & paucitatem hominũ quæ multis eausis aduenit, neq; licet rapta in unum cõgerere atq; diuidere: quoniam nõ unus populus pugnat, sed colluuies mercenariorum: inde difficile esset referre omnia in cumulũ ex fide, ut possent diuidi. Quartum est quod captiui potẽtes sunt in potestate ducis exercitus, persoluta quantitate pecuniæ, scilicet stipendio menstruo militi qui illum cœperit: loco eius exigit quam tamen uult, licet lege plus non posset petere. Vnde pro redemptione tria precia sunt cõstituta. Iustum quo utuntur Duces, ut dixi, utuntur Duces exercitus contra priuatos milites in occupando captiuos: uoluntarium quòd dux à duce, uel tribuno aut præfecto exigit: mistum seu medium quòd priuatus miles à tribuno aut centurione persolui cogit subijcit autem.

Ac mortẽ oppetere &c. *Inquis posßit sanus mortem oppetere uoluntariam dubium est propter multa. nam qui res non pondere suo metiuntur, nugantur: nã in tyrannis coguntur, & minus malum est subire periculũ honestæ mortis & sine cruciatu lõgo, quam certam cum cruciatu longo & dedecore. & ideò à tyrannis multi transfugiunt ob periculi magnitudinem et imperij accerbitatem: non tam apud eos qui liberi uiuunt. cur*

enim

enim est ut cum uoluntariè ueniant ad militiã, deserta patria, liberis, uxoribus, parentibus, fratrib. ac alijs coniunctis, cum tanta infamia se perpetuo exilio tradant? Et tamen aliqui uel ob amentiam uel iram conceptam cum ducib. uel timore suppliciorum ob flagitia ad hostes transfugiunt. Sed non est de his sermo: quãdoquidem de illis dubitemus, qui sponte periculum mortis pro patria subeunt. Non est ut excusemus de gloria quæ non ad milites gregarios pertinet nisi aliquo ualdè insigni facto, sed solũ ad duces pertinet, quæ neq; etiã tanti esse potest, ut amissa carne, uelut in adagio, umbram sequamur. Nec ut de animi immortalitate agamus, dubium enim non est in illis qui eam credũt, uelut Cæsar (li. 6. de Bel. Gal.) de Gallis, multũ posse. at enim Græci ipsi habebant, quod testatur Homerus multis in locis, induces morituros de inferis lõgos pro occasione breuis temporis serentes sermones. perinde enim est ad mortem fortiter subeundam existimare, & non esse animos immortales, ac si sint eiusmodi, sed Barbarorũ multæ leges neglexerunt, alij dubiũ reliquere, et inter illos qui sub legib. uiuunt, quæ animi immortalitatẽ astruunt plurimi fortes nihilo melius sunt, uelut apud Virgil. de Mezentio, sed ille fugit turpiter, dum in suo sensu mansit, ô q̃ rectè! Excussus ratione ob mortem filij unici, ob desperationẽ mortẽ oppetijt, nec tamẽ scire spe, ut ulciscereturillũ. Cassius quoq; ob desperationem seipsum confecit, ut etiã Lucretius poëta. Constat tamẽ aliquos fortes fuisse, & mortem uoluntariã oppetijsse, quanquam minimè crederent animos esse immortales: sed errore, aut enim ob inanẽ gloria aut desperationem, aut temulentiã furoremq;. Vnde nõ solum opinio immortalitatis animorũ ad fortitudinẽ ciuium utilis est, sed falsa opinio de gloria & temulentia uini & ira concitata ex accusatione hostiũ, & inconsulta temeritas militum & ludi quidam, & persuasio uictoriæ adipiscendæ, maximè ob illorum uirtutẽ, eleuatio periculi: quæ tamen ad errorem et stultitiam omnia pertinent, præter spem immortalitatis animorũ, faciunt ad fortitudinem militiũ. Sed non est disceptatio de errore, neq; exemplo quod etiam ad errorem pertinet, ut neq; de ui tyrannorum atq; necessitate: et etiã de periculo non de morte: has enim tres causas omnino sublatas uolumus uerũ sine his an certa deliberatione aliquis possit absq; sensuum ulla perturbatione ac secluſa animi immortalitate, mortẽ certam oppetere: ut de Curtio dicitur. Sed ille cũ deuouisset se inferis, iã inferos esse sperabat & credidit. Quæstio ergo est solũ de amore patriæ honesto cũ morte pugnantibus. Aristot. (3. Ethic. ca. 9. in fine.) cõ minisc itur causam quandam et ingeniosè ualdè ut solet, & est quod quamuis se intelligat dignũ uita anteponit tamẽ mortem illi, tum quia hæc honesta sit illa non sine dedecore. mauultq; momento uiuere honestè quam diu turpiter fœdè atq; cũ infamia. At satis difficilia sunt hæc si subtilius examinentur. Quis enim ita moritur ut uiuere turpè, mori honestum, & tamẽ utrũq; sit in arbitrio suo positum: si enim mori cogitur fortis dici non potest, quia non uoluntariè mortuũ fuisse dicere certè possumus, si uoluntariè, quæ turpitudo esse potest seruare hominẽ Reipub. qui uiuens iterũ pugnare poterit consulereq;, mortuus nihil affert cõmodi? Sic fugit Socrates è bello, fugit & Annibal & M. Marcellus, ijdem postea multũ Reipub. suæ profuerunt. Cur ergo fortis uiri sit nullo compendio Reipub. mori. mortuus est Paulus in clade Cãnonsi, quia seruari ex uulneribus diu nõ poterat. Sed fac ut mors modo afferat Reipub. utilitatem: cuiusmodi Eleazari Machabæi aduersus Antiochũ Eupatorem Syriæ Regem pugnantis, qui conspicatus elephantũ insigni magnitudine et eximiè ornatũ, ratus ei Regem insidere, per aduersus hostes uiam si peperit, et subiens elephantem uentrẽ eius aperit, ut effusis uisceribus corrueret, ipse uerò opprimeretur, quo casu cum istud non esset Regem interficere forsan tamen cadentem sperabat. id aũt prope amens fuit cõsilium, ut inter tot posset occidere, non tamẽ deerat spes uitæ, uel euasuro per uim aut casu, aut ignoscẽte Rege, ut in Mutio Sceuola. Ergo hoc facto rem cum Antiocho Iudas (Machab. cap. 6.) composuit: fortia enim facta terrent hostes, & illis sunt admirationi. Sed, ut dixi, nullum est tam ingens periculũ, in quo sit salutis spes in fuga, non in pugna licet aliquanto minor. Dicit Solinus (cap. 15.) Thracibus in esse cõtemptum uitæ ex naturali quadam sapientiæ disciplina. Verum & ipsi tamen in animorum immortalitate spem habẽt. Verum ea sublata dubiũ non est mortem etiam spõte posse desiderari etiam in deplorata salute & absq; desperatione. nec deceptis sensibus, nec uanis commentis, sed nõ ob honestum moriendi genus dicã aũt quomodo, & quando. nam nonne præstaret cuiq; maximè extra spẽ filios habendi posito mori ut seruaret multos fratres aut filios, cum hi ad perpetuitatẽ spectent ille paucis annis sit superuicturus: at qui patriam seruat insigni facto atq; exemplo coniunctos longè plures seruat et in spem æternitatis, sed & eorum

quos amat progeniem,et ob id ſocis ſe mori expo nere debeat in hoc caſu. Primum ergo pro patria uel ſuis non inanis gloriæ uano ſtudio:& maximè cum ipſe ſine ſpe fuerit ſuſcipiendorum filiorum: uel cum omnino etiam nõ fortiter agendo adhuc non leue periculum mortis reliquitur. aut ſi uice uerſa ut euadere poſsit ſpes non deeſt. Primũ ergo ſufficit. hæc tria omnino adaugẽt occaſionem,reliqua non carent crimine leuitatis aut ſtultitiæ,adeò ut magis ad uitium quam ad uirtutem pertineant. At fortitudinis non eſt ut uirtutis ſed naturæ donum pudentioris conſilij obiectum periculo fortitudine ſe ſeruaſſe,uelut Lyſimacho leone ſine armis obiecto quem manu & pallio ſtrangulaſſe ferturut imagines metallicæ teſtantur. nulla enim uirtus dicitur cum aliunde præmium quàm ex ipſo facto petitur. Ergo cum plurimum faciat ad hoc quod qui in Repub. uiuunt propter ſe ſubeant pericula, tum etiam illud quod deſcendentibus prouiſum eſt iuſtitia dominante: ut minus mori pigeat,quod etiam teſtatur per Valmrius de Re militari in adhortatione (lib. 12.cap.10.) Annibalis ad milites.

LECTIO LXXX. SVPER TEX. XIIII. ET XV.

PRoinde nec horum hominũ regionem frequẽter habitatã eſſe neceſſe eſt. Imo eam propter inertiã bellicã ac ocium à pleriſq; relinqui. Quocirca etſi quis à natura uirilis & magnanimis eſt ita plurimum eius animus leges auerſatur.

Duas inſinuat cauſas cur regiones Aſiæ ob effæminationem reddãtur inhabitabiles, nam cum ob id Regibus ſeruiant qui molles ſunt, & timidi mortis & laborum impatientes ne cogantur ad ea diffugiunt alio, hanc neceſsitatem pugnandi iniectam ab Hectore inſinuat Homerus (Iliad. 9. ſeu lib. 15.) & recitantur carmina ab Ariſtotele tertio & ſicorum:

Si uerò pugnam quem detrectare uidebo
Is certe nulla poterit ratione cauere
Quin auibus canibuſq; obiectus præda uoretur.

At uide adhortationes Græcorum ducum:

Iliad. 9. ſeu lib. 8.

Num pudor ô Danai,num ueſtras turpia mentes
Iſthæc probra mouent?ſpecieq; et nomine tantum
Mirandi uos præcipuè ſine rebus habentes
Nomina uana ducum: quo nũc recidere ſuperbis
Verba olim iactata animis?

Et quæ ſequuntur plurima ſine minis, quod Agamemnon uoluntariè præfectus eſſet Græcorum exercitui,non regio iure illis imperaret. Et ubi Teucra hortatur:

—Tibi polliceor ſatis ampla datarum
Munera:primus eris poſt me cui præmia larga
Digna feram dextra,tripodemúe duosúe ingules
Cũ curru:aut aliquã te dignã coniunge nymphã.

Tenuis autem adhortationis ſi hiſtoriam mauis quam fabulam,uide apud Xenophontem (lib. 4. de Cyri aſcenſu.) dum in Armeniam tranſit. Altera cauſa ſpectat ad eos qui uiriles ſunt, & fortes deſerunt regionem cum præmia non uideant pro uirtute ſed pro gratia propoſita,aut enim ſuis filijs quemadmodum Antenor & Aeneas indignantur regulis Priami filijs, quam ob indignationem Troia perijt,uel qui adulatores ſint tyrannorum, uel domeſtici longa ſeruitute chari, uel flagitiorum participes: & ſi nullus adeſſet eiuſmodi (quod eſſe non poteſt) cuicunque datur ob inuidiam, uelut Ventidium fraudauit munere M. Antonius Triumuir, quamuis ſibi non alij uiciſſet,& opera ſuæ imperium orbis ſperare poſſet. Cum ergo effœminati ob metũ,uiriles ob indignationem deſerant Principum prouincias.nil mirum ſi deſolentur. At ex regibus tyrannos longa ſerie nepotum naſci neceſſarium eſt, quandoquidem Auguſto omnes qui à ſtirpe ſucceſſerunt tyranni fuerint & ſæuiſsimi. Vbi etiam cohibita fuit per ephoros maximè regia poteſtas apud Lacedæmonios,tamen non multo poſt in Agide & Cleomene inſurrexit impium uotũ imperandi per iniuriã maleq; ceſsit utriq;, ut Plutarchus author eſt.

TEX. XV.

CVius rei magnũ indicium, uel inde habere licet,quòd q̃cunq; in Aſia Græci itemq; Barbari dominis nõ ſubſunt,ſed iure ſuo degunt, ſibi ipſiq; omnes labores lucrifaciũt, illi bellicoſiſsimi omnium exiſtunt. Periclitantur enim ipſi ſibi uirilitatisq; præmia ipſi reportant, ſicut timiditatis ac ignauiæ pœnam luunt pariter.

Duas cauſa effæminationis docuerat in hominibus, unam à natura regionis temperamentum & leges eorum qui ſub regibus uiuunt:hic declarat quænam ſit potentior an natura regionis an lex:& docet quod lex:nam Aſiani qui liberi uiuunt, ſeu Græci ſeu Barbari bellicoſiſsimi erant, quoniam & præmia & iactura erant eorum qui uirtutem

pugnabant. Et urbes quidem Græcorum plurimæ erant in Asia, quarum quædam omnino in seruitutem Persarum regis degebant, aliæ planè liberæ, aliæ mediæ, uelut nunc sub Turcarum Principe Epidaurij, sub Cæsare urbes Germaniæ, quas liberas uocant, Augusta, Argentina, Vlma, Spira, Francfordia, Vormatia, aliæq; plures: & in Italia Luca & Genua sub Philippo Hispaniarum Rege. In Asia uerò, inuitis regibus Persarum, uiuebant Mysi, Pisidæ, Lycaones, ut Xenophon (lib. 3.) in ascensu Cyri author est. Et Carduchi, ut ibidem refert (in fine lib. 3.) cum in montibus habitarent CXX. milia militum, qui ad eos uenerant, ita cæciderant, ut ne unus quidem superfuerit. Vnde pacem rex cum illis æqua conditione fecit. Præterea Chalybes his fortiores & Taochi & Macrones, de quibus supra actũ est (lib. 4.) nam de quibusdam inter reliquos Taochos refert cum saltus se frustra obsedisse intelligerẽt occupatosq; esse à Græcis, mulieres de saxo primum pueros præcipitasse inde semetipsas, post etiam uiros. Cumq; Aeneas Contario Græcus conatus fuisset seruare quendam ex hostibus quòd forma & ornatu nobilis uideretur abeo tractus est in præcipitium.

Hic forsan meritò quis obijciat, nonne sub Homero, tota Græcia sub Regibus erat? sanè, sed non Hippocratis ætate: uelut Argiuis Homeri tempore Agamemnon, Lacedæmonijs Menelaus, atque alijs alij imperabant, sed non Hippocratis tempore, omnes enim fermè populi Græciæ sine regibus atq; tyrannis erant, quoniam altera alteri fauebat. Athenienses, Lacedæmonij, Mantinei, Magarenses, Achei, Argiui, Bœtij, Aetoli, Acarnanes, Cretenses, Cyprij, Rhodij, Lemnij, Chij, Coi, Lesoij, Samij alijq; Phores, tum in continenti tum in insulis. Pugnabant inter se, sed in unum conspirabant aduersus tyrannos.

Quomodo autem militiæ studerent ita omnes fermè liberi non solum à regibus & tyrannis, sed artium exercitatione uiuebant: Cæsar de Bello Gallico (lib. 4. in initio.) dũ de Sueuis agit. Neq; multum frumento, sed maximam partem lacte & pecore uiuunt, multumq; sunt in uenationibus. Quæ res & cibi genere & quotidiana exercitatione & libertate uitæ, quòd à pueris nullo officio aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra uoluntatem faciunt, & uires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit. Neq; separati agri quicquam habent, & infra Germania agriculturæ non studeant maiorq; pars uictus eorũ in lacte, caseo, carneq; cõsistit. Idem fermè Tacitus post CL. annos scribit in libello de Populis Germaniæ: Nec arare terram aut spectare annũ tam facilè persuaseris quàm uocare hostes atq; uulnera mereri. Quoties bella non ineunt non multum uenatibus plus per ocium transigunt dediti somno ciboq;. Et paulo post: Nec enim cum ubertate & amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, et prata sepiant, et hortos irrigent, sola terræ seges imperatur. Eadem de Laconibus fermè Plutarchus in libro cui Titulus est Antiqua Lacedæmoniorũ institutа: Lacones utilitatis gratia literas quidem discebant, sed reliquarum disciplinarum peregrinos nõ minus artifices quam artes expellebant. Iidem neq; agros colebant, sed hoc negocium Elotæ serui exercebant. Author Aristoteles & refert à Rhodigino ne etiam Cretenses qui Periæcis ad hoc munus utebantur (lib. 18. cap. 26.) Romani moderati ut non prorsus neglexere artes omnes sed Agriculturam amplexi sunt, & alias etiam exercuerunt artes modo non sedentarias uelut fabrilem & ædificandi, cædendi ligna, construendi naues, texere autem aut suere mulierum erat officium atq; seruorũ. Quantum uerò referat libertas ostendunt uerba Sexti Ruffi: Sub regibus numerantur anni ducenti quadraginta tres: sub consulibus quadringenti sexaginta septem, sub regibus non amplius quam usq; Portum atq; Hostiam intra octauum decimũ miliarium è portis urbis Romæ processit imperium sub consulibus autem inter quos dictatores aliquando fuerunt, & quæ sequuntur, enumerat Europam penè totam & Africam Asiaq; magnã partem, ut facile sit intelligere quantum profuerit libertas & militia propter seipsos exercita. nam quod subijcit de Imperatoribus adulatoriũ est, cum ad Valentinianum scriberet Imperatorem. satis enim constat in CCCCVII. annis, qui eousq; à Consulibus fluxerat fueratq; sub Imperatoribus uix retentum quantum partum erat: sed pauca accessisse potius hæreditario iure quam uirtute militari parta, tantundem uerò per uim subtractum. Quærat autẽ aliquis ob hæc meritò an uita delitiosa ad militiam sit aptior? Et dicimus quasdam artes propriè militiæ conducere, & ciues oportere, ut in illis se exerceant, maximè pro gregario milite, fodere, currere, saltare, natare, luctari armis meditari, nauigare, uenari, pancratiastẽ esse, equos agere: aliæ artes obsunt quòd eneruẽt corpus, ac distrahãt animum studiũq; incrementumq; retardent: demum quod maximũ est

uita delitiosa animos addit, postquàm ea felicem cõditionem melius est amittere quàm mutare. Ob id uita delicijs plena fortitudinem addit: ars consilium. Id uerò plurimum ad hoc facit quod homines, delicijs dediti generosi euadunt, hi autem fortes sunt. Nihilominus fabrilis adeò militiæ necessaria est, ut melius sit eam exercuisse quàm omnino in delicijs uiuere. Secus qui uitam in delicijs agunt, & laboribus iucundis magis apti ad militiam sunt nobilitatis opinione, odio & contemptu laboriosæ uitæ & exercitationis consuetudine disciplinæq; peritia cui totos se dederunt.

LECTIO LXXXI. SVPER TEX. XVI.

INuenias autem & Asianos ipsos inter se plurimũ differentes, generosiores alios, alios degeneres, quorum omnium causa ad temporũ mutationes est referenda, quemadmodum & in præcedentibus dixi. Atq; sic quidem habet in Asia.

Hac in parte Hippocrates declarat non esse Asianos natura omnes inter se similes. sed natura etiam plurimũ differre. nam de legibus antea disseruit. Adeò ut sit triplex diuisio Asiani ab Europæis differunt natura generali & legibus. Secunda Asiani inter se differunt legibus, quia quidã uiuunt liberi, quidam sub Regibus. Tertia Asiani etiam qui sub eisdem legibus uiuunt inter se natura differunt. Quod in eadem igitur parte orbis plurimæ sint differentiæ, nec adeò magnæ uelut inter Asianos & Africanos, palam est ex quinq; rationibus. Prima, quoniã cum sint diuersæ prouinciæ et magnæ, igitur uel sui ratione uel etiam interpositarũ, necesse est ut una dicatur Australis alterius cõparatione, altera Borealis, uel una Orientalis, altera Occidentalis, uel utrũq;, & hoc magno interuallo, ob Asiæ magnitudinem. Secunda, ut montes qui unam ab alia diuidunt, aut mare aut palus aut flumen, si uni sit à parte Orientis, alteri sint à parte Occidentis, uel si uni à parte Austri, alteri à parte Boreæ. Quantum aũt interfit in his duob. superius multis declaratũ est. Tertia est proprietas loci saxosa, terrea, eminens, plana aut caua, arida uel aquosa aut palustris. Terra simplex, aut bituminosa, fœcundus locus aut sterilis. Huc spectãt proprietates uentorum quorundam & locorum, ut sint sex differentiæ. Quarta est à legibus et consuetudinibus municipalibus, tum religione, uelut Galli pauperes sunt magis subditi nobilibus q̃ Hispani uel Itali: igitur miles legionarius Italus est longè melior Gallo, & Hispanus etiam Italo, quia est liberior: contra Galli equites sunt meliores Italis, & Itali Hispanis. Quia, ut dixi, liberè educati sunt quasi syluestres comparatione eorum qui seruiunt, ideoq; indomiti & ob id pugnaces. Et etiã quia nolunt commutare uitam, sed malũt amittere. Et quoniam satietas uitæ huiusmodi homines facile corripit, ut tam ament sed leui causa, ut etiã pro uoluptatibus eam morti exponant, et ob medietatis rem armorum & exercitationem demum propter nobilitatem. Vltima differentia est in eadem non solũ parte Asiæ sed prouincia & regione urbanorum & rusticorum. Rustici enim plurimum à ciuibus differũt etiam interuallo unius miliaris. Primum propter aerem qui est liber in uilla, inclusus in urbe, ideò caliditatem & frigiditatem magis imprimit, dicebat Oribasius (lib. 9. ca. 5.) Differt etiam aer qui unius ciuitatis sit ab « aere regionis, in primis enim aer ciuitatis à do- « mibus coarctatur, quocirca non secus quàm in ca « uis locis calidior est & crassior. Sol enim aerem « qui non perspiratur continuo calefacit, & magis « accendit, & motus uacuitas crassum reddit, cum « motus æquè ac ij qui follibus perflant, aerem atte « nuet & siccet, Cæterum aer qui ciuitate continetur crassus sit, non solum qui in sese cogatur, ex eo « quòd nullo motu cieatur, sed et eo etiã quod mul- « to tempore in umbra sit, et multo magis quod plu « rima atq; omnis generis exhalationes ex urbe in « aerẽ ipsum prodeunt & fluant: & id quoq; mul- « to magis in ijs urbibus, quæ perspirationibus o- « mino uacant, qui uerò in regione est aer cum te- « nuis purusq; sit, facit ut cibi appetentiores simus, « & melius etiam cõcoquamus, & melius alamur, « & meatus magis fluxilis sint, & sensus nobis sint « integriores, causa est, quia aer ciuitatis cum un- « diq; sit conclusus, tum à multitudine domorum, « tum à tectis superimpositis corpora facit, quibus « succi difficulter digerantur eamq; replet, at qui in « regione est cum latè pateat, & sub dio sit remisse « & dissolutè, id quod superfluit excernens, & le- « ue & probè perspirans, & promptum ad sumen « dos cibos corpus reddit. Dico tamen quod mor « bi quandoque magis sæuiunt in rusticis & uillis quàm urbibus propter tres causas. Prima est ubi pendeant à uentis qui liberius & uehementius operantur in locis apertis quàm urbibus: & maximè si urbes sint ædificatæ ea ratione, ut uiæ non sint rectè expositæ partibus principalibus cœli, quemadmodum nos admonet Vitruuius (libro primo, capite sexto.) Secunda est sum-

mus labor & prauitas ciborum quibus utuntur, unde fallacem dixit illorum bonum habitum. Galenus 1. de Alimentis (cap. 2. pag. 2.) Tertia est insciti a omnium, adeò ut etiam bibāt ob id aquas corruptas, edant herbas uenenosas, et absunt à cõmodis urbanis. sunt etiã rustici magis rudes et magis duri ciuibus ob duritiẽ corporis. Philosophus enim dicebat 2. de Anima (Tex. com. 94.) molles corpore, esse aptos mente (4. Ethic. cap. 8.) Ipsi quoq; ab urbanitate & facetijs remoti sunt, sed serijs tantum operam dant. Et quanquam hoc inter uitia numeretur, est tamen uitium hoc penè uirtuti simile. Constat enim rusticos esse corpore robustos, animo fortes & simplices, & ob id iustiores ciuibus, tum etiã magis temperatos. quod etiam Patritius Senensis in suo 1. lib. (cap. 7.) de Institutione ciuili docet. Et de robore quidẽ ac patientia corporum docet experimentum, et ratio à consuetudine deducta. De simplicitate etiã animi dubium non est, cum à uafris consilijs sint magis alieni. Et si delinquũt id accidit uel ob necessitatẽ, sunt enim admodũ pauperes, uel ob timorem: anteuertunt enim ut decipiant, quoniã à dominis nõ solum decipiuntur, sed & uim patiuntur. sed neq; de temperantia dubitare licet, tum fomenta uoluptatũ illis non adsint. delitiæ in cibis, potibus, ornatu, sumptibus, mulieribus. & de fortitudinis etiam ea parte quæ ad patientiã spectat dubiũ non est, cũ sint durati laboribus. at de ea quæ ad mortis contemptum spectat uidetur Aristoteles ibidem dixisse, motiones ut corporis declarant naturam, ita etiam animi mores. Cum ergo motiones illorũ declarent robur corporis, ita etiã animi atq; ideò fortitudinem: est enim quale in corpore, robur et uirium firmitas, ita in animo fortitudo: unde neutrum est in nostra potestate, uelut iustitia et temperantia: nemo enim iniustus aut libidinosus per naturæ uim est, sed perfractis morib. at timere cõsueuimus uel inuiti. ad bellica igitur munera aptißimi sunt, quod etiã uitæ genus ostendit adeo militiæ conforme, ut nihil magis. Nil mirum igitur similiter omnem nõ solum gregarium Romani ex hoc genere, sed etiam summos duces & dictatores eligebant. Velut Fabritium & Curium Dentatũ. In uniuersum ergo cũ in quatuor principaliter præstent, hi qui parũ in urbe uersantur, sed in rusticis operibus aßiduè degunt, robore corporis, fortitudine, temperantia: & ut sint ueridici, etiam in illis quæ ad hæc consequuntur plurimum ualẽt, uelut iustitia, fide, laborum patientia & perseuerantia, & ut sint humiliores. ita cõtra sunt magis inuidi ob paupertatẽ, & suspicione laborant, ob simplicitatem & magis fieri, non solum ob duritiem naturæ, sed etiam quoniam nemini facessunt negocium. Cætera quæ illis uitio uertũtur talia sunt, ut ad laudem potius quàm ad uituperationem pertineant, uelut parcitas quã importunè diuites auaritiam uocant, & interpretantur, quod sint parũ compti, parum in uerbis ornati, quod cõtemnant honores et artium cupedias, uelut etiam lenocinia uerborum, delitias coquorum, odorũ oblectamenta, quòd facile illis imponatur atq; decipiantur, quòd iniuriam patientius ferãt. cum uerò in aere liberiore degenerẽt pueri, meliores uoces habẽt, præcipuè quorum parentes nõ in summa egestate laborant, idem medicamenta ualida melius ferũt, & etiam ijsdem opus habent, quòd duriores alui eorum sint. Sed quod melius ferãt dicebat Hippocratet sexto Epidem. (Par. 4. Tex. 22.) non satiari cibis & impigrũ esse ad labores: id est eiusmodi robustum efficiunt corpus, tales sunt rustici: sunt tamen breuis uitæ, ut in eodem uolumine testatur, dicens (Tex. 21. Par. 5.) cibaria imbecillia breuem efficiunt uitam. Sunt ergo breuioris uitæ, salubrioris corporis, morbos si qui inuadunt ualidiores experiuntur: & raros quosdã tum ob humorem atrum qui in illis plurimum prædominatur: & ob tarditatem auxiliorũ, imperitiam medicorum, uillicorum laborũ, & uigiliarũ magnitudinem, & ciborũ ac potus prauitatẽ. Sunt aũt tales longi in cõpositione plerũq; informes, uarij & fermè insanabiles oẽs. perferunt igitur medicamenta ualida, & præcipuè montani ob uẽtos quì corpora siccant, & lapidũ naturam, & cibos qui plerunq; sunt ex castaneis, & sæpe etiã ex glandibus. Sectione aũt uenæ minus egent, si nõ sit propter labores importunos, & copiosas multo minus perferũt ciuib. ob sanguinis paucitatẽ quæ eis adest ob cibos qui parũ alunt, et propter laborum & uigiliarũ excessum: sed circa inædiã cũ sint assueti sæpe & multũ comedere, & paucos habeãt humores bonos, & etiã parũ de sanguine, non habent causam ullã quin nutriatur multo cibo, et sæpe & etiã satis nutriẽte. nec est alia causa ut perferant cõmodè inediã, nisi parua resolutio quæ in illis cõtingit ob densitatẽ texturæ corporis scilicet nõ solũ cutis sed etiã membrorũ: ideo cura per epicrasim magis cõuenit in illis q̃ in urbe degẽtibus, quãuis semper in acutè febriẽtib, cura per epicrasim sit explodẽda: et nõ sit cura sed ueneficiũ. sed ubi morb. extẽditur ultra uiginti dies, et præcipuè ad quadragesimũ, et ultra tũc tales præcipuè hoc

curandi

curandi genere indigebunt. Alemanus autem hoc in textu ea scribit, quæ ad propositum faciunt. nihilominus cum sint transumpta ex Ptolemæo in secundo Apoteleſmatum (Tex 16.) ideo nobis ad ea relegasse lectorem sufficiat: non solum enim diuersitatem morum Asianorum iuxta quadrantes ibi describit, sed illorum naturam animi aptè depingit.

LIBER VII.

LECTIO LXXXII. TEX. I. & est initium septimi libri.

IN Europa uerò genus hominũ est Scythicum circa Paludem habitãs Mæotim, quòd à reliqs gentibus maximè differt, Sauromatæ appellãtur. Horum fœminę equites sunt, arcubus utuntur, ac sagittas iaculantur ex equis, cũ hostibus congredientes dum uirgines existunt; neq; deuirginantur prius quàm hostium tres confecerint: neq; prius mariti cohabitant, quàm sacra Deo patrio more fecerint. Quod si qua sibi uirũ acceperit ab equitatu libera est, nisi necessitas cogat communi expeditione omnes exarmari.

Non de proprijs Scythis sed Sauromatis uidetur Hippocrates hic loqui, tum maximè ob uerba quæ adijcit (circa paludẽ habitans Mæotim) quorum mores atq; naturam describere propositũ est ei. Interpretatur Sauromatas lacertorum oculos habentes, quod præter etimum uix ullum retinet sensum, Græce tamen uidetur ijdem qui & Sarmatæ Latine. Apud Strabonem (lib. 11.) constat Sarmatas duplices esse Mæoticos, qui minus sunt Boreales: & Scythicos qui ad Polum magis tendunt. Confusa est ratio ob multitudinem gentium, qui sub eo nomine comprehendũtur. Olim cõuenire soliti in Dioscaria urbe principali, quæ ad initium Phasidis fluminis sita est, quasi media eius isthmi (si modo isthmi nomine dignum est interuallum tam latum) quod interiacet Caspium mare Pontumq; Euxinum, dicta Dioscurias, quòd Tyndaridis dedicata esset. sed neque nunc de his propriè agere uidetur, uerum potius de Amazonibus. Constat sanè tamen floruisse Amazonas, quandoquidem ad tempora usq; Alexandri Magni peruenerunt, quo antiquior satis fuit Hippocrates. Quæ igitur conueniunt sunt abscissa mamma dextra, & uirgines in prælia equitando prodeuntes. Sed has tamen iunctas uiris facit Amazonas, referũt mulieres fuisse equidem belligeras, sed sine uiris, Nostro tempori Amazones nõ sunt Sarmatæ plures superq; quos partim Moschouitas, Russos albos & nigros, & esse uolunt. Herodot. (lib. 4.) has etiam describit, & ex Asia pulsas in Europam uenisse, et sedem ob pulchritudinẽ meruisse apud Sauromatas & Pontum Euxinum. Thalestriamq; earum Reginam ad Alexandrum Magnum uenisse concipiendi causa. quæ omnia Strabo refutat, et uana esse credit. cum uerò probabiliorem ponit opinionem illas citra Ceraunios montes, Caucasi ramũ. Gargarenses ultra eos ponit, at inquit existimare illas tam acres in pugnando fuisse, gentes è proprijs sedibus expulisse, urbes condidisse, nil aliud est quàm dicere uiros in fœminas. fœminas in uiros commutatas. quæ res propior est fabulæ quàm historiæ. quod autem dicit Hippocrates, hic longe distat ab his, & multo uerisimilius est, ut in sequentibus uidebimus. Situs igitur est qui à Ptolemæo (In 2. Asiæ Tabula.) ponitur ad Ceraunios montes, inter ramos Rha fluuij & Ceraunios montes, sed ultra scilicet orientalior nostra ætate, ubi Chippiche scilicet intra Volgam & montes dictos, nam Volga idem est fluuius dubio procul, qui & Rha antiquo tempore, & alio nomine nunc Edes Satira lingua dicitur. Differt tamen descriptio Ptolemæi (in decima noua Tabula.) ab ea quæ est Strabonis & illorum qui Ptolemæo figuras addiderunt ab ipso Ptolemæo, quoniam corruptores sunt non castigatores. Scripserunt de Sarmatia satis uerè & diffusè Matthias Amichon & Sigismundus Liber: uerum de Scythis nunc sermonem instituimus. Duplex est intra Imaum & extra, de quibus sexto libro (Tabula 7. & 8.) agit, nominat illius interioris urbem principalem Alpabotam, & aliam Dauben, extra autem tres, Auracian, Cauranam & Setam. & licet quinq; tantum nominauerit urbes in ambabus. In interiore tamen Scythia quadraginta numerat gentes, in exteriore autem septem tantum. non quia hæc minor, cum sit longè maior, sed ut minus nota. Et Parthos fuisse Scythas absurdum est, cum illi sint in quinta Asiæ Tabula, hi, ut dixi, in septima & octaua: illi septem in regiones diuidantur, habeantq; urbes saltem XXV. hi uero, ut dixi, urbes quinque tantum, regiones autem XLVII.

Præterea

Præterea Parthi sunt australiores Italis, Scythæ longè borealiores. adeò ut inter Scythiam & Parthiam plusquàm uiginti partes latitudinis intercedant. Et Parthi citra mare Caspium sunt, & prope Persidem Hyrcanium & Mediam & Ariam. Dicunt tamen Parthos à Scythis originẽ traxisse, fuisséq; exules illorum, quoniam lingua Scythica Parthus exulem significat. Sunt inter Parthos & Scythas intra Imaum montem Massagetæ, Margiani, Bactriani, Sogdiani, prope incipiũt Iassarti Scythæ, qui sunt australiores à flumine sic appellato penè distante partibus L. ab æquinoctiali. Ad Parthiam positæ sunt portæ Caspiæ inter montes, & ad Assyriam portæ Iagri eodem modo, & ad Sarmatas: at ad prohibendos Scythas nil memoratur, quòd latissimè pateat hæc gens. Vicit Alexander Magnus quosdam, sed excursionem potius quàm aciem: Et Nomades, id est Scythas qui in pascuis inter armenta degunt. Romani ne uidere quidem, cum neq; Parthos imò nec Persas supponere imperio suo potuerint. liquet igitur discrimen quatuor nationum principalium inter se Scytharum intra Imaum et extra. Etenim hi Borealiores sunt, sed qui extra orientales magis & Sauromatũ qui australiores Scythis, tamẽ magis ad occidentem uergunt: et Parthos qui etiã australiores Sarmatis, sed & magis orientales. Sarmatæ Asiani, hi nunc sunt quos uocamus Moschouitas à Moscho flumine, ut Sigismundus Liber author est: sed & Poloni Sarmatæ sunt & Podolia & Roßia alba & rubra & nigra & Mossouia & Prussia & Liuonia atq; Lituania. Ad Scythas autem pertinent Tartari, qui etiã nunc non solum nomine Parthorum intelliguntur, cũ olim essent orientaliores Caspio, uerumetiam inter Caspium & Paludem Mæotim Tartari appellantur. Et tam Scythia quàm Tartari si initiũ sumant ab LXXX. partib. longitudinis à fortunatis extenduntur per CXX. partes saltem, & ita per tertiã mundi. Verũ ibi terræ globus angustus est. latitudo aũt inæqualis adeò ut tum propter ignorantiã locorum, tum morũ feritatem etiam sub æstiuo circulo Scythas extendant, atq; Tartaros. Ego enim Scythas uoco homines, quales ab Hippocrate describuntur, habitãtes in frigida regione ualde plana, sublimi aquis mediocriter referta, qui uagantur, nec habent ciuitates, aut ualde paucas, quemadmodum docuimus. Sunt Scythæ seu Tartari homines lata fronte & carnosa facie, oculis obliquis et concauis, barba horridi atq; terribiles. cæteris partibus ut capite rasi: soli nobiles capillati sunt usq; ad aures, tamen nigerrimis crispisq; pilis, statura sunt mediocri, robusti admodum & audaces, uigiliarum, inediæ patientissimi, & tamen uoraciſsimi ob regionis immensum frigus, sed & ob consuetudinem, ob quam etiã in edendo sunt spurcissimi, adeò ut uiscera boum & equorũ illota, & uix ligno à fece purgata ac calefacta igne, nobilissimi quiq; ita edant ut etiam digitos lingant. hæc aũt consuetudo ex inopia inualuit, quemadmodũ in lupis etiam. Mira in equitando & incredibilis agilitas, nam currentibus illis è terra tollunt sagittas: sunt tam ualde parui. hi uerò radicibus arborum & corticibus uescũtur & ipsi famis & laborum patientissimi, acres et sæui, sed magis sub eorum imperio. Adeò amant uarietatem regionũ, ut filijs dum mala imprecantur dicãt, Det tibi Deus ut uno loco quiescas perpetuo, ut sentias fœtorẽ tuarũ sorditierũ tuiq; ipsius. Nulla de furtis cognitio habetur: sufficit enim dicere ea re indigebam, rapacissimi sunt ac pauperrimi, raptáq; uendunt omnia præter puellas. Raro arces aut urbes obsident, sed neq; si hominẽ occidat aliud à iudice patitur quam ut equo, uestẽ & arcu spolietur, nihilo tamen secius Scytha Scythã non occidit, nisi in regũ discordia ac pugna. Vtũtur sola rerum permutatione inter se, nec nisi pecunia à mercatoribus emunt. Reginæ cũ in publicũ prodeũt facie uelãt. Sunt præterea sæuissimi Scythæ, adeò ut comprehensos senes, aut morbosos pueris dent trahẽdos ad aquas ac mergendos aut sagittandos nõ tam ludibrio, quàm ut ab ea ætate discant esse feri: quæ gentis feritas aduenit natura, cũ sint in regionib. frigidis nati & educati, & ob id calidi et sicci cordis ac cerebri: tum ob consuetudinem eo enim tendunt exemplis, ut Romani olim etiã à pueritia imbuebãtur spectaculis, hi uerò etiã actionibus: tum ob paupertatem & labores; coguntur enim rapto uiuere et multa perpeti quæ cupiunt quasi illi causam præbuerint: in alijs uindicare: tũ ob religionis impietatem, quæ nulla est aut Barbarica: uelut etiam memorantur de ritu illo absurdo in Tauris immolandi hospites, & aduenas, demũ ob stultitiã ipsam cũ enim careant philosophia nil habent iustum aut sanctũ aut piũ, sed supernaturã ferinã etiã malitiam peruersi humani animi addũt. unde referunt Anacharsim cum uersatus inter Græcos & studijs Philosophiæ culto animo uellet humanitatem docere suos Scythas tum inuidia tum insueti moris odio à fratre sagitta occisum. Ex quo etiam perspicuum est quod alias dixi, animam humanam specie esse tandem, corpora autem

esse

esse affecta temperamentis singulorum animalium, & ob id imbuere homines etiam singulorũ animalium mores. Vrbes nobiliores Scytharum & Sarmatis proximiores nostra ætate sunt, Astracha, Caran, Asoph, de qua superius locuti sumus emporium, Achas, Chrym, Campha. Vocatur autem Tartaria seu Scythia, quæ est propior Tauricæ Chersoneso Procopiensis, ubi etiã est Capha.

LECTIO LXXXIII. SVPER TEX. II.

DExteram autẽ mammam non habent. Nam puellis adhuc infantibus matres æreo instrumento in hunc usum parato, igneq; candefacto eam auferunt ac exurunt, ne iterum succrescere contingat, atq; ut omnis uis ac robur in dextrum humerum & brachium deferatur.

Refert usum quem constat fuisse Amazonum, nunc autem mulieres Tartarorum nõ hæc agunt, imo neq; in pugnam ueniunt, qui mos est sanè melior antiquo nam mulier bellatrix multa incommoda affert parum utilis. quoniam & si arcu & claua ualeat cum uterũ gerit: prorsus est inutilis nam iaculando uel feriendo uel currente equo plerunque abortit. Virgo etiam & si forsan non inutiliter discere possit equitare & pugnare, quod hoc quandoque necessarium sit in periculis pro patria, ut mœnia defendantur ab imbelli multitudine, ut olim apud Argos, & nostra tempestate Eunei in Sabaudia, seu agro Taurino: non tamen propter hoc tanta deformitate illas afficere decet & incõmodo periculoq; subijcere ob tam leue et rarum commodum. neq; efferare adeò puellas, ut postmodũ etiam & in prolem, & in maritos sint sæuæ. Fiunt etiam contumaces natura cum iam tales sint, & iracundæ: nec partes suas bene implent: quæ sunt, humaniter tractandi sobolem & prudenter administrandi domum. Miles enim neq; ultro mansuetus unquam erit, neq; prudens. at Scythis cum non haberent, habeantũe domos, sed in curribus, multo minus expediebat pugnare, aut ad pugnam paratas esse. Romanis ac Lacedæmonijs forsan utilius fuisset: Sed non tali auxilio nec defensoribus istis tempus eget. Dicebat ille, utcumq; sit imperiosæ fiebant, quæ audacia ad adulteriũ non parũ, maximè cum serius, facit, quo nihil detestabilius. Sed dices Plato in Critia (pag. 2.) uoluit mulieres ex æquo operam dare militiæ, ut etiam uiros, id duplici argumento ostendens, & quòd Mineruam & deas alias armatas, ut Martem, fingerent ueteres (uelut & Bellonam Romani) hoc argumento significantes non minus uacare debere mulieres bellicæ disciplinæ quam uiros. Et quod in omni genere animalium fœmina non minus masculo pugnax est, & in quibusdam etiam magis, maximè pro sobole, ut ursa. Et quod omnia munia debent esse communia, tam uiro quàm mulieri. Istud idem attigit in septimo de Legib. (pag. 11.) addes aliam causam quã nuper diximus, ut si uiri in expeditionem omnes bello utiles exire cogantur, aut etiam tueri agros ne deuastentur, mulieres mœnia tueri possint, ut mulieres dicit imperent (pag. 8.) uirgines autem pugnent. Prius autem istius quasi loci meminisset magnam esse multitudinem talium cum uiris cohabitantium: non Amazonum inquit supra Pontum quas liquet esse has. Idem in quinto de Repub. (pag. 9.) adducens nouam causam, ut filij uidentes parentes pugnare discant & ipsi: Et antea mulieres non secus ac uiri ad custodiendã ciuitatem idoneæ sunt, sed munera leuiora eis sunt tribuenda. Videtur autem hoc & Philosophus (pag. 4.) ad Socratem traducere secundo Politicorum, sed neq; laudare neq; uituperare. Et forsan si quis rectè consideret cum homo, ut alias docui, non specie tantum (cap. 4. in princip.) à cæteris animalibus differat sed genere, non est necessarium ut illius leges ac mores ab animalibus sumamus, quæ naturæ legem tantum sequuntur, neque propter rarissimos euentus, ut condamus legem. Et si bis aut ter à mulieribus defensa sint in magna solitudine uirorum mœnia. neque etiam sequitur illas fuisse antea in arte militari exercitatas. Et tamen ob necessitatẽ tam bene se tutatæ sunt, quam si fuissent militiæ assuetæ. neq; uiros occiderunt qui reliqui erant, quemadmodum de Amazonibus refert Iustinus historicus (libro secundo post principium.) sed neq; Romani bellicæ rei studiosissimi, neq; Lacones ferocissimi, mulieres suas ad munia belli traduxere, sed potius nimis molliter hi usi sunt eis, ut ab Aristotele reprehendantur. Neq; natura ut in dextra ac sinistra manu tantum discriminis posuit, ut dextra uehemẽtiores ictus inferamus sinistra magis retineamus, in mammis differentiã fecit quam dum illi facere curarunt, non sine ingenti periculo id exequebantur. Is ergo mos feralis erat, ac nunc desijt. Amazones tamen adhuc sunt in Matityna insula antropophagæ & sagittariæ, ut Petrus

trus Martyr Mediolanensis author est (in Epist. ad Cardin. Bembum.) sed & I. Bon. Ier. Oruedus refert iuxta Maragnorum flumen Peru esse gentem maximam instar Amazonum, quæq; sub Regina uiuat, nec ab Amazonibus differre, nisi quod mammam haud exurant fœminæ, sed tamen acriter pugnant. Idem in magno compendio refert indos mulieres multas præcipuè reginas & anthropophagas ire ad bella has exercentes arcum cum sagittis, illas uice coniugum exercitui imperantes. Idem & Fer. Cortesius (Fast. de Indis Mediterraneis in fine.) in Guallacalco prouincia, atq; ibidem refert (in 4. Red.) in Ciquatan prouincia insulam esse, quæ solum à mulieribus incolitur, eadem lege congressuum quæ dicta est in aliis. Volui hæc subiunxisse ne prorsus fabulosa uiderentur quæ hic ab Hippocrate (lib. 4.) traduntur, quæ etiam ab Herodoto referuntur, qui eadem ex præsente loco sustuliſſe & transtuliſſe uidetur. Sed iam medice transeamus, quæ & si non utiliora sunt, his aut digniora tractationi tamen cõsent. nec Proculdubio uidentur. nam & de his in Politicis actum est,

Et principiò quidem instituemus quæstionem de sectione mammæ, qua ætate magis conueniat? iam inclinante ætate certum est periculosiorem esse, & cum creuerint. at dubium est, an ab ipso ortu statim, an post paucos dies, ac cum iam prope septimum annum fuerint. Et certe hoc aliud est quàm infibulare aut circumcidere puerum, ad mammas enim uenæ satis magnæ & multæ prodeunt, & quanto maiores extiterint, sed nerui pauci & tenues & arteriæ similiter, eoq; magis in puellulis, ut author est Vesalius (lib. 5. ca. 68. & figur. 25.) ubi etiam docet multas in adultis esse carnes glandosas, sed in puellis paucas, è regione tamen pupille est glans satis magna, in cuius ambitu sunt multæ aliæ minores: & neruus maior est ex septimo pari spinalis medullæ in interuallo quartæ costæ: ut certè tanta incisio non sine incommodo fiat, ablatis tot glandibus, uenis, neruis, arterijs, amplum spatium etiã occupantibus, quia tamen non sunt membra necessaria uitæ nec nerui nec uasa ualdè ampla & omnia externa, & non adsunt musculi, & locus abundat carne, nec est è regione membri principalis, ideò uacat quasi periculo hæc operatio. Modus autem incisionis erat, ut tollerentur carnes omnes glandosæ.

Qua ætate tria consideranda sunt, magnitudo membri: & iuxta hoc quo citius tanto melius: metus & iuxta hoc etiam à prima infantia: neq; enim habent metum nisi sensuum. Est enim duplex metus sensu sub oculis & auribus per sonos & figuras terribiles, & hic nõ incipit nisi à XL. die. sed post fit maximus inde tanto magis minuitur, quanto & rationalis metus augetur: hic autem augetur usq; ad extremam diem: ergo sensibilis tantundem minuit. Igitur magis conueniret etiam iuxta hanc rationem ante quadragesimam diem. Tertium est robur uirium quod crescit usq; ad ætatem adultam, uerum à septimo minus sunt obnoxij cõuulsioni, ergo post initium octaui anni erat cum minore periculo. timor autem tollitur occulato facto & præparatione. Dolor uero ex uinculis ideo debet uinciri strictè mamma constringendo prius per momentum solum ne locus inflammetur: nam dolor augeretur: & post abscindi & exuri ne sanguis erumpat ex uasis, & ut nerui effugiant periculum conuulsionis, & omne incrementum partis prorsus tollatur. Dicit autem quòd incisio fiebat cum ære: an putas illos caruisse ferro? certe non, sed quoniam æs cum sit calidum non mouet conuulsionem, ferrum autem mouet: secundo quia Philosophus dicit, quod uulnera ex ære facta citius sanescunt. Dubium solum relinquitur de eo quod robustiores debeant euadere ex ea parte brachij cum læsio sit facta in ea, & pars etiam refrigerata. Dico quòd in his qui iam creuerunt locus debilitaretur, sed cum illæ puellæ crescerent & exercerentur, ideo locus trahit plus materiæ pro membro, & membrum, id est humerus & brachium, & musculi eorum augentur: quia sunt in transmutatione, & non habent certam quantitatem, sed sunt potestate tanta, quanta est materia quæ illis suggeritur crescente autem membro, crescit & robur, quia mouetur ab anima, cuius uirtus est infinita, ut declarauimus in libro de Proportionibus, (Propos. 46.) id est tanta ut quanto magis crescit corpus, crescit quod mouetur, eo etiam uis motus augetur, sicut etiam in graui. sunt enim uires animæ mundi. Et ipsa monet iuxta uoluntatem cum sit incorporea, ideo proportio est infinita ad hunc sensum, quia augetur & incremento subiecti, & semper manet eadem. & ita intelligendum est infinitum in comparatione incorporeorum ad corporea: alio modo ut simpliciter intelliguntur tertio modo ut inuicem comparantur.

LECTIO LXXXIIII. SVPER TEX. III. ET IIII.

CAeterum reliqui Scythæ quod ad formam attinet ipsi sibi similes sunt, alij dissimiles, sicut quoq; Aegyptij ipsi inter se, præterquàm quod hi à uehementi calore, illi ab intenso frigore sunt compressi.

Duplicè sensum habere potest: unus quod Scythæ sunt similes inter se omnes, sed alijs hominibus sunt dissimiles: alius quod ipsi Scythæ de quibus nunc agit & sunt prope Mæotidem paludem, sunt similes inter se, alijs autem Scythis dissimiles. Verior autè est prior sensus. Sed in alijs uerbis est dubitatio, quia uerbũ nisi quod excipit debet contineri sub generali oratione, ac si esset sensus, Aegyptij & Scythæ sunt similes inter se, nisi quod hi à uehementi frigore sunt cõpressi, illi exusti à uehementi calore: at hoc est absurdũ, quod in cæteris sint simillimi. Dicas ergo quod Scythæ & Aegyptij sunt similes inter se hac in parte quod inter se cõueniunt plurimũ, licet plurimũ differãt alijs: quamuis in hoc non conueniant etiam plene, quia differentia Aegyptiorum ab alijs est propter calorem, Scytharũ ob frigus. Vnde iure merito quis dubitare posset, quis magis distet à temperato, Scytha an Aegyptius? & dico quod quæstio est alia de propria temperie, alia de temperamẽto aeris, temperies enim calida propria in qualitate stat cum multitudine caloris, si sit naturalis magis quà frigida, præter naturalis autè est deterior, quia corrumpit. cum ergo calor aeris sit medius inter calorem præter naturam & naturalem, ideo magis minuit, & magis corrumpit calorem naturalem quàm frigida: quod etiã innuit Hippocrates in 1. Aphoris. (15. & 17.) & Propterea dicebat Princeps (2. primi Doc. 2. cap. 10.) loca habitabilia calida nigrificant capillos, & crispos eos reddunt in modum piperis & coctionem debilitant. Et cum in eis maxima fuerit resolutio, & minuetur humidum cito adueniet senium. Velut in Abisit. illi enim in XXX. senescunt. Et eorũ corda sunt timida, quia spiritus multũ resoluitur. Et corpora habitantiũ in regionibus calidis sunt magis lenia. In frigidis aũt fortiora & melius concoquũt. quæ si etiam cum hæc fuerint humida abundabunt & carne & adipe, & ideo uenæ & articuli latitabunt in eis: & erunt mollia & alba. ut sunt Belgarum: & dixit hoc ex authoritate Rasis qui sumpsit hoc ab Archigene, is autè per Abisit intelligit Aethiopes quosdam, & addit quod in Germania uiuunt ad centum annos. Sed tamẽ nos docuimus ex experimento, & Aristotele quòd homo in frigida regione, non tantum uiuit quantum in calida, quoniam reliqua non sunt adeo bona, ut fructus qui non maturantur: uuæ & frumentũ nõ proueniunt, aer est impurus, nebulosus, plenus uaporibus crassis & à terra cœnosa prodeuntibus. Nihilominus si calor excedat, quia si prope æquinoctij circulũ sine uentis & aquis currentibus omnia conuertentur in deterius. Erit enim aer densus, terreus, & fructus aridi, nihil uirens, omnia arida, uelut iuxta locum Asphaltidem in Iudæa, in Arabia & Libya deserta, in Manicorgo & similibus. Comparando autẽ regionem non siccam calidam, frigidæ temperatæ. Dicebat Galenus secundo (cap. 8.) de Naturalib. facul. calidã generare bilem, frigidã pituitam. Et in regionibus calidis magis exoluuntur corpora quàm in frigidis, dicebat idem secunda Aphoris. (com. 28.) Quibus propositis nondum liquet, quæ regio sit uitalior ex dictis, scilicet Scythia an Aegyptus? Et dico ex superioribus quod absolutè Scythia esset uitalior, nisi in paucis locis, ubi Aegyptus est perflatus uerum propter multa incõmoda Scythæ absq; dubio minus uiuunt Aegyptijs quod etiam inferius innuit.

TEX. IIII.

VErũ solitudo quæ Scythica dicit̃ in planitie sita est, pratis abundãs sublimis & mediocriter aquosa. Sunt enim fluuij in ea magni, in quos aqua ex campis per riuos deducitur. In hac itaq; Scythæ degunt qui Nomades uocãtur, propterea quod nullas habeãt domos, sed in curribus habitant. Sunt aũt currus ex quibus minimi quatuor rotis, reliqui sex circumagantur. Sunt etiã luto obturati, ac instar domorũ fabrefacti, aliqui simplici, aliqui etiã triplici tabulato. Angusti quoq; sunt aduersus oẽs iniurias aquarum, niuis ac uentorum propellẽdas. Trahũt currus aliquos quidem boum paria duo, aliquos tria, atq; hi cornibus carent cum præ frigore regionis cornua eis non enascantur. In his itaq; curribus degunt mulieres. In equis autem uehuntur uiri. Sequuntur aũt & simul oues, boues & equi. Tamdiu deinde in uno subsistunt loco, dum sufficit ipsis pecoribus pabulum, quo deficiente in aliam

aliam regionem cõmigrant. Vescuntur autẽ ipsi carnibus coctis, bibũtq; lac equinum, commedunt etiam hippacem, id aũt est caseus equinus. Hactenus ergo de uictu & moribus diximus. Temporibusq; anni ac formis quæ reliquis hominibus longissimè sunt Scythiæ genti diuersæ. Ipsa enim sibi inter se gens similis existit, quemadmodũ & gens Aegyptiorũ.

Declarat quatuor quasi repugnantia inuicem de regione Scytharum, primum quod habitent in regione plana, secũdum aquis abundante, tertium quæ pratẽsis sit, quas tũ quod sit sublimis. hoc aũt uidetur contradicere ei quod dictum est, quod sit plana & aquosa: loca enim sublimia uidentur potius esse mõtuosa & destituta aquis, quoniã aquæ ad humillima ferũtur. Ideo Aristot. dicit secundo Metheor. (cap. 1.) quod terra ad Arcticũ Polum sublimis uidetur, & quod ex illa parte plurimi fluuij deriuẽtur. Itaq; situs in hoc causa est, & forsan quia à Sole minime exusta est, et ideo nõ excauetur uelut in medio, non tamen è montuosa, quia non est inæqualis. Montium enim propriũ est ut dicãtur ad ualles, & sint inæquales. Propterea dicit quod est aquosa, quoniam ibidẽ plurimi fluuij sint, quod uerum est, & celebres. Velut Rha, Boristhenes, Tyra, Hypanis, Axiaces, Tanais, Phasis, Charistus, alijq; plurimi, præsertim quæ in Mæotim paludẽ influunt. Cum enim ibi multi sint montes in ambitu, nec à sole aquæ dissipẽtur, par est aquas & fontes, & flumina multa colligi in planitie, nam in montibus nõ possunt flumina ob inæqualitatem colligi. Vbi aũt aquæ abundãt ibi sunt prata, & hoc est quia aqua cum coquitur à Sole generat herbas: & si generat arbores oportet ut sit cocta cum terrea parte crassa, ideo ualidiore calore indiget, & semen indiget ærea, et terrea parte tenui cocta: ergo hic cum calor sit debilis erit regio arboribus nuda aut saltem habebit nisi salices qui sunt proximè herbis, & erunt prata. Vnde cum agri semina ferunt uelut triticũ maximè, ideò non erũt ibi agri sed prata, semina herbarum ex eodem fermè genere sunt, quia leuia. Et hæc est causa quod Germania fert milium & siliginem, non triticum quia pinguius. Et ideo ex tritico nõ ita ex milio fit oleum quod dolores sedat. pingue enim est quoniam granũ est densius & ob id cõcoctum magis duplici causa. Vbi uerò pauca aqua est & locus frigidus generantur arbores, ut in Heluetiorum montibus, & ubi terra plana est & contecta à Borea uel Meridiei exposita, uel bitumen, ut in Germaniæ magna parte, triticum gignit, non ita miliũ quoniam sicciore solo indiget, uelut oriza humido & calido: & tamen siligo similiarior est tritico. Montes ergo qui niue mimia non abundant, nemora, & arbores habent nisi nudi sint. Cum ergo Scythia grano careat coguntur uesci carnibus & lacte: neq; enim fructus habent, & multo minus uinũ, quod feruidiore cœlo indiget etiam quàm triticum, igitur coguntur loco siliginis et tritici uesci carnibus, caseo, loco uini bibere lac quod impromptu est. igitur magnis gregibus iumentorum & pecorum opus habent, ideo monades, id est pastores uocantur: at pastorũ propriũ est uagari, cũ propter greges magnos uagari cogãtur, ideo Scythæ uagi sunt necessario. Et equos multos alunt, quia ab his iuuãtur in itineribus in pugna, & edunt carnes eorũ, & bibunt lac, quod est tenuius etiam asinino, ideo commodius ad potum. Et ob id cum debeant ducere familiã, nec habeant camelos coguntur ducere curribus, & in illis edificare casas, atq; obstruere propter frigus. Et utuntur bobus ad trahendum, quoniã sunt minoris sumptus, & quoniam caro uitulorũ melior est. Omnia per se clara sunt ex textus serie adiunctis his quæ diximus nisi hoc unum.

Cum propter frigus boues careant cornibus, cũ Rhingiferi habeant maiora cornua bobus & solidiora, & sunt proprij regioni frigidiori quam Scythia, uel aquæ frigidæ. Aristoteles igitur secundo de genere Animaliũ docẽs (cap. 4. iuxta finẽ, seu collum 18.) generationem unguium, cornuũ, rostrorũ, ut distinguitur à generatione carnis, & à generatione ossium & neruorũ, ita ut uideatur facere tria genera, generationis partium in corporibus animalium, dicit quod caro generatur ex eo quod resudat ex uenis, & cogitur à frigore: ossa & nerui à calore succedente humore fiunt, dum quod terreũ est relinquitur, cornua & ungues et rostra ab utroq;: scilicet à calore resoluente partẽ humidi inde reliquo à frigore cõgelato. Ideo fit ut caro ob igne dissoluatur, quoniã cõcreta est prorsus à frigore: ossa nullo modo quia à solo calore coacta sunt: cornua, ungues & rostra molliũtur: quia nõ possit resolui cum maneat terreum à quo resolutum est, quod euaporauit: & tamẽ molliuntur non ratione humidi resoluti. hoc enim non potest amplius dissolui sed relinqui. Ideo cũ pars aquea ab igne dissoluatur terrea, dissolui nõ potest nec liquatur, ut caro nec durum manet, ut os adeo ut exuratur, sed molescit quod accidit cum humi

dũ bene miſtum terreo liqueſcit. Et ſi dicas quod oſſa molleſcunt igne, dico quod cum aqua & aliquo quod tenui tenue fit faciat penetrare aquam, aliter nõ, quia ſemper remanet aliquid humidi in miſto. Et illud licet nõ ſit per ſe ſufficiens, ut diſſoluatur ab igne adiecto tamen humido alio liqueſcit. Cornua ergo boum in regione adeò frigida non poſſunt durari, quia ſunt parũ profunda. ut 3. de hiſt. Animal. (cap. 9.) Et eadem ratione in ceruis fœminis deſunt, & capreolis, frigidiores enim ſunt & mẽſibus educitur materia illorum, nõ tamen ob id omnibus bobus ibi cornua deſunt. Et quanquã hæc de bobus ſine cornib. dicat Hippocrates, cui ego tantum tribuo quantũ quiſq; alius, non tamen adeò conſtat, cum in Sarmatia tota cornua habeant, ut Sigiſmũdus refert: nec quod cornibus careant ullibi in Septẽtrione meminit Olaus Magnus de illis agens lib. 17. (cap. 4.) niſi forſan in Scythia ipſa & temporib. Hippocratis, nã & temporum curſu mutantur res, ut in libris de Arcanis æternitatis docui, adeò ut uix dignoſci poſſent: ſed ceſſaret ratio finis quod abſurdum uidetur, aut quia tũ gens illa ſuis bobus cornua præcideret ratione aliqua, utpote decoris uel alia: aduenæ aũt exiſtimarent, illos ſine cornib. natos: aut quod ueriſimilius eſt & perfectè excuſat Hippocratem, quod ex defectu alimenti & iniuria frigoris nõ innati, ſed circũſtantis cum ſub ſereno ſtare cogatur, quia deſunt ſtabula & arbores, ut iã docuit Hippocrates & alij fatentur, qui nũc ſcribũt, qui etiã concedunt ungues atteri, ſed potius etiam glacie q̃ frigore ipſo. Sed tamen ruſtici noſtri aliquando in magnis frigoribus cornua ueſtiunt bobus palea: itaq; credẽdum eſt in Scythia ob frigus tamẽ externum q̃ etiam internũ & alimenti boni defectum boues carnibus carere. nam in maximis frigoribus cum nudæ partes quamuis carnoſæ manifeſtè excidant, ut ungues hominibus per niues iter habentibus, certè bobus cornua exanguia nec die nec noctu contecta ullo modo in frigidiſſima, & maximè uentoſa regione ſtare, potius pro miraculo habendum eſſet quam quòd decidant admirari debeamus.

Ergo ut ad rẽ redeam. Pomponius Mela lib 1. (lib. 2. cap. 1.) quædam ex his confirmat: dicens, Vagi Nomades equorũ pabula ſequuntur, atq; ut illa pecorum durant, ita diu ſtatam ſedẽ agunt. ſed de Hippace eiuſq; confectione hæc ſcripſit (pag. 11.) Hippocr. ſeu eius libri author, ex quo quædam mutuatus eſt Herodotus in 4. de Morbis, lac equinũ in uaſa lignea Scythæ cõcutiunt, illud aũt dum turbatur ſpumeſcit ac ſecernitur, & pingue quidem quod butyrum uocant, cum leue ſit in ſuperficie conſiſtit graue uerò & craſſum deorſum ſidit, quod etiam ſecretũ ſiccant. Vbi uerò cõcretũ atq; ſiccatum fuerit, Hippacẽ eum appellant. Verũ quis obijciat ſi lac equinũ tenuius eſt aſinino, ut Galen. & Ariſtot. dicunt (3. de Alim. ca. 15. in princip.) cur lac equinum caſeum efficit, aſininũ non. nam etiam Galen. (3. de Hiſt. anim. ca. 20.) negat eam partem illi ineſſe, et experimentũ docet nõ fieri caſeum ex aſinino lacte, neq; medici ad hecticos, & tabeſcentes equino utuntur ut aſinino. Et cũ præferunt in cura (14. 3. cap. de cura aſcitis) aſcitis camelinũ quod ſit tenuiſſimũ, equinum in noſtris regionibus eius loco ut tenuitate proximum poſt illud eſſet probandum, cum tamen eius in hac cura nullus meminerit. Propterea res hæc maximam in ratione curãdi dubitationem affert. atq; utinã tam facile foret eam diſſoluere, præſertim cum in illa cura maximã in camelino lacte ſpẽ collocent etiam alij (Raſis 19. contrac. 1. ca. 2.) Dicebat Princeps, quatuor ſunt genera lactis tenuis (2. can. Trac. 2. cap. 442.) camelinũ poſt equinum, inde aſininum et ſuillum, ſed ſuillum eſt crudũ, ideò nullius uſus ad medicina (niſi forſan proprietate quadam) & camelinũ eſt ſalſum, rorẽ tamẽ numerat camelinũ inter purgantia: ſed uult ut cõferat hydropi proprietate quadã, ideo iubet ut æger nil ſumat, ſed pridie abſtineat, ſi poteſt, ab omni potu et cibo, inde ſequentibus diebus ſit contentus ſolum potu eiuſdem lactis. quinimo ſi purgatur uẽter habetur pro malo. uult tamẽ ut urina cum fece ſint maiora, ipſo lacte aſſumpto in pondere, ſed ſi moueat aluũ eſt inditiũ corruptionis. Ergo ut ad rem redeam, dicit quod lac equorũ eſt ſimile lacti camelarũ nouiter fœtarum. ſed debet intelligi contrario modo lac equarum nouiter fœtarũ eſt ſimile lacti camælino, & ideo in proceſſu non eſt adeo utile. lactis genera ſic ſe habent, atq; eodem ordine in tenuitate, & craſsitie camelinũ, equinum, aſininum, ſuillum etiam poteſt camellino, ut dictũ eſt, tenuitate præferri, ſed maximè crudum. poſt caprillum, ouillum, uaccinũ, inde caninum, quod omnib. craſsius eſt. Verum dicit (6. de Hiſt. anim. cap. 20.) quod lac leporis & ſcroſæ craſsius eſt canina, de quo alias diximus (12. contradic. 33.) Aetius (lib. 2. ca. 87.) exiſtimat lac camelinũ eſſe minimè pingue, ſcilicet butyroſum aut caſeoſum. Sed tamen dicit, minime uluo ſecedit, tametſi plurimũ ſere in ſe contineat: at equinũ & aſininum magis mouent aluũ & etiam aſininũ caſei

caſei minimè continet, uidetur ergo ob id equinũ tenue quod aluum moueat. Princeps tamẽ fatetur (Vbi ſupra.) quod lac camelarũ habet minus caſei equino, equinum aſinino, omnia tamẽ habent. Ideo cum apud nos non ſit in uſu caſeus equinus neq; aſininus, id accidit ob copiam uaccini et ouilli, et apud Scythas eſt equinus in uſu ob defectum reliquorum, maximè ouilli. Et ſupplet defectu caſei quicquid eſt butyroſum, adeo ut ex his duabus partibus in unum iunctis fiat caſeus hippace, de quo loquitur Hippocrates, cuius eſt copia ob equarum multitudinem. & quia comedunt equos paulo ante natos, loco uitulorum. Et quoniã aſini non uiuunt in locis frigidis, & in locis calidis temperatis eſt copia ouium & uaccarum, & aſinæ ſunt minores equabus, & multo minus comedunt ipſis, ideo non fit caſeus aſininus, fit equinus. Et equinus habet etiam plus butyri, aſininus caſei, ideo equinus eſt tenuior ut calidior, & minus conuenit hecticis equino.

LECTIO LXXXV. SVPER TEX. V.

Minimè aũt fœcũda ea gens eſt, regioq; ipſa minimas feras enutrit, neq; numero neq; ſpecie inſignes. Sub ipſis enim urſis Ripheisq; mõtibus ſita eſt, unde Boreas ſpirat. Solq; ipſe ſupremo æſtiuo ſolſtitio deficiens proximè accedit, ac tũ quidem exiguo tempore calefacit.

Tria proponit Hippocrates in hoc textu Scythas minimè eſſe fœcundas: Pauca eſſe genera ferorum & ſpecie & numero, & parum inſignes, & cauſam horum. non ſic ſimpliciter intelligere oportet cauſam, ſcilicet ut propter frigus ſolũ non abundent. Plin. lib. 8. (ca. 15.) in hanc ſententiam ſcripſit: Pauciſſima (animalia) Scythia gignit inopia fructuum: pauca cõtermina illi Germania. Inſignia tamen boum ferorum genera iubatos, biſontes. Excellentiq; & ui et uelocitate caros, quibus imperitum uulgus bubalos nomẽ imponit, cũ id gignat Africa, uituli potius ceruiũe quadã ſimilitudine. Quã corrupta omnia exempla antiquæ ſynceritatis, nunc enim bubalum dicimus nec hoc nec illud, ſed bouem nigrũ pilo cornibusq; ferum admodum, aliquanto minorem communi. Forſan ad uſum Germanicum commodius transferri poteſt adulterata natura, ne non adeo inſigni ſit uelocitate. Ergo ut ad rem redeam, defectus alimenti conuenientis non herbarum cauſa eſt, ne nõ matores feræ ſint, paruæ aũt ob frigus non poſſunt eſſe fœcundæ contraria ratione qua in Aegypto. atq; ob id neq; carniuoræ ut luporum, nam leones & pantheræ & pardi, & quæ ex his nõ niſi feruido cœlo ueniunt. Tigrides temperatius etiam patiuntur, ſed plures tamen ubi calor uiget. Vrſi ſunt leones frigidæ plagæ: ſed ob cauſas dictas fructib. potius quàm carnibus ueſcuntur, ſed cur ab eodẽ dictũ eſt. Ideo iuxta uaſtæ ſolitudines ferarũq; multitudo ſimilem hominum immanitatem obſidens, lego obtinens. Plinius (lib. 6. ca. 17.) Scythiæ nõ mine hoc in loco multas regiones etiam ad auſtrũ tendẽtes intelligit, unde Seres quaſi inter Scythas adnumerat: unde inquit, Seres mites quidẽ ſed & ipſi feris perſimiles, cœtum reliquorũ mortalium fugiunt cum cõmertia expetant. mira res cum is mos ad hanc uſq; diem maneat. Igitur & ibi magna animalia naſci poſſunt, & etiam in montibus ſyluoſis nemoriſq; notam adeò multa, ſed alimentum non tam fructicis quàm & fructus arborum tum germina ac ſurculi, & in herbis aſparagi & caules, nam & hi ſed alimentum cuiuſdam, & copioſioris alimenti ſunt folijs ipſis.

Reliquũ eſt ut dicamus cur regio Scythica, non admodũ fœcundos reddat homines, & generaliter hoc docet, ut & ſuperior fecimus docere, nam ſpecialiter in ſequẽtibus locus, ut dicamus. Et primũ quod ita ſit, hoc enim ſupponitur cũ ſit numeroſiſſima gens & hodie, ut dixi, Tartarorũ nomine nota quomodo ergo numeroſiſſima poterit eſſe gens quæ fœcunda nõ eſt, niſi eſſet longæ uitæ, & à bello abſtinerent et recto uictus ratione uterentur: cum nullum illorũ eis adeſſe, & ratione et experimẽto comperiũ ſit. Dico igitur quod cauſa eſt magnitudo regionis: & curſitatio in equis, ſicut dici ſolet de uipere lingua, quæ uidetur eſſe triceps cum ſit una ob motus uelocitatem quæ ſanè admirabilis eſt. Alia cauſa eſt quod non adſunt uiri aut fœminæ, quæ caſtitatem nouerint, neq; in pueritia tot moriuntur aut iuuentute, tum ob aßiduam aeris mutationẽ, tum ob uictus parcitatem atq; ſimplicitatem. Tertia cauſa eſt regio ipſa ſalubris orienti & boreæ expoſita.

Regioq; ipſa minimas feras emittit. Hæc eſt ſecunda pars & ratio ſic conſtat, in ea regione & magnitudine & numero feræ exiguæ ſunt, igitur principium generationis earũ eſt debile, ſcilicet calor naturalis ambienti & cœleſti comparatus. Sol enim et homo generant hominẽ, 2. Phyſic. (Tex. 26.) Sed ſi principia generationis animalium mãtorũ ſunt debilia, ergo nec in homine poſſunt eſſe ualida, tametſi enim homo diffe

rat specie, secundum antiquos ab alijs animalibus imò genere, ut alias dixi, nõ ob temperiem sed modum mistionis, & differentiam ac distantiã ab elementis, non tamen tantũ potest differre temperamento ab omnib. magnis animalib. ut bene proueniat in regionibus, in quibus nullũ aliud magnum animal prouenit. Differũt enim animalia inter se à generatione, et ab homine in quatuor: primũ in temperie, uelut homo est natura calidus et humidus. anguis quantũuis magnus est siccus, si sit paruus, etiam frigidus. Secũdo ob mistionis modũ, de quo dixi alias, ut elemẽta lapides seu metallica metalla, plantæ, animalia exanguia, sanguinea et homines. Et ratione cõpositionis etiam ut anguis habet paruũ caput, est sine pedibus: & homo cõtra, demũ anima ipsa qua homo rationalis est, tametsi sus multũ in trib. prioribus illi proximus plus distat ab eius natura q̃ canis, qui & cõpositione & temperamento illi dissimilior, mistione aũt seu elementorum hebetatione, atq; mutua fractura parest. At dices, 1 Aphor. (com. 15.) frigus ambientis efficit calorem naturalem ualidiorẽ ad omnia opera: dico quod duplex est discrimẽ imò triplex Primum à magnitudine. Secundum à perseuerantia, Tertium ab ætatibus, & sexu à magnitudine, quia ibi Hippocrates, à quo Galenus sumit, loquitur de hyeme in sua regione, cuius frigus primum non est magnum in comparatione ad reliqua tempora. Sicut frigus regionis borealis ad australe, et multo minus in regione Hippocr. quæ temperata erat. Secundum quia frigus regionis est perpetuũ ideo uincit temperiem humanam non aũt temporis Tertio quia frigus regionis uincit calorem naturalem in mulieribus, in pueris, in malo habitu: at nõ in hyeme uel tempore cum alternet. cũ ergo habitantes in Scythia magnũ perpetiantur frigus & assiduè & in ætate puerili, et in mulieribus, in quib. refrigeratur uterus, et dũ sunt prægnãtes, et in curribus degãt incõmodè satis, et plærũq; absq; igne certè cum pauco, necesse est ut animalia ipsa, & magis homines paucam sobolem & obbæsam habeant. Et ob id infœcunda illa gens sit.

Sub ipsis emi ursis Ripheisq; montibus.] Docet hoc ipso tria quod frigus maximum adest ob uẽtum Boream qui spirat: ob solem imbecillem: ob id aũt hæc duo accidũt quoniã sub ursa sunt cœli, & sub Ripheis montibus in terra. Vrsæ duæ sunt in cœlo, maior quã uocant currũ, temo enim pro cauda habetur, mirumq; cur elegerint ursam, quæ natura caret cauda saltẽ oblõga, cum in atris caudam longissimam ei tribuant. Sed hoc fecerunt, quoniam ursi in in ea regione bene degunt. Duarum ursarũ minor longè propior est polo quàm maior. Scythæ igitur tam propè polũ sunt, et utrãq; interiacẽt ursam, indeq; in frigidissima sunt regione. Ripheorũ montiũ meminit Ptolemæus (7. Europ. Tab.) Sarmatiæ Europæ descriptione, quorum latitudinẽ scilicet distantiam ab æquinoctij circulo ponit par. LXIII. longitudinem à Fortunatis Insulis LVII. cum dimidio, dicti à ῥιφὴ, quod est ὁρμὴ seu impetus, ut Seruio in Georgicis (3. Georg.) placet, quoniã perpetuo uenti flant omnes horum meminerũt. Solinus appellat (cap. 25.) Ripheũ iugum. Pomponius (cap. 1.) in 2. lib. Strabo (lib. 7.) Virgilius (Georgic. 1.) quoq; hos in Scythia statuit:

Mundus ut ad Scythiam Ripheasq; arduus iacet.

Potest ascribi h post r ob Græcam dictionem, Latini tamen etiam sine illa solent scribere. Apponunt & ibidem quamuis non Hippocratis Hyperborearum. Virgilius (3. Georg.)

Qualis hyperboreis aquilo cum denssus ab oris.

Dicti ab Hyper et Boreas, quasi quod ab illis Boreas uentus flet, ut etiã Seruio (10. Aeneid.) placet. Horum meminit Ptolem. (lib. 5. tab. 1.) in Sarmatia Asiatica & fluminũ ex eis orientiũ, scilicet Tanais & Rha quem Volgam dici superius affirmauimus, sed posteriores negant hos ex montibus nasci, quin potius Matthias Amichou et Sigismundus ille, de quo supra actũ est ex planitie, quin etiã Sebast. Munsterus (lib. 4. pag. 985.) in sua Geographia negat tales esse montes in Septentrionali plaga. Constat aũt esse mõtes à quibus assiduè spirant Boreæ, & ideò Hyperborei, & à quibus flatus uiolenti defluãt, forsan à posteris uocati Ceraunij, Corace. Ptolem. (2. Asiæ Tab.) hoc modo di

sponit tanquam Hyperborei maximè ad Septentrionem positi tendant ab occidente in orientem recta, Riphei occidentaliores ab orientali septentrione ad occidens meridionale. Hippici quasi æquidistantes sunt Hyperboreis, sed lõgè magis meridionales. æquidistant Ceraunij Ripheis, sed lõgè orientaliores, ut differre à Ceraunijs uideãtur. Corarum aũt mons Hippicis æquidistat & Hyperboreis, cum tamẽ propior sit meridiei. Hæc uolui dixisse ut ostenderem, & esse Hyperboreos & Ripheos, & ubi sint & qui sint, et quomodo uocentur.

tur. nam Alani montes & Scythi Hyperboreos et Imaum interiacent. ergo illi nil habent cum Imao, qui à septẽtrione in meridiem fertur, existimandũ est igitur neq; antiquos neq; Hippocratẽ somniasse Hyperboreos, sed eos esse qui sint ad altitudinẽ poli part. circiter LXVI. longitud. aut LXX. & usq; ad XC. uel eis occidentaliores & è regione Lapponum montes sine nomine hucusq; quod sciam. aut Habauei seu Habuzani, & omnino ad Raßiam albã pertinent, & supra lacũ album, Moschouiæ, et proximi Oceano glaciali. De his ergo ait Plin. (lib. 4. cap. 12.) Pone eos montes utraq; Aquilonẽ, gens felix (si credimus) quos Hyperboreos appellauere, annoso degit æuo fabulosis celebrata miraculis. ibi creduntur (imò sunt) esse cardines mundi extremiq; syderum ambitus semestri luce, et una die solis auersi: non ut imperiti dixere (imò peritiores eo benè dicta ab alijs corrumpit) ab æquinoctio uerno in autumnum. Semel in anno solstitio oriuntur his soles brumaq; semel occidunt (in quo maximè decipitur, est enim tamen media nox sicut in altero altißima dies) Regio aprica felici tẽperie, omni afflatu noxio carens. Domus ijst nemora luciq; & Deorum cultus uiritim congregatimq;, discordia ignota, & ægritudo omnis. Mors nõ nisi satietate uitæ epulatus, delibutisq; senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientibus, hoc genus sepulturæ beatißimũ. Huiusmodi nugis delectata est antiquitas. hinc inde apud diuersas gentes iactata miracula, quæ postmodũ successu temporũ & aperto mundo deprehensa sunt esse fabulosa, et tamẽ adhuc suos habẽt defensores, quæriturq; sæpe non quod non est (hoc enim forsan ferri posset) sed quod nec esse potest. Verũ derat, quòd ego si interfuissem tã pulchræ fabellæ ad conciliandum somnũ addidissem. dormire hos senes in arena inde tãquam uermes reuolutos cortice explicare se denuo in pueros. postquàm enim commentari libet, nil deesse ad uoluptatem debet, quãdoquidem & maiora referat grauißimus ille Plato, qui ubiq; hoc futurum aliquando affirmet. Sed omißis nugis ad seria redeamus. Si quid prope dici potest huic fabulæ, quod etiã uerisimile est ei dedisse originem est Bothniæ regionis mira felicitas & super humanam, ut referunt historici fidem, audiamusq; Hippocratẽ (solq; ipse supremo æstiuo solstitio deficiens) Quomodo deficientẽ appellat qui diu illuc maneat & maxime uigeat? An deficientem dicit qui tamen uel sic debilis sit. nam cum plus illi à nostro uertice distent, quam Sol in solstitio ab æquinoctij circulo, et tum nobis Sol deficiens sit & languidus. hoc enim uoluit significare hoc uerbo τέλων, quasi finiens non enim ultra ad illos seu propius accedit. Quasi dicat in ultimo fine, cum ad eos permeat languidus est, & statim remeat, quo circa illos calefacere non potest.

LECTIO LXXXVI. SUPER TEX. VI.

NEq; uerò uenti à calidis locis spirantes. Valde ad eam regionem penetrant nisi parumper & debilse. Verũ ab ursis uenti procedentes sunt illi perpetui frigidi à niuibus, glacie ac imbribus. Qui nunquã à montibus decedunt. Vt propterea etiam inhabitabiles fiant. Aerq; ipse totum ferè diem nubilus campos occupat. Ipsi uerò in humidis locis degũt. Et ferè perpetua est ipsis hyems, æstas autẽ pauciss imis diebus, atq; illis non ualde multa sunt enim planities eminentiores & nudæ, neq; ullis montibus circumseptę ferè sub ipsis ursis ac cliues. Neque feræ nascuntur illic magnæ, sed quales possibile est sub ipsa terra contegi. Prohibet enim hyems & nuditas terræ, quæ & diuerticulis & umbraculis caret.

Duobus modis incalescunt terræ, propinquitate solis, & aduentu uentorum calidorum, defectu frigidorũ, cõtrarijs maxime refrigerantur: utraq; causa ex his conuenit Scythis, igitur eorum regio frigidißima est, nam sol neq; propius accedit, nec apud illos diu moratur, paulo enim distat minus LX. partibus cum illis propinquißimus est sol, qua in distantia qui ab æquinoctiali sunt frigidißimam habent regionem, & uenti nulli calidi ad eos permeant, frigidißimi autem assidui, igitur regio ea inhabitabilis est: non simpliciter: nam hoc iam negauit, sed commodè inhabitabilis est & aliarum more. Ideò probat secundam partem assumptam.

Verum ab ursis uenti. Ostendit quadrifariam uentos illos esse frigidißimos, à niuibus & glacie, scilicet ueris & autumni et hyemis tempore & imbribus, scilicet æstate & à montibus perpetuò, quia sunt saxei et frigidi, & ob angustiã uallũ, unde magno impetu feruntur, et ob id frigidiores euadunt, sicut de spiritu ex sufflato ex ore & aqua currente. Sed cum hæc clara sint, dubium solum relinquitur, quomodo in sua æstate ca-

dant pluuiæ? & quomodo aqua sit cadẽns refrigeret aerem, cũ uerè ex sententiaq; nostra aqua non sit frigida. Hic quatuor sunt considerandа, primũ effectus ipse ex suppositо, scilicet an si aqua cadat in æstate aer refrigeretur: & ad hoc dictũ est in superioribus (4. lib. com. 2.) quòd in insula B. Thomæ quæ adeò calida est: tamen mensibus Febr. & Martij, cũ cadat assiduè aqua, quãuis sol superfluit eorum capitibus: tamẽ aer redditur frigidus, adeò ut hoc anni tempus appellẽt hyemẽ, & nam ferũt uestes, & uerè est hyems, & multi ægrotant. Vt omnino uel frigus superet calorem, uel saltẽ returdatur omnino calor, quod etiã sufficit Hippocrati: his, cum supponãtur reliqua tempora, hyems, autumnus, uer, frigidissima, si æstas tepida & frigida reddatur ob pluuias necesse erit, ut totus annus sit frigidus, & in prægnãtibus, ut dixi, & pueris calor obtundatur tũ debilib. ac mulieribus, adeò ut non sint fœcundæ, fœcunditas enim prouenit à calore maximè si cũ humido iungatur, sicut uidemus in Aegypto et Arabia felice et Iudæa, et pluribus etiã Asiæ prouincijs his proximis. Et nõ solũ corpora hominũ percelluntur ex hoc, sed etiã animaliũ & segetũ terræ, ac fructuũ, & generaliter omniũ alimentorũ, ut sint pauca et parui alimẽti, et etiã mali. quæ omnia uisa sunt hoc anno M.D. LXVII. Bononiæ, in quo nulla fuit æstas, prorsus, prodigioso euentu, & cũ tota hyeme præcedente abundarunt pluuiæ, et nõ fuerunt æstate, nec uere morbi mali, sed pauci mortui sunt, cuius causam loco suo aperuimus (4. lib. com. 3.) Secundũ est quomodo aqua refrigeret, ut uidemus sæpe ex nostra sententia dato quod non sit frigida, sed temperata? Et dico quod tempestate tẽperata est, quia tamen omnia elemẽta sunt frigida actu & longe magis ad calorẽ nostrum comparata qui excedit mediocritatem, quoniam sunt destituta à calore cœlesti, & magis aqua & aer, et quo magis mouentur & agitantur, & quia magis imprimunt suã qualitatẽ, et etiam quia quæ dura non sunt motu refrigerantur, ut docui in libris de Natura manifestè coniunctis his omnibus simul, et quod frigida sint natura elemẽta quoniam calor omnis, aut est uiolentus & non naturalis, aut à cœlo, & quod tẽperies humana excedat mediocrẽ in calore, et quod in motu liquida refrigerantur, & quod per motũ exuperantem qualitatẽ magis imprimũt pala est, tum ob id quod in pluuia, aqua uehementi motu decidit, pluuiam assiduã præcipuè refrigerare manifestè. Causam aũt cur pluat in illis regionibus, & hoc est tertium reddere non debemus, nisi primum sciamus quod ita sit: quæstio enim propter quod est præsupponit, teste Philosopho (2. post. Tex. c. 3.) quæstionem si est. Dicimus ergo quod iuxta ea quæ tradidit Olaus Magnus Gothus in suo 1. lib. Hist. (cap. 5. & à cap. 14. ad 20. & cap. 35.) rerum Septentrionaliũ Scricfinnos, dicit niuibus etiam per æstatem abundare, & ob id frumento neq; uescũtur, neq; habent sed carnibus ferarũ crudis uitam ducũt. Et hoc etiã perspectũ fuisse, docet Iordani Septentrionalium rerum scriptori antiquo, & Paulo Diacono. Dicuntur aut Scricfinnij à saliendo, quoniã ligno quodã adiuti feras saltu assequuntur & occidunt. Et in illis partibus in hyeme sæpius accidũt tonitrua cum fulminibus, seu ob nimiũ frigus infimæ regionis aeris, seu ob uaporẽ bituminosum cũ terra bituminosa sit, & ideo in illis locis pluuia omni tẽpore uelut & nix. habetur tamẽ pluuia infausta in æstate omni mense præterquàm Iunij: & in Aprili & Septembri habetur pro utili. Adijcit etiã quod nonnunquam uidẽtur Irides quæd. mirificæ, quæ cũ apparent tempestates graues ac noxias significãt, & etiam præter id cædes et bella ac deuastationẽ portendentes, & sub fine ueris solet etiã consequi pluuia sulphurea & odore grauis & specie. Addit circulos multos apparere, & circa Lunam & alios, à quibus & frigora magna & nubes proueniunt. Concluditq; illud dirum esse portẽtum, uer sine tẽperie, æstatẽ sine calore, quæ ambo, ut dixi, hoc anno M.D.LXVIII. experti sumus. Halones etiam hyeme niues, glacies, pruinã, frigoraq; magna portendũt, ut in æstate pluuias & grandines, maximeq; apparẽt circa oppositionẽ Lunæ. Verũ de causa horũ nũc dicamus, per quã et res simul et scientia ipsius rei habetur, audiamusq; Hip. dicẽtẽ:

Et aer ipse tantã ferè diem. Vbi aer est nebulosus, ibi cadunt pluuiæ assiduæ aut niues quoniã à calore ualidiore ascendũt, et in tanta copia tandẽ ut aer grauitus necessario demittat. Et hoc est indicium eius quod dixi, scilicet nõ permutari aerem in aquam, neq; aquã in aerem: at abundant ibi uapores humidi, quoniam solũ est madẽs & bituminosum, ergo loca illa omnia abundant pluuijs & niuib. iuxta rationẽ temporis, nisi cum regio est à meridie, expositа borets continuis qui transferunt nubes & nebulas aliò, etiã contraria ratione Bononia est subiecta pluuijs, nam cũ ueniti boreales fuerint non sublimes semper collectis nubibus ac nebulis, fiet pluuia cõtraria ratione. Erũt ergo in perpetua hyeme occultis modis ob uehementiam frigoris & eius diuturnitatem: ob æstatem breuissimam & minimè calidam: ob abundantiam pruinæ & niuium & glaciei temporibus

poribus medijs,et magis hyemis ob abundantiam nebularũ omni tẽpore,& uentorum borealiũ,ob pluuiarũ & nubiũ copiã & aßiduitatẽ in æstate.

Sunt em̃ planities eminentiores.] Non uult quod etiam testantur qui hodiernis temporibus de his referunt quod sint ibi montes, sed terra nuda arboribus,elatior uersus polum,quod etiam dixit Aristot. 2. Metheor. (ca. 1.) & ideo etiam ob uentos non sunt arbores sed arbusta, & quæ flectuntur,& genus esse rubi & rosarum et uuæ crispæ & berberorum,& ut plerunq; plantæ spinosæ. Et ideo regio illa prorsus est frigida, & quasi inculta,ob niues præsertim.

Neq; feræ magnæ inibi nascũtur.] Redit ad probãdum quod antea proposuerat,nemora & syluæ sunt domus ferarũ magnarum,ergo ubi neq; nemora neq; syluæ sunt,non erũt feræ magnæ.nam arbores defendunt eas superius à nimbis,à lateribus,à uentis,& suppeditant illis uinum per radices & truncos & cortices & folia, quæ cum sint duriora non ita absumũtur,ut folia herbarum & niuibus superstant cum herbæ ab illis obruãtur.ideo præstant feris magnis multa cõmoda,& ad eorum præcipuè catulos tuendos. & hæc per se clara sunt. Sed dubitatur quia assumpta ambo uidẽtur etiam falsa,primũ de nemoribus & syluis:nulla enim loca uidẽtur feraciora syluarum,& maximarum septẽtrione ipso. Quæ enim famosiores,ericinia,baceniana,hircania,et apud Benos,quos uocamus Bohemos,hodie semana,& quam uocant gabretam seu, ut nostris tẽporibus Turingora,et in Sarmatia parte ea quæ Samogethia uocatur syluа eiusdẽ nominis.nam Hericinia adeò famosa est prope Rußiam nigram. Quid de Asiana Sarmatia dicã,nonne apud Tanaim inter paludemq; Mæotim seu Paludẽ Tabach, et prope Volgam seu Rha fluuium in ipsa Scythia,alia magna est syluа,& in Estia & tota Polonia seũ Sarmatia Borealis plena est syluis et maximis:ut etiã apud Teretiuam flumẽ ubi oritur? sed nullibi plures aut maiores quam in ea parte Sarmatiæ, quã nostro tẽpore appellant Lieuaniam:tota enim est plena densißimis nemoribus. Est & famosa illa Heluetiorum syluа,quã uocamus nigram: ob densitatem ita appellata,& est Eremus Eluetiorum. quin nemini cum illorum regionem lustrarem uidisse montes ipsos totos plenos abietib.altißimis, similibusq; arboribus aculeatorũ foliorum,ut pictis & per flumina ex tota Germania trabes immensæ longitudinis & altitudinis deferuntur, ut uidi ipse ego in mare,& per mare Genuam pro cõficiendis malis nauium,quas duo homines quãtumcunq; magni distentis brachijs amplecti nequirent:altitudo uerò tanta quæ fatigat uisum, ne ad arbusta forsan refugias. Quod ad animalia attinet,quæ nam maiora aut robustiora uris bisontibus,ringiferis,alcibus,ursis, quæ omnia septẽtrio mittit. Quin ex bubalorum coriorum crassitie bouum magnitudinem illarum regionum considerare licet. Respõdeo quod in Scythia & regionibus ultra Scythiam ad septentrionem positis, uel è directo eius, ut sunt Lapones & Biarmij, sunt luci arbustorum & frequẽtes,non tamen arborũ: cuius rei & est testis Olaus Magnus: & quoniam nos ipsi hoc idem uidimus in Scotia, ubi non sunt arbores ullæ proceræ. Et ratio Hippocratis hoc demonstrat,quoniã uenti sunt adeò ualidi ut deferant homines,et etiam homines cum equis, igitur cum ea regio sit maritima,quanto ualidiores erũt ex terra,cum iuxta sententiã Philosophi (Probl.) uenti oriantur è terra,& tum magis ob montium fauces:ideò nisi sint arbores è genere uirgulcorũ, scilicet flexiles ut arundines, rubi & similes, quo maiores & crassiores erunt eo citius eradicabuntur:sed ualdè exiles aut flexiles nõ possunt in magnam altitudinẽ per se crescere,et erectæ manere, igitur in his regionibus nõ possunt esse luci arborum. Et dicam quod ego uidi Edimburgi,& non erat altitudo poli nisi LIII. partium, aut paulo plus,& magnus quidam dominus habebat hortũ in quo uoluit alere quasdam platanos obsimilitudinem uitium,nam folio uitibus assimilantur, & quamuis platani etiam iuuenes sint aliquo modo flexiles,attamen nõ poterat illas plantas tueri nisi muris ad arborum altitudinẽ exædificatis. De animalibus concludit ratio Hippocratis ibidem:nam solum eatenus crescũt donec possint abscondi sub arbustis,ideo intelligendũ est de ualde magnis,ut sub elephantes,cameli,boues & similes:ursi autẽ non sunt magni in comparatione harum: leones enim Indici sunt multo maiores,& multæ aliæ feræ. Ad authoritates loquuntur de Sarmatia et similibus non Scythia. & hoc tam de feris quàm de arboribus. Ideo hoc declarato transit ad homines dicens.

LECTIO LXXXVII. SVPER TEX. VII. ET VIII.

PRopter temporũ anni mutationes neq; multas neq; fortes,sed similes semp uel parũ admodũ diuariantes. Vnde & formas corporũ inter se similes habẽt cũ eodẽ utanť uictu

ctu & amictu æstatis & hyemis tempore, attrahuntq; aerē aquosum condensatum, aquamq; insuper bibentes à niuibus & glacie resolutam, nullo etiam corporis exercitio accedente, cum non uerisimile sit corpus aut animum ullis exercitationibus apta fieri, ubi non mutationibus temporum fuerint fortes.

Hyems enim prohibet & nuditas terræ quæ.] *Verba enim illa (neque feræ magnæ) parentheſis ſunt, ideo hic textus debet iungi illis uerbis ſub ipſis urſis acclíues, ut ſententia ſit hæc, gens illa minimè fœcunda eſt, & corpora habet mollia, & formas ſimiles inter ſe, quoniam tota regio frigida eſt admodum, nubiloſa, humida, ſine montibus, ſine æſtate, aut admodum breui: adeo ut etiam paucas habeat feras aut paruas, & non multum inter ſe differentes. Et ſubijcit colligendo cauſas rationem horum.*

Quum eodem utantur uictu & ueſtitu.] *Proponit dictorum quatuor alias cauſas, nam primā iam dixit planiciem ut nō ſubijciātur temporū mutationibus quæ accidunt ob terræ inæqualitatē cum careat montibus. reliquarū quatuor cauſarū prima eſt, quod utantur eodē uictu & ueſtitu æſtatis & hyemis tempore. nam ut iam diximus, adhuc in æſtate frigent. nō enim ut apud reliquas gentes in æſtate coguntur quærere loca refrigerata leuiſſimasq; ueſtes. Sed dices, Olaus Magnus (lib. 7. cap. 19.) ponit magnum diſcrimē inter tempora anni? Et adijcit quod autumno cadunt pluuiæ multæ. Reſpondeo quod Hiſtoria Olai Magni cum ſequatur morem quorundam temporibus noſtris, qui pauca ſcientes multa ſcribere uolunt pro uno ſingulari cognito ab ipſo apoſuit decē ſubrepta ab authoribus antiquis, maximè à Plinio. ut in illa hiſtoria legas totum penè Plinium malè tranſcriptum, & poßis uerè illud Terentianum pronunciare: ex*

Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Ita hic loquitur de ſuis regionibus, quæ multo Scythia ſunt Auſtraliores, nonnunquam etiam de Germanis: nam titulū inſcripſit de Regionibus Borealibus, ſed cum regiones illæ pateant in longitudine totius terræ, ſcilicet partium CCCLX. in latitudine aūt partium XLIII. tantum enim diſtat Noricum Vindelicia & Rhoſia tum Pannoniæ ſuperioris atq; inferioris termini ac Iſter, à quibus Germania initiū ſumit à Polo Boreali. Recentioribusq; Lim fluuius & Draua: conueniunt omnes quod Germaniæ finis incipiat à XLVII. partib. altitudinis poli, & ideo reliquum eſt, ut dixi, partium XLIII. Olaus tamen hoc boni adijcit (lib. 4. cap. 6.) quod in pluribus partibus maximè Noruegiæ et Gothiæ glacies durat ad finem Maij, atq; in fluminibus adeò denſa, ut inſuper illam nundinæ celebrentur: & hoc concordat maximè cum dicto Hippocratis ſic dicentis, quòd non uariant uictum neq; ueſtitum æſtate nec hyeme.

Attrahuntq; aerē aquosum & condensatum.] *Hoc eſt cauſa proprie quod corpora ſint mollia & humida, & ut ſint craſſi & pingues, & humidos habeant uentres, ut docebit inferius. cum enim ſingulo die trahant tum per os & pulmones, tū per nares & cerebrum, & promiſcue ex utroq; ad utrunq;, & per ora arteriarū cutis quantitas aeris aßiduè die noctuq; dormiendo, uigilando, quieſcendo, & maiore etiam copia ſe exercendo, aer ad quantitatem capacitatis uaſis cōtinentis tales homines, quales ſunt qui reſpirāt, nam ſunt quatuor millia ictuū pulſus in hora aut etiam plus, & quatuor ictibus pulſus correſpondeat una reſpiratio, erunt circiter XXIIII M reſpirationes in una die. & reſpiratio una, ut ex ueſica plena colligitur, hauriat naribus et ore ſaltem tantum aeris, quātum contineat octaua pars phiale bilibris, id eſt quæ duas uini libras cōtineat in ſpatiū illud implebitur octo aeris hauſtibus: nonagies hæc phiala uas implet quod hominis corpus caperet deducta inæqualitate: in DCC XX. igitur reſpirationibus tantū aeris trahitur, quantū eſt corpus totū hominis, at ſunt in una die XXIIIM reſpirationes, diuiſo ergo uicies quater mille per uiginti inſuperq; ſepties centū prodibūt XXXIII. & tot menſuræ aeris hominē capientes implebunt, ut ſingulo die præter eum qui circumcirca à ſuperficie corporis hauritur, quoniam id incertum eſt. In tanta ergo multitudine hauſti aeris, & etiam permeatus circumquaque arteriorum etiam ambientis ſuperficiem & per contactum, & tot diebus in anno, & tot antris in uita humana contentis, quiſnam aut uictu, aut medicamentis, aut alia ratione præterquàm ingenitā cœleſtis caloris diſſimilis illi euadere poterit? cum etiam illum ingenitum ignem aßidua coniunctio materiæ, tam ualidis motibus per totq; ætates ac generationes mutatæ uer ipſe tantum ſuperabat, & hoc in magnis exceßibus. Hæc uolui adieciſſe, quæ non ſolum ad præſentem tractationem faciunt, ſed multo magis ad exſequentem intelligendam. Igitur cum ſubijcit.*

Aquam

Âquã insuper bibentes.] Hoc est tertium à potu sumptum, de quo cum plurima superius dicta sint, non est ut repetam. Hoc sufficiat ex illis commemorasse hos homines habere omnia membra principalia frigida & humida & imbecillia, cerebrum & cor ob aerem, iecur ob aquã: membra generationis ob causas quas subijciet, & etiam ab effectu, ut docebit, sunt enim impotentes ad Venerem pleriq;, & etiã quia fieri non potest, ut qui tria membra principalia habet imbecillia sit robustus ad re ueneream, multo minus ad generationem. Et hoc etiam sequitur, quod si habẽt cerebrum & caput debile, quod habeant etiam oculos & auditum obtusum, & parũ etiam ualeant alijs sensibus atq; ingenio & memoria, & multo minus iudicio, quod est uelut flos quidam qui consurgit ex omnibus animæ uiribus, in quo plures se credũt præstare eo pauciores ualent etiamsi perturbationibus animi, quæ plures sunt nõ afficiantur. Constat etiam quod plures ibi erunt comitiales, uertigines, resolutiones, destillationes, tusses, tabes, hydropes, et eo magis hæc omnia quod præter id terra illa non est ferax uini neque olei, quæ sunt duo præcipua auxilia aquarum prauarũ & aeris mali, & etiam tritico carent. Et neque quod deterius est habent unde aduehant ex propinquis locis. Apes enim quæ mel generant aut in aluearijs artificiosis illud struunt, ut apud nos, aut in syluarum arboribus, quemadmodũ in pluribus Sarmatiæ partibus mitioribus. Cũ enim sint animalia exanguia extremum omnino frigus ferre non possunt.

Nullo etiam corporis exercitio accedente.] Declarat quartum quod non exercentur corpore neq; animo, quoniam omnia penè similia sunt apud illos, et ut dici solet propter admirationẽ Philpsophari cœperunt homines. Cum igitur non sint causa admirationis quia cessat nouitas, omnia enim penè paria sunt omnib. corporibus, ideò non exercentur neq; animo, neq; corporibus ob eorum imbecillitatem atq; mollitiem. Dicemus tamen suo loco quomodo cum exerceantur multum equis, non dicantur exercere se.

Notandũ etiam quod Olaus Magnus et cæteri omnes scriptores referũt, & ratio ipsa suadet & experimentum docet, quod quasi natura æquante uices omnium in huiusmodi regionibus, quanto pauciora sunt animalia magna et homines, tanto & longe plura & super fidẽ abundant animalia parua, et pellibus eximijs uestita, uelut hermelini, sabellæ, martori, gimettæ, lincei, lardironi, medauri, uiuarræ, aspreolosi tum feles, meles, uulpes, lupi, etiam & ursi, qui se sub terra condunt, lepores quoq; in Sarmatia Europa candidi sunt tũ etiam auiculæ paruæ & magnæ, maxima enim auis est comparatione quadrupedium magnorum res exigua, & murium diuersa genera communium ulpinorũ qui sunt fermè uulpib. magnitudine æquales, sciuri præterea, glires & lemmar patria lingua uocatus mus pelle uaria, qui creditur è nubibus cum pluuijs descẽdere armelinorum pabulũ, et mustelæ & ictides ac fibri, lutri ursiq; albi quos marinos esse putant, & è piscibus uiuere & gulones, aliaq; multa eiusmodi quorum copia tanto maior est in illis regionibus quanto homines pauciores, et maiores belluæ uelut pardi, tigrides, leones, pantheræ, & ut obteguntur à niuibus atq; ob id à lupis et uulpibus tutæ: tum uerò sub illis aues nidificant, & quadrupedia catulos suos edunt, at arbusta cũ spinosa sint tuta hæc animalia ab alijs feris reddunt, & niues substinent ne illarũ filij obruantur, & fructibus illas alũt, & frigus minuũt, sunt enim eis monumento et frondibus ac surculis stratum exhibẽt. Quam uerò humidæ sint hæ regiones ostendit testimonium Sigismundi referentis in lacum album, cuius longitudo latitudoq; est LX M passuum ingredi (ô rem incredibilẽ) trecentos sexaginta fluuios: ut cõstat totam huiusmodi terram aquis madere, aerem nebulis.

TEX. VIII.

PRopter quas causas formę eorũ sunt crassæ & carnosæ. Iunctureę uerò humectæ & inefficaces: uentriculiq; humidi oẽs, maxime omnium tamen inferior aluus, nequit emĩ ipsa exiccari in eiusmodi & regione & natura & temporis constitutione.

Per carnosas intelligit pingues cum inferius dicat eos esse nudos carne, Præterea secundo de temperamentis (cap. 4.) caro fit à calido & humido, pinguedo & frigido & humido, cum igitur ipsi sint frigidi & humidi erunt pingues, non carnosi. Iunctura inefficaces dicebat Hippocrates in libro de Articulis (pag. 3.) articuli excidunt facile ob humidum quo abundant, nerui quibus connectuntur, ideo in natura humidis facile luxantur & similiter ob maciem, & dabat exemplum de bobus quibus ob macilentiam articuli excidunt, & maximè circa finẽ hyemis. Scythis ergo ob humidam temperiem infirmi sunt articuli non tantadeò

adeò ut ab illis excidant nisi cum fuerint macilenti, tunc enim etiam excidunt. Sed est aliud magis mirabile, cur cum aer sit humidus, & aer humidus magis afficiat membra superiora, aqua autem membra inferiora, ut superius uisum est, hic tamen dicit (lib. 1. com. 3. & lib. 3. com. 1.) Scythas habere humidiorem aluum inferiorem superiore? Dico quod hoc est quoniam concurrit utrunque, ad humidam enim aluum facit humidus aer & aquæ crudæ: sed ad destillationes capitis et pectoris (lib. 3. Tex. 4.) frigiditas aeris tum humida qualitas, cruditas autem aquarum facit dysenterias, & alui pro fluuia in æstate: post docet (Tex. 5.) quod hyeme facit peripneumonias & & insanias. Et non destillationes. Sed dices contra, quia inferius inquit (Tex. 14.) Quorũ uentres molles & humidi ac pituitosi sunt, his durißimæ & crudißimæ ac subsalsæ aquæ conferunt, sic enim maximè resiccari poterũt. Respondeo quod intelligit ibi de crudis subsalsis, quæ uim habent astringentem aliquam, non aut crudis tantum.

TEX. IX.

SEd pinguedine & nuditate carnis formæ inuicem sunt similes, masculorum masculis, & fæminarũ fæmellis. Tempore enim cum sint inter se similia nulla corruptionis neq; malignitates inferunt in seminis genitalis misturã ac compactionem, nisi quiddam aliud fortuito uel casu contingat aut à morbo.

Non est discrimen inter corpora quæ sunt eiusdem sexus, quoniam non est uarietas in temporibus, præsupponit Hippocrates quod sciamus multum interesse in Græcia & Italia, alijsq; regionibus, in quibus uarietas est magna inter tempora, uelut æstatem & hyemem, uer & autumnum, quod quis nascatur hyeme aut æstate, autumno aut uere. Vnde Plinius (lib. 8. cap. 47.) refert agnos hyeme natas esse robustiores, natis in uere, alij post addiderũt, uiuere XIII. annis, cum quæ in uere nascuntur uiuant octo aut nouem, igitur cum ubiq; discrimen sit ex sexu, etiam multis in locis est ex anni tempore quo oriuntur: ubi autem nullum in temporibus discrimẽ, ibi etiam formæ hominum & animalium modo in sexu concordent similes erunt. quo intelligitur uarietatem in hominibus inter se esse exortu ob regionum uarietatem, aut quia oriuntur alij æstate alij hyeme alij autumno aut uere: aut quoniam tempora illa in diuersis annis licet genere sint similia inter se euariant, cum ergo in Scythia non sit discrimen inter æstatem & hyemem, neq; erit inter uer & autumnum, quia non erit etiam inter uer & hyemem, aut uer & æstatem. Causa enim quod autumnus differt ab æstate & hyeme, est quia hyems differt ab æstate: sed his in locis æstas & hyems non differunt inter se, igitur neq; autumnus, cum sit medius inter illa non differet ab ullo eorum, & similiter non differet à uere, ideò concludit.

Tempora enim cum sint inter se similia.] Ostensum est quod naturaliter non erunt inter se dißimiles: poterunt tamen dicit casu aut morbo inter se differre. Ad casum referuntur timor, lapsus, equitatio importuna, ebrietas, uenus, quæ multum solet nocere fœtui, tristitia & similia ad morbum, non solum morbus sed medicamenta, sectio, uenæ inædia, fluxus mensium, corruptio seminis masculini, & similia quæ sunt innumerabilia.

LECTIO LXXXVIII. SVPER TEX. X.

MAgnum autem argumentum humiditatis corporum Scytharum hoc exhibebo. Multos enim ipsos præcipuè qui Nomades sunt reperias exustos humeros ac brachia habẽtes manuumq; iuncturas, pectora, coxas & lumbos, nulla sanè aliam ob causam nisi ob humoris & mollitiei naturæ detractionẽ. Nam neq; arcus intendere neq; telum torquere possunt præ impotentia humiditatis humerorum, cum autem uruntur humor ipse à iuncturis exoluitur fiuntq; corpora ipsorum ualidiora, melius nutriuntur & magis reddunt articulorum usu potentia.

Reuertitur ad demonstrandum quod corpora Scytharum sint humida, & hoc ab auxilio: meminit huius indicationis sexto Epidemiorũ (Par. 2. Tex. 27.) quamuis Galenus ut plæraq; alia in aliũ sensum conuertat, seu fretus authoritate aliorum seu meliores habens codices, seu deceptus. Vt cumq; sit sumit argumentum à curatione, curantur enim igne adhibito: ignis calidus est et siccus, igitur affectio frigida & humida dicitur.

Humeros,

Humeros brachia, manuumq; iuncturas, pectora, coxas & lumbos, enumerat sex, tria in superioribus, unum in medio, unum infra medium, demum unum in inferioribus. Melius hic Græce ob Fuchsium qui hæc alio modo accipit ὦμους τὰς κάρπους, τῶν χειρῶν, καὶ τὰς πήχεις, καὶ τὴν ὀσφύν. Hæc longè certiora atque in huiusmodi Græcam fidem sequi operæ precium est, nõ si triangulus tres habeat angulos duobus rectis æquales. linguarũ enim peritia è quatuor in tribus casibus non tam utilis est quàm necessaria de quibus loquamur, ut sciamus & quæ dicantur, & in consecutione quæ per ratiocinationem habetur, si eam nacti proprio aut alieno ingenio fuerimus, non expedit ut Græca quæramus: nisi illi compendiosius, aut euidentius, aut lõcupletius ostenderint. ita hoc in proposito necesse est uoces has perquirere diligentius, non solum quid significent, sed quid Hippocrates ætatè. Hac enim in contemplatione, etiam scientia obesse potest si desit prudentia (libro 1. cap. 25.) ὦμους Fuchsius in sua anatomia tria ei significata præbet, scapulam, humerum, scoptulam, quæ barbaris dicitur spatula. Verum propriè ὦμος humerus est, dicente Galeno in lib. de Ossibus (cap. 16)

» Maximum omnium os humeri (femore excepto)
» est, idq; utrinque supra infraq; alligatum est, cuius
» summa pars grandiusculum habet caput, paruæ
» quidem ceruici coagmentatum adnatumq;. In eo
iuxta anteriorem partem sinus quidam est: ut dubium non sit de osse humeri, quin sit os superius brachij quod annectitur thoraci, & ex hinc toto corpori. Sed ex hoc planè adhuc non habemus, quid per humerum intelligat, an os scoptulæ. Hic bifariem esset error, & quod aduersetur Galeno & Vesalio (lib. 1. in fig. 23. cap.) & quod diceretur os ὦμος, quod perinde esset, ac si diceres os ossis. Propriè enim scapula ὦμοπλάτυ, dicitur, quasi latus humerus: an potius articulum ipsum. Palam est, Latinos pro humeris intelligere non os brachij superius, sed quicquid est retrorsum à scapula ad scapulam, ubi perferre onera solemus

» Cicero de Oratore (lib. 1.) C. Sulpitij Galli pro-
» pinqui sui Q. Pupillum filium ipse senem in hu
» meros suos extulisset. Et Horatius (lib. 1. Sat. 5.)
Calliclus ut soleat humeris portare uiator.

Ruffus Ephesius in primo de Appellationibus

» partium corporis humani (cap. 10.) Ala sub hu
» meri articulo cauitas est, ut nec articulus ipse a-
» pud Latinos humerus, sed humeri articulus uo-
» cetur. Et paulò post, humerus etiam à Latinis dicitur quod exit ab humero, sed à Græcis brachiũ. «
At Meletius in libro de Natura hominis (pag. «
116.) qui tamen Græcè scripsit, hæc habet hu- «
meralis ossis processus, qui anchoræ formam ob- «
tinet, humero ipsi assurgit: huic uerò musculus «
qui biceps nuncupatur accumbit, à quo nerui ad «
humeri cacumina, & qua clauicula dearticulatur «
prætendunt. Vt si quis rectè consideret ad scapulam, tam Latinè humerus quàm Græcè ὦμος referantur. Sed hæc etiam clariùs ex expositione βραχίονος. Illud dubium, quorsum hæc ustio si fuit in scapulis, cum ad motum conferre parum posse uideatur. Respõdeo, quòd Hippocrates lib. de Articulis (pag. 6.) inquit, inimicus enim est ignis neruis: & ideo exurebant ante in osse humeri, & retro in osse scapulæ prope humeri articulum: & hoc uocant humerum urere: nam certum est quod utilissima ustio circa articulum sit ne luxetur aut imbecillis sit: at brachium Fuchsius idem uult esse quòd humeri os (libro 1. cap. 27.) Meletius cum multa differat circa hoc, non tamen se aperit ex uerbis, explicat per ea tamen uerba, est autem in interioris brachij fine concauitas, quæ trocleæ similitudine respondet, circa quam cubitus mouetur, & intus in ipsa aliud cauum uisitur. Hæc siquidem caua cubiti acutos processus, quos corones nuncupant, suscipiunt. Hæc uerba Vesalij (fig. cap. 24.) collata picturæ ante notatæ, atq; sequentis rem declarant. Animaduertendo quod cubitum non ipsum articulum intelligunt, sed quemadmodum superiorem articulum qui scoptulæ annectitur humeri articulum, non humerum & os ei adiunctum humeri os uocatur: ita per cubitum ossa quæ à cubiti articulo incipiunt, & ad brachiale seu manum finiuntur, intelligunt. Cubitus igitur est pars totius brachij ab articulo medio ad manum contenta, quæ in duo diuiditur ossa: ulnam & radium, & ulna quidem radio longior est & crassior, & cui cubiti articulus excauatus est, & humeri ossi iungitur: radius autem breuior, tenuior, duntaxat latior, ubi manui appropinquat, contraria ratione ulnæ. Verum Ruffus per cubitum articulum etiã apud Græcos intelligi uult, uocatur & Ancon & olecranon. De Latinis dubium non est, quin cubitus significet articulum. βραχίων igitur quasi quod breuius sit, & Ruffo testè, idem est quod humerus. Sed in significato secundo humerum pro humeri osse capiendo. At non sic Latini, sed quemadmodum & nunc pro cubito accipiunt, id est ulna & radio. Cæsar (7. de Bello Gallico) ut

brachia modo atq; humeri ad sustinenda arma liberi esse possent. Et Celsus id manifestè docet, si quis uerba uerbis conferat pro brachio utrunque os an sit fractum considerare iubet. Apertè enim cum dicit (lib. 8. cap. 10. sec. 2. & 3.) Si ambo ossa fracta fuerint, ut ualentius extendatur, quoniam quia necesse est minus neruas contrahi altero osse integro, non ergo est idem βραχίων apud Græcos, & brachium apud Latinos. Sed ut dixi circa cubiti articulum hanc ustionem fieri debere intelligit, quia subijcit καὶ τὸς καρπὸς τῶν χυρέων. Hic locus est supra manum ubi ipsa flectitur. Ideò cum in tribus alijs superioribus mutata sint significata, humero, brachio & cubito, tum etiam appellationes & Græcè quoque sufficiat Hippocratis ostendisse sententiam & Anatemicorum audaciam, qui tam impropriè uocabulis usi sint, in hoc autem καρπῶ, seu carpo, cum constet undiq;, & ratio nominis & significatum et locus & mens, Hippocratis ad sequentia transibo. σκθεα dicit. Thoracis Græcè duo sunt significata, quicquid costis, ante, retro, dextra & sinistra circumscriptum est: sed Aristoteles aliter τὸ ἀπὸ ἀυχένος μέχρι ἀισθοῖου κύτος, καλεῖται θώραξ. Quicquid à ceruice ad pudenda clauditur, uocatur in priore significato pars anterior (nõ in hoc secundo) uocatur pectus ἰσχίον ἰσχίου [seu] coxendix Latinè aut coxa, ut etiam Fuchsius (libro 1. cap. 22. 23. libro 3. cap. 5.) Ruffus, femora sunt ossa prælonga ualentiaq; à coxis ad genua, quorum capita cauitatibus cotylis seu acetabulis inseruntur, ossaq; illa quibus inseruntur coxæ uocantur, dico ἰσχίαν esse locum illum, cuius etiam meminit Meletius. De quibus etiam Galenus lib. de Ossibus agit (pag. 125 & 126.) Et pro is consule Vesalium (cap. 20.) In uniuersum memẽto eius quod diximus in alijs coxendicis nomen propriè dici cum adiecto esse aut articulo non simpliciter. simpliciter autem prolatum de utroque posse intelligi: sed pro ratione sententiæ καὶ τὴν ὀσφὺν. Quæ supra ἰσχίαν sunt ossa lata utrinque in posteriore parte lagana uocantur cauitas inanis supra illa retro tendens ilia inter ilia ossa spinæ cum musculis lumbi, à Latinis, à Græcis ὀσφύες, de quibus Galenus in lib. de Ossibus (lib. 1. cap. 29. & in fig. & ult. primi lib. pag. ubi sceleton describit, & lib. 2. cap. 61.) Fuchsius in primo Anatomiæ in Vesalium Paraphrasis egit, & Ruffus in tertio. Satis constat dici ossa aut uertebras lumborum, easq; esse numero quinq;, & maximæ & crassissimæ sunt, intus leues exterius asperæ: quodq; etiam lumborum musculi & qui sint: qui autem lumbi nõdum docuimus, neq; apud Latinos neq; apud Græcos pariter ὀσφύες. dubium enim esse potest, an sit nomen loci an membri? etsi membri cuius simplicis ne aut compositi? nam de loco, ut dixi (cap. 4. 10. & 20. pag. 108.) constat qualis sit. Verum Meletius hanc dubitationem diluit dicens: loca autem quæ uesicæ, inguini, & ilijs à tergo consistunt lumbi appellantur, in ipsis etiam renes positi sunt. Et cum declarasset quod cõtinentur lumbi uertebris quinq;, paulò post subiungit. Dicitur aũt ὀσφὺς locus ille quod totus ossibus refertus sit. habes loca. In his declarandis quæ ad grammaticum pertinent, tot errores Fuchsius admisit, ut dicas nesciuisse grammaticam, quam solum constat attigisse, quam utinam nec attigisset. Cur autem urerent generaliter primum inquirere oportet inde specialiter: generaliter quidem, quoniam ustio, quæ fit candenti ferro, ad quinq; præcipuè commoda est: primum ut retineat concludendo loca ueluti intestina in enteroce'a, & defluxiones ex capite, ut uidebimus inferius. Cum enim ex igne caro cum tota cauitate tollatur, ita ut uacuus remaneat: natura instaurante carnem, undiq; maximè contracto iam loco circumquaq; in medio impletur intercluditurq; nullo relicto uacuo uia. Secundum quod aperit loca occlusa, & hoc bifariam aut educendo materias præter naturam, ut in ascite super uẽtrem inurendo crustas, ut etiam docet Hippocrates in libro de Locis (pag. 10.) in homine, aut educendo materias secundum naturam, ut in cruribus & brachijs, quanquam plerunq; soleat fieri cum medicamẽto, melius tamen est ut fiat cum ferro candenti aut auro, hoc enim etiam est melius. Tertium est molliendi dura præcipuè in duritie iecoris & lienis, ut docebat Hippocrates in libro de Internis affectionibus (pag. 15.) et hoc fit quoniam ignito loco inducitur caliditas apta dissoluere etiam os. Omnis enim caliditas ignea in corpore humido pingui corrumpit ipsum si permaneat, igitur necesse est, ut uel saltẽ repetita corrumpat tandem quod exustum est, sed corrupti corruptio & separatio est sanatio, igitur tumores duri igne sanatur, sed quia dum auferetur pars ægra & inutilis, potest esse tanta ut residuum non sufficiat ad functionem, ideò postquàm deciderit poterit mori, si fuerit quod durum est magnum. Item quia dum decidit uires possent deficere: dum enim pus conficitur dolores ac fibres fiunt. Igitur oportet ut in his uires

sint

sint ualidæ.(2.Aphor.47.) Tertio quia posset esse ut illud pus corrumperet partem proximam. ideo dicit Hippocrates (7.Aphor.42.) Quorũ epar suppuratum aduritur,si pus purum & album fluxerit,euadunt.si uerò qualis amurca fuerit,pereant.hoc autem accidit cũ præter scirrhũ fuerit mala intemperies in ea parte,et alia quæ sit initium corruptionis cuiusdam. Demũ quoniam posset aberrare in uictu,& ita non sufficere,ideò necesse est ut rectè regatur, aliter cum his omnib. poterit mori,cum igitur scirrhus in iecore nõ fuerit ualdè magnus,neq; in medio iuxta longitudinem,latitudinem aut profunditatẽ,tunc enim obstaret prima conditio, nec fuerit coniunctus cum mala intemperie calida semiputrida,& uires fuerint adhuc ualidæ,& ideo sine alio morbo graui coniuncto,& benè custodiatur æger usus superuiuet,& eo magis si fuerit scirrhus in liene, in quo sufficiunt postremæ tres conditiones, etiam quod non adsit quarta,& quod etiam illæ tres non sint adeò exquisitæ et paruæ,sed satis magnæ.& ubi moriatur dices cum Hippocrate in libro de Locis in homine,nihil deterius est perpessus quam secus perpessurus erat,scilicet quia erat omnino moriturus.Si tamen non obseruatis his conditionibus exuras,incurres infamiam. Et si infamia cõiuncta sit cum inuidia,& patientis coniunctis potentes etiam laborabis periculo uitæ,quod est longè deterius infamia.nam infamia falsa breui et facile ex succedẽtibus bonis successibus deletur. Vbi ergo tales medici in ea urbe sint, aut in aula aduoca alios prudentes & si consentiunt in tuto es: si non dicas ego nolo me exponere periculo ulli propter aliorum salutem,sed hic petit propter uerba illius quandoquidem in ustione erat, quasi certa spes salutis augendo etiam securitatẽ,sed propter uerba illius Emperici nolui facere, curet modo ipse curabis;, ut huiusmodi uerba magis per amicos tuos & ægri ac potentes disseminentur quàm per te:sed si interrogeris cõstanter affirma. necesse est enim interdum se exponere his certaminibus. Quod si postmodum ille uel illis dicentibus facias non permittas ut te persuadeant,nam uel morietur æger ob aliquam causam ex supradictis: aut ipsi medici possent moliri mortem aliquibus insidijs. & quando etiam omnia benè succederent non erit lucrum & gloria & uoluptas ex bono successu par æstibus animi,& timori & periculo quæ interim subibis: nec dic,ut quidam faciunt, nolo facere,quia præterijt occasio, nam ridẽt hæc uerba,præsertim si nil noui superuenerit, utpote incrementum fluxus uentris,uigilia,macies,dejectio appetitus,& si cum hoc pauci dies interceſſerint,ut potè duo aut tres dies.nam hoc sæpe accidit, sed dicas debuerunt ab initio assentiri, nunc nolo existimationem meam in eorum arbitrio ponere, inde adde, uidere quales homines sint, & qualis animus eorum. si enim cum proposui auxilium expediebat,cur tum non consenserũt: si non expediebat tum,cur nunc assentiuntur cum deterius res se habet,an auxilia periculosa (nam hoc huiusmodi esse dicunt)magis conueniunt cum periculum,& mors magis imminent, quam cum ab initio tuto administrari poterat. nunc satis patet cur assentiantur,interrogãtibus noli prodere cur sic eos non solum imperitiæ & leuitatis ac malignitatis, sed etiam tanquam proditores ac siccarios accusabis,ut hi qui sunt ægri coniuncti, si sapiant odio maximo prosequantur è domo prorsus expellant & maledicant de eis. Quòd si id nõ faciant aulam illam aut urbẽ exi,stultum est enim stultis sub iudicibus, & qui nec discernere sciant imperitos à peritis, proditores à bonis uiris litigare,cum adeò improbis & petulantibus carnificibus. At aliter agendo,si illi sapiant deprimes inimicos,de quibus nulla alia spes relinquitur,crede mihi(nec blanditijs eorum nec promißis fidem ullam adhibe cum inter noctuam aut talpam, & solem nulla unquam amicitia intercedere poßit) nisi ut tanto fiant minus mali quo abiecti & impotentes & oppreßi magis ac absque existimatione atq; impotentes fuerint. Redeo ad rem. Sub hoc genere utilitates continentur,ustio etiam fistularum ut partes duræ & labia callosa excidant, ut Albinasis lib.1.suæ Chirurgiæ(cap.19.21. & 38.)Vstio quarto loco confert ad finiendam putredinem, ut Princeps docet (4.1.cap.29.) Et deducitur ab Hippocrate secundo & tertio de Morbis cum Galeni authoritatem exponentis Aphorismum illum sextæ particulæ.Quicunq; suppurati: ubi enim plurimum fuerit urere oportet, scilicet quia ustio putredinem & corruptionem prohibet ac finit (com.26.) Et uidetur hoc uoluisse Albucasis in primo suæ Chirurgiæ, in secunda utilitate de fistulis loquendo locis prius in margine descriptis: & propriè ac manifestè dum loquitur de ustione in elephãticis carcinomates herpete:ubi manifestum est quòd per ustionem obuiãt putredini. Ex quo concludo quod Albucasis (cap.49.52.& 54.)licet ubi agit de generali utilitate ustionis non memimerit nisi ultimæ utilitatis ustionis,de qua mox dicam,tamen non præ-

termisit reliqua in processu tractationis (cap. 49 52. & 54.) solum huius partis unius membrum unũ dereliquit, scilicet de carie & putredine ossis urenda, quam forsan prætermisit, non ut non utilem, sed ut non necessariam, arbitratur ossa talia per se casura, ut etiã uult Hippocrates, quãquam usta celerius separentur. Quinta utilitas cuius solius, ut dixi, meminit in initio libri Albucasis, seu quod generalior sit seu tutior seu magis necessaria, seu quod per hanc reliquæ postmodum habeantur: seu demũ propter has omnes causas simul iunctus est in intemperiebus membrorum. Hic dubitat de calida & calida, & sicca & sicca tantum absq; materia: nam de frigida tantum & humida & frigida & humida & calida uel sicca, aut calida & sicca cum materia non est dubium, cum consumpta materia refrigeretur & humectetur membrũ, sicut iecur à Rhabarbaro educta bile, quamuis Rhabarbarum sit calidum et multo magis siccum, & penè qualitatum similium flauæ bili. Ideò in hac quæstione mirum in modum se confundit, quia nõ usus est principijs quibus ex suis experimentis oportebat se subscribere. Et sunt quòd ubi caliditas aut siccitas aut utraq; simul habẽt originem à putredine, & sunt cum corruptione membri, tunc ignis tollit intemperiem, quia, ut dixi, in quarta utilitate ignis putredinẽ finit: sed cum illæ qualitates sunt ex alia causa, & immunes à putredine tunc non solum ab ustione non tolluntur, sed augentur ut par est. Adhibetur ergo ustio in tollenda intemperie frigida uel humida uel utraque: & in omni intemperie quæ est cum materia, materiam cõsumendo: demum etiam in calida & sicca intemperie sine materia, sed in qua illa qualitas habet originem à putredine, uelut in ossis carie, & in his quæ dicemus.

LECTIO LXXXIX. SVPER EODEM TEX. X.

Et iuxta hoc quæritur an in cõuulsione illa de qua superius actum est, quæ est species sacri morbi, & est conuncta cum febre cõueniat ustio in statura coronali? & respondeo quod si sit ab ipsa putredine & qualitate, putrida aquisita in cerebro quod sanat: si uerò qualitate cum materia quòd multo magis conuenit, tum corrigendo intemperiem, tum consumendo materiam: sin autem à sola siccitate facta per resolutionem febris tunc accelerabit mortem, & si sit in corpore conuulsio, & non sit similis sacro morbo, cuius indiciũ est quod mente constat nec à pura siccitate. tunc omnino ustio in spina dorsi inter primam & secundã uertebram erit utilissima, in tutura coronali periculosa, damnosa, et non tantæ utilitatis: hæc uerò in ceruice ubi morbus ille caput tentet nihil proderit, aut ualde parũ, & de hoc supra diximus (lib. 4. com. 10.) Ea uero quæ fit in ceruice sub tendonibus colli, & non in spina traducendo filũ, ut & purget & mutet temperiem, si autem non iuuent omnia talia plurimũ nocent maximè ab infamia: unde adulti fermè omnes laborant imbecillitate uisus non leui, & etiam mentem reddunt stupidã, perturbãt memoriam, nullum enim contra naturã non obest secundum naturam se habenti, & si uehemens sit, non nisi uehementer nocet. Dico de ustione in futuris capitis, aut prope caput, aut per foratione cum stylo cadenti. hoc genus alienũ fuit à mente antiquorũ: uides quod nostri medici sunt sæuiores & asperiores barbaris, cum ne Scythis quidem inter tot genera ustionum & locos meminerit capitis, aut attinentium ad ipsum, ut ceruicis aut spinæ dorsi.

Hoc genus auxilij reuocauit in mentem fontes qui fiunt in cruribus & humeris superna parte brachij, & adeò frequentes, ut quidam ciues habeãt duos, tres aut quatuor, turpissimo an stultissimo usu dicã magis nescio. Origo fontiũ deducta est ab Actio ex antiquis in cura difficultatis sperãdi, dum crustas inurit circa pectus quas diu sinit apertas (lib. 8. ca. 57.) nam neq; in fragmentis Aretæi, neq; Hippocratis usquam inuenias. Ad euacuandum enim aquam uentus uisum est in lib. de Locis in homine: & ad mutandum cerebri intemperiem frigidã & humidam ac diuturnã lib. 2. de Morbis (ca. 7. sed non auertendi causa. fontes enim auertunt, ustio quæ in usu apud Scythas fuit, siccabat non auertebat, quoniã statim ut crustæ deciderãt locus consolidabatur. crustæ utrũq; usum præstant: nam & deducunt materias & intẽperiem mutant ex recentioribus Rinaldus Villa Noua in parabolis hæc habet (Doc. 5. cap. 4. Aphor. 5. 6. & 7.) defluxus qui ad naturalẽ uiam reduci nequit uicinis fontibus rectè auertitur, hi inter musculorum separationem euidentem fieri debent, secus absistendum, nec ad intima penetrandum nec uinculis aut musculorũ capitibus nocea-« mus. Debent autem esse propinqui uenis magnis, « quæ cõmunicant membro, ex quo fluxio defertur. « Nullo tamen in loco clarius quam ab Hippocrate fontium usus (non dico ustionis quæ fontis origo sit qualis apud nos in usu est. Quanquã negamus Hippocrate authorem esse) in sexto Epidem. habe-

betur cũ dixit (Par. 4. tex. 39.) & quicunq; alij abscessus ut fistulæ. Refertur enim tum ad priora illa uerba sanguifluis uenis, laborantes neq; morbo laterali, neq; pulmonario, neq; phagedenam, neq; inflammatiunculis (tex. 37.) quæ dothienes uocãtur, neq; his quæ therminthi, id est cicera, fortasse uerò neq; lepris: fortasse neq; alijs, & ad sequentem etiam decubitus quidẽ in quib. facta tollit, hæc ante facta prohibet, loci alterius loci excipientis aut dolore aut grauitate, aut alio quopiam liberant: aut alijs communicationes. Vbi animad uertẽda est illa duplex ac mutua affinitas, quoniã sanguis fluens prohibet saniei defluxum uelut hæ morrhoides sputũ saniei in phthisicis & fistula in spuentib. sanguinem, & hoc innuit Galenus in cõmento qui etiam sensu uerum explicat superiorũ uerborũ: qui tamen potest amplificari, q̃uis Hippocrates solita breuitate usus solum primã partẽ declarauerit: non solum enim quæ sanant auxilia morbos iam factos imminentes prohibent si opportunè adhibeantur, sed etiã quæ prohibent imminent, aut sanant, aut conferunt tã factis. Galenus ergo cũ uelit per fistulas omnes humores purgari, palam est si fons profundus sit, purgari etiã humores crassos, si superficiarius, solũ tenues: uelut de sanguine in cucurbitula sectioni uenæ comparata. Quomodo ergo purgabitur pars crassa cũ solum offendatur quod est in uenis tenuib. oẽs n. uenæ superficiariæ tenues, cõtinẽtur etiã humores solos tenues: aliter si fõs penetraret in uenã in signem seu superficiariã seu intus profunderetur multus sanguis, et ideò crediderũt multi fontes nõ euacuare nisi humores tenues. et ideo dico ut etiã Gal. in lib. de cucurbitulis et hirũdinib. quòd in habẽtib. sanguinẽ crassum nõ solũ nõ iuuãt hi fontes sed egregiè nocent ut in pituitosis, melancholicis, crasis rusticis, senib. ocio & crapulæ deditis, & colore nigris, aut liuidis: cõtra mulieribus, pueris albis, qui facile sudant, biliosis promptis multũ cõferũt & in morbis oculorũ, quia fiũt à tenui materia fermè semper et in defluxiõib. aquosis et acribus. In priorib. morbũ generando morbum leuat. huiusmodi enim parietes habent brachia & crura prætumida, & hoc modo aleuiantur à principali, nõ quod sanẽtur, ut hi qui tenues habẽt humores, ideo talib. post modũ est necessaria sectio ut nobis in anno, aliter incidũt in hydropẽ albæ pituitæ aut nigræ, aut ascitẽ, aut ulcera magna. Adijcit exẽplũ pulchrũ Fuchsius ex 2. Prog. his uerbis: Quibuscunq; ex pulmone abscessus circa aures fiunt, uel ad infernas sedes & in fistulam deueniunt ij liberãtur. Ibi nos docuimus, quæ hic nõ sunt repetẽda, et præcipuè cũ habeãtur impressa. Diximus et ibi de parotidib. quæ ad supuratiõnẽ deueniũt quæ etiã ad hoc genus purgatiõis pertinẽt. Obijciẽt aliqui quod Fuchsiũ modo laudare uidear, quẽ antea damnauerim. Vides hominis audaciã, qui in his uerbis fortasse neq; lepris adimit (fortasse) & totũ illud (fortasse neq; alijs) & adiungit horũ loco neq; uitiliginib. nõ ergo inuidiosè dãnatur, qui tam iustè dãnatur, ergo ut ex talium aduentu homines à magnis morbis liberãtur ita intẽpestiuè ab eis curati in graues morbos incidũt. & quãto maiores fuerint & diuturniores eo se cõcludantur periculosiores, & plerunq; cũ sunt annui occidunt. Fiunt autẽ in humeris procapitis morbis præcipuè oculorũ & in destillationib. ad pectus & eius partes tũ ad uentrẽ. & fiunt in carpi parte syluestri ad diuertendũ longius. in cruribus aũt ad renũ dolores graues, & ad intercipiendam podagrã, & fiunt in parte domestica, et sunt tutiores ab externis incõmodis & magis educunt à partibus anterioribus, & in syluestri & magis euacuant à dorso & posterioribus partibus. et in debili parte si fiant nocẽt, debent enim fieri in aduersa, sed si pars sit calida & materia magis tenuis iuuant in eadem parte. & in brachijs fiunt semper in parte sylueſtri ob cõmodũ & etiã locũ. Diuertunt aũt quadrifariã: & ob dolorẽ ut Hippocr. dicit (Fuchsius ibid. com. 30. iuxta suã diuisionẽ) et ob cõsensum q̃ est triplex uel situs directi uel uasorũ quæ intercipiũtur, aut diuiduntur aut naturalẽ aut mãmarũ cum genitalib. & genitaliũ cũ pulmone et pulmonis cum cerebro: uel ratione humoris qui est idẽ: ut pituita pituitæ, sanguis sanguini, melancholia melancholiæ: aut ab ea quæ accidũt uelunt frictionem, calorem, cõmotionẽ. ut in labore, uenere, affectũ animi, irã, timorẽ, tristitiã, acre quippiã medicamẽtum. Ignis aũt operatiões quales sint nũc dicã ex 2. de Dentibus (fol. 82.) Ignis primo calefacit et calefaciẽdo attenuat, quoniã separat ob id quod celeriter diffunditur, quia celeriter mouetur ideo etiã humidũ resoluit & siccat, attrahit etiã licet diffundat & expellat, quomodo aũt ibi dictũ est: hic solum sufficiat intellige re quòd humidã & frigidã intemperiem cõmutat & tollit: an aũt membrũ densius ac solidius reddãtur, hoc est dubitatione dignũ. Vtilis aũt in lumbis maximè quòd pars illa sit siccior, & minus longè frigida cerebro, quodq; partes subiectæ sint humidiores & grauiores, & de fluxionibus ualdè obnoxiæ. Quæ uerò in coxis & humeris adhuc tiliæ sunt, & in manibus ac multo magis, non tamẽ adeò utiles ut in lumbis? At in pectore nõ sunt tam

tutæ ut reliquæ aliæ: pectus enim calidũ sua sponte calidius reddere, neq; tutũ est, neq; etiam ualdè utile esse potest. cuius ergo gratia? cũ reliquæ habeant suas utilitates manifestas in coxis ad ambulandum & currendũ, in lumbis ad equitationem (neq; enim parum hoc utile est ad id) in humeris ad robur tractandorum armorum: articulus enim humeri est, in quo uis telorũ & sarissarũ & ponderum & ferendorum armorum consistit, in brachijs ad tractanda leuiora arma, uelut gladios & quæ indigent dexteritate non toto conatu. nam in humeris est tota uis corporis: at in brachijs, id est ut dicunt à cubito ad manum seu ultra, & radio solus brachij uis uiget cum humeri auxilio: in manu autem solius manus cum brachij auxilio: ut in retinendo ense et constringendisq; manibus capiuntur. Dico quod exurebant pectus ob uocẽ: nam musculi intercostales necessarij sunt ad magnã exsufflationem: erant etiã robustiores inferendis armis: Demum in respiratione liberius habenda.

His cognitis dico quod cum ustio tollat malam intemperiem uitiosam omnẽ, & etiam frigidã uel humidam qualecunq;: & putredinem etiam et humorẽ omnẽ absumat, & callũ obducat loco quòd uel in uno ex his casib: fiet uel nullo. si nullo ergo erit inutilis, et etiam debilitabit membrũ, & ideo rarefaciet illud. Sed in cæteris casibus cum conueniat, & ideo reddat operationes naturales ualidiores, uel sublata intemperie, uel humore, uel parte putrida, aut callo obducto robustius euadet membrum illud, igitur et densius. Facit ad hæc omnia. Quod scribitur sexta Aphoris. (58.)

LECTIO XC. SVPER TEX. XI. XII. XIII. ET XIIII.

FLuida uerò fiũt ac lata primum, propterea quod fascijs non colligãtur quemadmodum fieri solet in Aegypto. Deinde quòd non assuescunt ad equitationẽ quò equorum insessores fiant: postremum etiam propter desidiam perpetuam.

Reddit tres causas cur sint obnoxia his morbis, quare & cur cogantur igne se curare, scilicet alias quam quas ab initio proposuerat, scilicet aquas uel aerem, imò potius quòd infantes non constringantur fascijs. inde uides necessitatem unã fasciarum, quæ est ad utilitatem, alia ad decorem, si quidem quòd extra formam deueniret. Contra si nimis constringantur, membra obliquantur aut prohibetur incrementũ: in debilibus uerò et præcipuè septimestribus etiã mors aduenit ob temeritudinẽ corporis, ut in lib. de Octimestri partu. (pag. 1.) Sed dubiũ meritò uidebitur, cur non debitè obstetrices fascijs constringãt infantes. Et causa est defectus fasciarum cum lino careant. Habent etiam mores barbaricos, ut recitabat Galen. 1. de Tuenda sanit. (ca. 10.) de Germanis, qui suos infantes nuper natos mergunt frigidissimis fluminibus ob propriam feritatem. sumpta tamẽ origine ab aliqua utilitate, ueluti quod sint postmodũ robustiores & patientiores frigorũ. Tertia est quod Barbari cõsuetudines habent deteriores, uelut edendi homines, sacrificandi aduenas, fœde uitam ducendi: atq; alia multa absurda, praua, & ab omni ciuili cultu aliena, quæ omnia ortũ habuere, uel ob uanos impostores qui talia imperantes, si succedat, rem paruã argumento magnitudine auxilij adaugent. si nõ posse id putent facere talia imperent, quæ facturos nunquam credant, atq; ita se excusent. Alij quod ignorẽt discrimen inter uitiũ & uirtutem: prodigalitatemq; esse liberalitatem, temeritatem fortitudinẽ, sæuitiam iustitiam existiment. Vel quoniam hæc ab inerti uulgo originem duxere ob illius imperitiã, maximè mulieres: tum exagitatas uana superstitione religionis loco. Nã si uiri prudentes & eruditi in locis cultis ac maximè ciuilibus, atq; in ipsis principalibus urbibus tam pauci sunt, ut unum uix inter tot milia inuenias, qui etiam non raro peccet in uita, quid de cæteris, maxime cum sæpius ob cõsuetudines errare cogatur: quæ originem à uulgo & imperitis ducunt, uelut leges à sapientibus, quid de imperitis & incultis ciuibus? quibus plebs est deterior: atq; his longe deteriores rustici, his uerò multo etiam barbari: atq; inter barbaros mulieres quarum est hoc opus, curare infantes, commune apud omnes gentes, cum sint moribus tanto uiris inferiores, quãto natura mulieres uiris stultiores, imperitiores, pertinaciores q; natura uiris sunt, & ob id à poëtis ubiq; exagitare, à sapientibus explosæ, à iudicijs ac consilijs, à Theologis sacris interesse uetitæ, neq; enim mulier sacerdos esse potest. Turcæ mediam quandam earum esse naturam arbitrantur inter humanã & belluarum. Præsertim etiam ad hæc facit inopia multorum malorum causa, & ex necessitate usus. Quoties uidi matres ac patres filiorum salutem prorsus ob paupertatẽ etiam in urbibus Italiæ negligentes? Et Afri filios & fratres sororesq; natu minores uendunt aduenis & Maumethani Christianis. Inde etiam parum malum longa consuetudine confirmatum adauctũq; in maximum, & enorme scelus euadit. Quis uerò

cohibens

nobileat nascentem, ut ita dicam, aut superstitionem aut pranos mores apud homines, ubi parua prudentia, exigua rerum cognitio, nulla lex, nullus Deorum metus, nec conciliabula, ne dum urbes. Sed uagi ferimq; Scythæ parum ab ipsis bestijs differunt, & moribus, & uiuendi consuetudine, & ipsa etiam mente. Quædam tamen norunt necessitati ducti, uelut commodum ustionum et curruum usum: & iumentorum curam: & mutationem locorum: sed eatenus quatenus præsentibus consulant, non ut in futurum prouideant, multo minus ut ratione ducantur. Habent iram, audaciam, dolum, auaritiam, & ipsi, tum libidinem ac gulam, nec expertes ambitionis, quam etsi à natura non accepissent à suis equis didicissent: quæ uitia exteri admirantes putant esse uirtutes, cum penè rationis expertes sint: nulla autem uirtus esse potest absque deliberatione, deliberatio consilium, consilium rationem præsupponit. ob id neq; in leonibus est fortitudo, neque in canibus fides, neq; in elephantis prudentia, nec in camelis continentia, sed illis similes affectus: qui nec uitiosi sunt, cum uirtus ac uitium circa idem uersentur. Si igitur hæc animalia uirtutis non sunt capacia, nec etiam uitio laborare possunt, longo tamen usu Scythæ nostra ætate disciplinas didicere, & ingentes coaluere, & ciuitates magnas habent, inter quas (innumeræ enim sunt) omnium testimonio, regia, maximaq; est Cambalu, & post Long, quæ in Cataio prouincia est, & Carchoran & Campion, Taitum uerò urbs est & portus maris. Sunt & aliæ multæ generosæ & prædiuites urbes, inter quas Xandu, Taidu, Ezina, Lop, Sachion, sed omnium præter Cambalu celeberrimæ. Quinsa, id est, sunt & Cianglu & Ciangli, Tudinsu, Tapinzu, Derbent eorum. Porta, Singui, Calacia, Singuimatu, Sidinsu, Vociam, Iaci, Cingui, Cintigni, Couza, Cacianfu, Pazanfu, Quenzanfu, Tainfu, Pianfu, Pazanfu, aliæq;, ut dixi, innumerabiles, uita tamen illorum equitando est, ducuntq; familiam in curribus, ut olim, & occlusis, sed non terra, uerum lancis pannis crassis, qui imbribus ac niuibus obstare possunt, quos filtros uocare solent itali, similiter est aliud paradoxum quòd cum sic uiuant & ferarum ritu, se tamen ingeniosissimos affirmant: solosq; qui duobus oculis cernant, mortales alios præcipuæq; Latinos commemorant uno. Id etiam ostendunt cum tres artes calleant Chymiam, Lymiam, Hymiam, Chymia est quam nos uocamus Alchymiam ad metallorum & gemmarum transmutationem, quam illi longè melius norunt quam nos. tametsi enim argentum aut aurum efficere nequeant, mutant tamen nonnullas gemmas, ut discerni à ueris nequeant, metalla uerò difficillimè. Lymia est ars amatoria, cuius uix uestigiũ est apud nos, extat tamen & apud Turcas credo in usu esse. Symia est præstigiatrix qua plurimum illi ualent. nec solum ut deludant oculos atq; fallant, sed eo profecerunt ut ad magiam accedat, cogentes uentos, imbres, grandines auertẽtes. Si uera sunt quæ ab omnibus uno quasi ore referuntur. adeò ut hac causa inferiores bello, sæpe superiores euadunt. Curruũ præterea domus uirgultis ac baculis constant, panno, ut dixi, intermedio portuq; earum ad meridiem semper dirigunt. Habent & nobiliores essedos magnos, quos & bobus & camelis, qui potentiores sunt deducunt. Mulieres mercaturæ operam dant, uiri uenotioni & aucupio operam dant cum canibus & falconibus notis auibus & aquilis proximis. Edunt carnes omnis generis, canum, camelorum, & aliorum animalium, modo pingui sint, & inter reliqua murium Pharaonis, qui fermè cuniculos magnitudine equant, quod eorum maxima tota fermè regione copia sit. Lac equarum ita condiunt, ut simile fiat penè albo uino uocantq; Chemurs. More legis cum Mahumetem colant, quot uolunt uxores ducunt, & quod mirum est, tam uiri quàm fœminæ expertes sunt adulteriorum: & fœminæ inter se concordes, tametsi eiusdem mariti uxores: filiosq; uicissim summo amore tanquam proprios. alunt inuicem mutua opera. His de causis maximum numerum ut filiorum educant. Deum maximum colunt, & agnoscunt omnes, & ab eo intelligentiam & prosperam ualetudinem petunt. In reliquis pro religione diuersa sentiunt. In pugna fortes, & arcubus olim maxime utebantur: Sed & nunc etiam licet non adeo ueloces, & acie ualdè densa incedunt, ut pauciores multo uideantur, urbes ipsi paucas proprias habent, sed dominantur illis, sic quasi ut Aethiopes, adeò ut qui urbes colunt subditi sint illorum, ita militiæ operam dant & dominantur, non exercentes artes. atque sic & domini & nobiliores censentur. Sic etiam paucis ante annis Sultanus Aegypto dominabatur, nec milites erant Aegyptij sed & Tartarorũ genere, Circaßi uocati tum Abyßini, id est Aethiopes. Atq; hæc temporibus M. Pauli & Haytoni Armeni, scilicet ducentis iam annis nunc etiam multum à pristino statu mutati, ut & reliqua mutari solent, hoc unum retinẽt, ut etiam uagi sint: & innumerabilis gens equestris, et quæ currus secum ducat, nec certam sedem habeat.

Olim Scytharum gens potẽtißima etiam fuit: atq; adeò antiqua, ut cũ Aegyptijs de antiquitate contenderet, authorẽ Trogo seu Iustino (lib. 2. Hist.) eius Paraphrase. Quo etiã teste constat illos Asiã occupasse & obtinuisse M. D. annis ab ijsdẽ profluxere duæ potentißimæ gentes Bactriani & Parthi, & ut dictũ est Amazones mulieres, quæ uiris haud cohabitabant. Ter petiti à Regibus Persarũ Cyro primũ, à quo uicti sunt, sed post à Thomyri matre ulta filij necem, Cyrus cũ toto exercitu cæsus est. (Herodot. li. 4.) Post à Dario qui inferior pugnis aufugit. Demum ab Alexandro Persis potito uicti, à quo perlibenter in amicitiam sunt redacti, eo non ignaro nõ posse Scythas uinci à nouo Rege, imò nec ab uno solo, sed à multis solum sibi inuicẽ succedentibus. nam si magnus deducatur exercitus per eas solitudines interceptis alimẽtis quod facile fiet ob solitudinũ amplitudinẽ, uiarum et itinerũ ignorantiam, externi ducis consuetudinẽ aßiduè discurrendi Scytharũ cum summa agilitate: & quod maximũ est, eorum patientiam tam equitũ, qui solo lacte equæ sæpius uiuũt ad multos dies, quam equorũ qui corticibus atq; rãdicibus arborũ uescuntur. Non ergo nisi exædificatis urbibus in media solitudine atq; ualidis impositis præsidijs paulatim uinci poterũt. Sed hæc Purerga. Gens ipsa fallacißima cum exteris, inter se tamen haud mẽtiuntur, cũ de gestis suis in bello agitur, parent suis Regibus atq; ducibus singulari et obedientia & ueneratione. Vbi incaluerint ferarum instar ruũt in hostes. Sed ut ad propositũ redeam. Secunda causa imbecillitatis arcuũ est ipsamet equitatio, cum non animaduertant quomodo circumducant equos: et ita sæpe cadunt etiam illi & luxantur membra ex casu. Tertia est, quia diu sine exercitatione manent scilicet usq; ad nonum annũ in curribus, ut uix ab eis discedãt, pauperes etiam deficientibus equis usq; ad iuuẽtutem. unde necesse est ut corpora eorũ omnino reddentur languida et inertia: Hippocrates ergo proponit duo (quæ Alemanus nõ animaduertit) mollitiẽ corporum et laxitatem articulorũ, ex quibus ambobus imbecillitas exoriebatur Scytharum, sed ex hoc etiam plerunq; luxatio articulorũ & fœda distorsio ac syderatio: ut primus morbus essent in intemperie, hic aũt in compositione. Dicit ergo unũ, aliud innuit: quod aperte dicit est quòd qualitas aeris & aquarũ erat causa intẽperiei & eius quæ ad illam sequebatur mollitiei corporum, & maximè accedente ratione uictus humida tota, lacte, caseo, carne absq; tritico, & etiam quod non exercerẽtur nisi in equis: unde talis exercitatio & si pulchra sit ac decora & utilior sæpe in bello pedestri, & habeatur digna Principibus ipsis etiã hac tempestate: nihilominus neq; ad sanitatẽ neq; ad robur corporis et membrorũ par est terrestri exercitationi: Alterius uerò scilicet luxationis & deformitatis in corpore, quæ est in compositione: Causæ erant quod infantes non constringerentur debitis fascijs, ut apud alias gentes, nõ exerceri demum malè insidere equis ab initio ob consuetudinem desidẽdi perpetuò in curribus. Quod autem innuit est quod utrisq; incommodis Scythæ medebantur ustione, sed præcipuè huic secundo cum tamen illa etiam conferret ad primum.

TEX. XII.

MAsculi eñ eorum antequã potentes fiant, equos cõscendere, atq; in illis uehi, plurimum temporis desident in curribusq; raro prodeunt, ut inambulent propter profugia & circuitus.

Declarat rationẽ secundæ causæ, et hæc est clara, scilicet quies perpetua dum pueri sunt in curribus. Post reddit rationẽ cur perpetuò desideant, & hanc dicit continuam mutationẽ de loco ad locum, seu circulationes, cum nõ habeant tempus se exercendi: sed cogũtur breui recedere antequã locum sibi præparẽt. Conuenit etiã ut dũ quiescunt uestes mundent, lauent se, exonerent aluũ, nã quotidie cogũtur hoc facere ut locũ mutent, licet parũ procedant, & ideò cũ uersentur circa eundẽ locũ & quotidie permutetur, uocauit eam circulationẽ. Quod dicit μεταναστάσιας, id est profuga ab exulum similitudine fugæ deducta, qui procul & incertis itineribus ac repente se subducũt. propterea profugia melius quã exilia uertere debemus. Exiliũ enim damnationẽ includit, cum nulla gens minus exilio obnoxia sit, tũ ob iustitiam quæ summa erat tum in illis adeò, ut dicat Iustinus, Aurum « atq; argentũ perinde aspernantur, ac reliqui mor « tales appetunt: sed quod nõ sit locus unde exulẽt, « cum nulla sit patria, nec ubi exulent cum ubiq; pa « tria sua sit, ubi terra, cœlum & alimenta non de « sunt. Per profugia ergo longa itinera & totam uiam: per circuitus itinera quæ dictim peragunt.

TEX. XIII.

MVliebriũ aũt corporum formæ ad miraculũ usq; fluxę existunt.

Docet mulieres esse tãto molliores uiris mollibus, quãto mulier uiro mollior natura est: ne quis forsan existimaret commutatas uices: ut uidimus Bononiæ in nobilißima familia fratrem mansuetißimum & sororem asperrimam. Dicebat ergõ

ergo in hanc sententiam Galenus quarto de Compositione medicamentorum (cap. 1.) secundũ genera: in carne molli præditorũ numero continentur mulieres uidelicet candidæ, pueri eunuchi, uiri cute alba: insuper qui regionem frigidam incolunt, humidi hi quoq; & pituitosi, ideoq; molles & albi. Oribasius etiam de Machinamentis (cap. 1.) mulieres pueris in mollitie cõparat. Diximus autem de his plura in undecimo Contradicentiũ (22.) Cæterum ex his manifestũ est cur Scythiæ mulieres ualdè castæ sint, ut superius diximus: sunt enim admodum frigidi & humidi corporis, & secundum naturam, ideò mansuetæ, prudẽtes, uiris morigeræ, ad quod facit etiam plurimũ uini abstimentia: unde Romani mulieribus uino interdictũ fuit donec crescẽte luxuria ebrietas accesßit, pudicitia recesßit. Quamobrem qui castam ducere uxorem cupiat, ex temperie conijciat, & educatione parẽtibusq;: nam filij primum parentibus similes natura sunt: inde educatio ipsa et causa est & signum naturæ, quæ enim parum edunt, & à uino abstinent, hæ minimè Venere flagrant. Ebriam mulierem continentem esse, uel etiã si multum potet uinum nec inebrietur, impoßibile est, quæ enim corpore non inebriatur magis inebriatur quàm quæ corpore. augetur enim in his ambitio, cupiditas, ira, furor, inertia quædam ad omnia bona opera, libido aeris & salax, animus dolosus. Temperaturam autem frigidam & humidam cognosces ex habitu macilento sub pingui albo cum uenis angustis: contra uerò uiri illi effœminati & malorum morum: tametsi iustiores non natura, ut credebant antiqui, sed quod solitudo illa hominibus multa uitia adimit: redduntur q; simpliciores conuersationes solum cum suis, & cum beluis, bobus, equis, canibus atq; feris. Conuenticula enim hominum in urbibus, oppidis, uillis, quantum addit ad commodum, tantum etiam adijcit ad improbitatem. nam quisq; ab alio discit, uitia ac scelera, quæ una actione discuntur, uirtutes non ita & artes aut disciplinas, quæ non nisi continuato usu acquiruntur. Indicio est quod ciues deteriores oppidanis, oppidani uillicis, uillici hominibus solitarijs. Vnde illud postmodum promanauit Aristotelicum, homo solitarius aut bestia aut Deus.

TEX. XIIII.

SCytharum gens fului ualdè coloris existit propter frigus ingens. Non enim uehemens accedit ad eas sol, à frigore uerò albedo exuritur, & fit fulua.

Theophrastus de hoc agens inquit (2. de Caus plant. cap. 4.) quod frigidi flatus adurunt germina nuper prognata & flores. Reddit huius causam infra cũ dixit, frigore geluq; tã sapores quàm odores hebetiores ob densationem redduntur, nil enim concreta exprimere possunt: tum etiam obliterantur quodammodo ex uiolentia frigoris, nec modo illa sed etiã sensus tollitur: paulò post: nã et fructuum dulcedinẽ frigus per gelationes educendo eximit. Pari modo & nimij æstus saporibus officiunt, alia namq; exurit alia non concoquit alia putrefacit. Vt breuiter absoluam, frigus non exurit nunquam. hoc enim absurdum, quòd à causis contrarijs primùm idem procreetur effectus: si ne que hoc uult Hippocrates, sed quod ab æstu & gelu similes procreentur ad sensum affectus, ex quibus postmodum ijdem affectus tandem eueniunt, uelut ignis & glacies manifestè perimunt hominem, & extinguunt etiam calorem naturalem: ut uerò non eodem modo, sed quia ignis exurit, glacies exprimit humidũ quod est caloris innati fundamentum: & ita cum cutis & caro ex utroq; priuentur, humido & calore innato & flore sanguinis pariter uidebuntur exusti & color erit πυῤῥὸν. sunt autem tres colòres apud Latinos qui ualde proximi sunt, fuluus, flauus qui et rufus et pallidus: sub hoc nomine Græco præcipuè licet fuluus significetur, cum etiam igneus contineat alij duo quoq; intelligũtur. Est igitur color obscurus à rubro & candido alienus ob cutim densatam à frigore nimio & humido natiuè atque sanguine prorsus destitutam, uelut in Aethiopibus etiã exustæ speciem referente.

LECTIO XCI. SVPER TEX. XV. XVI. XVII. ET XVIII.

NEq; uerò possibile est fœcundam eorum esse naturã, cum uiri minimè cupidi sint cum fœminis commisceri ob nimiam corporis humiditatem uentrisq; mollitiem ac frigiditatem, quæ causæ apparent minimè uiros ad coitum incitare.

Docet Scythas minimè fœcũdos esse minimeq; salaces tum in Venerem potẽtes duabus ex causis quibus prohibentur uiri. inde idẽ de fœminis adijcit. Vt tam causa fœminarum quam masculorũ idem cõtingat. Coordinantur aũt hæc quatuor, salacitas seu appetitus ad Venerẽ, seminis copia, erectio ualida membri, & fœcunditas. salacitas est minor omnibus adeò, ut etiam in decrepitis maneat. Post seminis generatio, quã etiam in illis fit,

non

non tamen adeò copiosa, neq; bona ut in iuuenibus. ambo igitur hæc minoris sunt momenti: sed tentio membri exigit multa, & ideò minor est in senibus, nec fit nisi post somnum, & cibo concocto præsertim calido potestate, & cum modico potu, & ipso non multo & duriore & ante mictum: & si fiat crepitus uentris soluitur plerunq;. Et causa propria est, ut alias declaraui, robur cordis aut ualida imaginandi uis, quæ cogit cor impellere spiritum flatuosum, & caliditas renum ualidiorum & pinguium trahentium & transmittentium. ideò horum præcipua cura habenda est, & si hæc omnia adsint poteris esse fœcundus, & non esse, sed si sic fœcundus priora tria aderunt. Cumq; ex Aristotelis sententia (5. de Hist. anim. cap. 14. & 7. eiusdem. cap. 6. in princ.) homo fœcundus sit ad LX annum usque: & si plurimum ualeat ingenerando ad LXX. dubium non est quin anus Scythas ex regula Dialectica nostra quin terminus generationis non sit ad annum usque quinquagesimumquintum, aut cum maximè ualent hoc in munere ad LX usque. Quod si qui transgrediantur ea ratione transgrediuntur, qua etiam ut alibi dixi aliqui etiam usque ad XC & forsan usq; ad C annũ generant in probabilibus. Ergo Aristoteles sumpsit quòd plerunq; accidit, cum nihil definitum sit. Oportere enim spacia uitæ primum esse definita, inde definire generandi spacium. Verisimile enim est, & Scythas esse breuioris uitæ, ut ad summum non attingant octuagesimum sed septuagesimo maximè senescant, quod prætermisit Hippocrates non ut incertum, sed ut ex dictis iam euidens. Auerrois dixit (2. de gener. & corrup. com. 48.) iuuentutem extendi ad XXX annum, seniunt ad LXX. quasi innueret hominem generare non posse, nisi in his duabus ætatibus. & ita hæc erit causa, cur non ultra generet, uelut nec in pueritia, & multo minus in infantia. Ostendit ergo hoc eo modo dum consequens negat. Dum homo est fœcundus ualet etiam ad Venerem, sed Scythæ parum ualent ad Venerẽ ob frigidam intemperiem per se, ex qua nec conficitur semen, nec spiritus generatur ad tensionem, quæ duo ad Venerem sunt necessaria & per accidens, ut dicunt Barbari, ex humido quod ut dicebat Galenus (2. de Temperament. cap. 3.) est causa mollitiei, & mollities eiusmodi uix tendi potest ulla ratione, uelut de furtibus madidis, ni hinc inde trahantur, quod imperiem contingire non potest, igitur non possunt esse prompti ad Venerem. igitur neq; fœcundi.

Sed hic emergunt tres dubitationes. prima, quia Syluius Rex Scytharum genuit LXXX filios, authore Plutarcho (in libro de Garrulitate.) Vnde illud quod moriens fasciculum sagittarum iussit afferri, & ut frangerentur ab eorum robustissimo imperauit, qui cum non posset ipse singulas fregit, indicans quod si in unum consentirent, regnaturos: si dissiderent, regnũ singulos amissuros & uitam. Secunda, quia Scythæ (inquit Galenus) sunt humidi non frigidi, sed de hoc in Contradictionibus (12. lib.) Tertia, quoniam aliqui senes cũ ægrè arrigant, multis iuuenibus sunt fœcundiores. Vnde apud nos prouerbium illud experimento cõprobatur, qui rarò amplectitur, sæpe constringit, id est, qui rarò coit, frequenter generat. De prima igitur facile est respondere, quod apud Barbaros mos sit eligendi Regẽ eum qui sit robustior & fortior et speciosior, atq; hi sunt plerunq; postmodum maximè fœcundi, ut de Hercule referunt, quòd LXX filios masculos genuerit, & unam solam fœminam. cum ergo Regibus liceat habere quotquot fœminas uelint, & etiam alere eas possint, & educare filios iam natos: nil mirũ si habuerint LXXX filios, præcipuè cum pro laude illi cederet tanta fœcunditas apud subditos. Barbari enim talia imò quæcunq; admiranda cum bona fortuna coniuncta, etiam summã saeuitiam uelut in Ismaele nostris temporibus, qui propriam etiam matrem occidit, ad diuinam naturam referunt. Sed si hæc fœcunditas ad fœcunditatem habitãtium in alijs regionibus referatur, parua erit: cõstat enim nostra ætate cuidam Regi Moluchiarum, hæ sunt Insulæ de quibus dictũ est, fuisse de filijs fœminis tamen computatis, sed uerisimile est masculos ipsos fuisse longe plures LXXX. Ad tertiam dubitationem dico, quod cũ arrigunt plus facit ad generationem seminis bona coctio & paucitas moderata, quæ ad coctionẽ facit, & ratio bona uictus, & quies & fœmina non libidinosa, quam solum robur tentionis uirgæ: & & ideo hi facilius & frequentius generant. Commoda aũt appetitus Veneris est uolũtas in eam & erectio ualidior & effusio seminis perfectior & celerior. Multitudinis seminis ut fœtus qui nascitur habeat membra seminalia maiora, et quod sit robustior, & si concoctũ sit, ut sit spissior ac densior, & magis spiritu abundet, & melius hæreat atq; cogatur, sit etiã calidius, et prius quod multũ refert. Tẽtionis uirgæ ut totũ effundatur & simul quod plurimũ refert, & celeriter ne refrigeretur. Vnde q habẽt uirgã longã nõ sunt adeo prolifici.

TEX-

TEX. XVI.

ACcedit his laſsitudo ex continua equitatione cõtracta quæ eos ad commiſtionem reddit impotentiores, atq; hæ ſunt cauſæ cur uiri infœcundiores putentur.

Hæc eſt ſecunda cauſa, ex longa equitatione maximè debilitantur renes, nam crura magis delaſſantur in pedeſtri itinere: ſed ad coitus appetitum & robur ſeminis plurimum faciunt renes: qui cum calidi ſint calore, præter naturam cauſa ſunt, ut ſemen à naturali calore deſtituatur: cum ergo parum appetant uenerem, & ſemen ſit crudum & frigidum parum generabunt. Vnde qui ſtudent generationi, debent raro & parum equitare, exercere ſe in pedeſtribus exercitijs, parum edere & cibos craſſos & boni ac ualidi alimenti, ut ſuillas carnes aſſas, caſeum, modicum bibere & uinum rubrum, potens & benè dormire. Porro omnia quæ inimica ſunt cordi aut renibus, officiunt Veneri & generationi, ut in Scythis equitatio: generaliter autem multa Venus, et aßidua, effuſio ſanguinis uiolenta & copioſa, uigiliæ, medicamentum potens, & maximè è lacticiniorum genere, timor, triſtitia, cruditas.

TEX. XVII.

MVlieres autem pinguedo carnis et humiditas ſteriles facit, præ quibus uteri earum genitale ſemen arripere nequeunt.

» Hoc eſt clarum apud Hippocratem quinta Aphoriſmorum (43.44.& 60.) licet autem ſolum addere quæ ibi ſcribuntur: Quæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt ſecundo aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta, ijs acetabula uteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt ex pondere fœtum continere ſed dirumpuntur. Et iterum quæcunq; præter naturam craſſæ non concipiunt utero, ijs omentum os uteri comprimit, et priuſquam extenuatæ fuerint non concipiunt. Et iterum, quæcunque frigidos & ſpiſſos uteros habent non concipiunt. Et quæcunq; præ humidos uteros habent non concipiunt. Extinguitur enim in eis genitura: & quæcunq; ſiccos magis & adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quæcunq; uerò ex utriſque mediocrem habent temperaturã hæ fœcundæ ſunt. Oſtendit hoc ipſum etiam libro de Natura muliebri illis uerbis (pag. 6.) ſi uerò craſſa facta fuerit mulier præter naturã. & eadem ad uerbũ repetit libro de Steribus (pag. 3.) & in lib. de Superfœtatione: Mulier quæ præter naturam craſſa eſt ac pinguis, & pituita repleta non concipit hoc tempore. Verum nullus melius hæc uidit aut interpretatus eſt, quã Veſalius: is ſiquidem in ſuo opere de Fabrica humani corporis inquit (cap. 4.) Arbitratur Hippocrates in huiuſmodi fœminis molem incrementi omenti inter uterum & ueſicam interpoſiti collectam & aſſeruatam, ita uteri os comprimere arctaréq;, ut ſeminis conceptum ſeſe recludere, aperireúe nequiret: et ceruicis uteri iuxta fundũ amplitudo à pene eoq; potißimum languidiore minusq; procero ita diſtendi haud poſſe ut ſemini in fundum uteri aditus pateret.

TEX. XVIII.

LVnares namq; purgationes eis nõ eueniunt quemadmodum eſt neceſſe, ſed minus & intẽpeſtiue. Ipſamq; amplius uteri os prępingue dine concluditur ut nequeat ſemen ſuſcipere: ſunt eñ ocioſę & pingues uentresq; earum frigidi & molles. Vnde neceſſario ſequitur, non multum fœcundam Scytharum gentem eſſe. Cuius rei famulæ earum indiciũ exhibent, ſtatim eñ ubi ad uiros acceſſerunt, ac fuerint cum illis commiſtæ in uentre cõcipiunt, propter corporis exercitiũ carnisq; gracilitatẽ.

Oſtendit quatuor alias cauſas ſterilitatis in mulieribus: ſcilicet intempeſtiuas lunares purgationes, & os uteri præpingue, ut non poßit ſemen ſuſcipere, & uentres frigidos & molles: ut neq; ob mollitiem poßint recepto ſemine perfectè concludi, neq; etiam ſi concludantur concoquere ſemen ac fœtũ fouere qui calore indiget plurimo ac temperato, cũ in his ſit modicus atq; remiſſus. Addit Alemanus quòd prodeunt duarum ſeminarũ Atticarũ pondere, id uariatur à pleriſq;, tamen communis Attica eſt unciarum XII. magna (duplex enim eſt (XV. ut pondus illud ſit à XXIIII. uncijs ad XXX. quod uerũ eſſe non credo, niſi in ualde bene habitis mulieribus. Poſſet intelligi de hemina minore quæ eſt unciarum IX. ſed illa Attica non eſt. Budæus inquit (2. de Aſſe.) Mina Attica LXXV. drachmas pendet, aliud autem eſt hemina, id eſt ſextarij dimidium quæ & contula Latinè dicitur: amphore ſextarius XLV. pars eſt hemina ergo XC. (lib. 5. eiuſdem.) Et hæc eſt potius menſura quædam quam pondus: eſt enim uacuum quod cõprehenditur pedali ſpatio in longitudine

gitudine, latitudine & altitudine, ut sit CCXVI. unciarum mensuræ, sed melius Festus Amphoram existimat esse LXXX librarum, ut hemina sit unciarum IX. cum besse, & duæ heminæ unciæ fermè XIX. (ex Budæo libro eodem.) Sed cum hæc adducat Alemanus neq; ex experientia didicisse uidetur, cum heminas Atticas dicat, ego tamen malim dicere minas ut libram per minam intelligat: neq; à quo acceperit authore testatur. Satis est illum prope metam communem ut reor acceßisse. Secunda causa alia est ab ea quæ superius posita est, cum ad omentum illa, hæc ad os uteri pertineat. Tertia forsan similis superiori uidebitur. Sed differt cũ hic non de retentione agat, sed potius coctione. Quarta est ocium quo corpora refrigerantur & excrementis replentur.

LECTIO XCII. SVPER TEX. EODEM XVIII. ET XIX.

Circa hæc de generatione infantis comparatu ad menses, præter ea quæ dicta sunt superius, succurrit pulchra obseruatio ex Hippocrate in libro de Superfœtatione (pag. 6.) cum enim docuisset ea quæ superius diximus ad generationem utilia, & quod tempus uernum ei maximè idoneum est, » subiungit: Et ubi marem generare uoluerit, men » sibus desinẽtibus aut defectis, misceatur, & quam » penitißimè intrudat (scilicet genitale) donec de» seruiat. Vbi uero fœmellam generare uolet quum » plurimi menses prodierint mulieri, & dum ad» huc eunt, coeat, & dexterum testem obliget quan » tum ferre potest, ut in generando marem, sini» strum. Vt etiam intelligamus non adeò intruden dum, ut in emißione semen aliquantißper refrigeretur, ita etiam non adeò erecto pene fœmellæ potius generantur, aut omnino non generantur. Menses autem rorrupti dicuntur minuúq; ad concipiendum idonei, primum si aquei, fœtidi aut nigri purgationis tempore ueniant. Deinde si uiridis, albi aut cærulei uel crocei, & si plurimum fluant aut longiori tempore, aut breuiore quam par est. & si urant & si non stato circuitu, sed seriùs aut citius, aut si omnino nõ fluant. Neq; enim prorsus steriles fiũt si nil fluat, dum uirgines sunt: uidi enim plures quæ conceperũt nuptæ cum uirginibus nõ fluerent menses. Longè tamen paucioribus quibus ut pepererint nihil fluit statis temporibus contingit ut concipiant: concipiunt tamen aliquæ. Multa præterea in hoc genere mirabilia contingunt: Velut Sebastiano Peregrino patritio Bononiensi, qui æger cum uxore ægra concubuit, & ipsa toto tempore ægra permansit usque ad partũ, & filius nihil incommodi passus, sed etiam boni habitus superuiuit, cum sit quinquennis. Atque ad hoc plurimum facit nutricis qualitas, quæ & sana ualdè sit, atq; optimi habitus & infantem benè curet.

Cuius rei famulæ indicium exhibent.] Hæc est declaratio quartæ causæ, in qua ostenditur quantum possit exercitatio in comparatione ad ocium, nam sola exercitatio præpollet aeri & rationi uictus, cum feruæ sint salaces & fœcundiores dominabus, quia calidiores & minus abundant excrementis, & magis retinent fœtus. Ex quo colligũtur duo, quod quæ exercentur mulieres sunt salaciores, contra ociosæ magis castæ. Secunda, quòd mediocris exercitatio utilis est utero gerentibus: tum etiam si paulò uberior fit modo non incommoda, in corporibus excrementitijs est potius utilis quam damnosa. Diximus alias satis de commodis exercitationis ex secundo de Tuenda sanitate (cap. 2.) sed hic non propriè est sermo de exercitatione uera, sed motu leui & mediocri, qualis est deambulatio, negocia domestica, conficere panem, abluere uasa, coquere carnes, lectos aptare. Conueniunt autem hæc magis secundo & tertio & quarto mense, inde nono, non octauo.

TEX. XIX.

AMplius autem præterea plurimi Scythæ eunuchi nascuntur & muliebria officia obeunt instarq; fœminarum omnia faciũt & loquuntur, uocanturq; hi Effœminati.

Non parua est difficultas his temporibus & uerbis & rebus satisfacere, nam cum malè posita, & ab imperitis sint nomina rebus, si uolumus res tradere difficillimum erit intelligere mentem antiquorum, qui de his scripserunt, si uerba sequamur, in errorem necessario antiquorũ incidemus, ipsumq; etiam augebimus, quod usu euenit in præsenti tractatione. Quapropter cogimur utrunq; amplecti, & dicere quomodo nomina ab antiquis tradita sint intelligẽda, deinde quomodo res ipsæ sint disponendæ. Primùm ergo hoc nomen eunuchi generaliter capitur pro omni homine, qui impotens sit ad Venerem: eum enim declarasset Hippocrates Scythas esse frigidos, & ob id etiam steriles uult declarare euidentiori signo eos esse frigidos

gidos quia ad Venerem sint impotentes, propriè enim frigidi dicũtur homines qui ad Venerẽ sunt impotentes. unde titulus est apud Iurisconsultos de frigidis & maleficiatis. eunuchorum ergo differentiæ tres sunt speciales thlibiæ castrati & spadones castrati dicuntur, quibus adempta sunt uirilia, hoc autem bifariam aut testiculi solum qui non prorsus sunt impotentes ad Venerem, sed solum ad generandum, ea causa solent nunc Turcæ tota uirilia præcidere & euadunt multi, quoniam copiosa opio in profundum somnum ducuntur. Thlibiæ uerò sunt quibus testiculi in manibus obstetricum cõtriti sunt, spadones uerò quibus meatus pudendi contortus est. ergo tamen etiam spadones dici inuenio quibus effecta sunt uirilia. Eunuchi dicti sunt ἀπὸ τῶν ἐχειν, id est quod lectum habeant, scilicet qui admittuntur ad reginas & filios principum, præstantiores in hoc mulieribus quod non adeò cum illis cõsentiant, nam mulieres communi consensu cum reginis & filiabus regum amicis amatoribus inuicem consentiunt, sunt præterea expeditiores mulieribus & facilius ac promptius occurrũt adulteris atq; illos deprehendunt, possunt etiam ulcisci suntq; audaciores, quia arma ferunt, demum quotidie sine suspicione ad regis aures ueniunt, quod in mulieribus non sine admiratione fit, unde deferuntur, & ad reginas & ad adulteros, & sæpe accidit ut res prius ab adultero quàm adultera rege occidatur his tot causis atq; alijs forsan eunuchi mulierum custodiæ à regibus præferuntur. Sunt etiam custodes adolescentium filiorum atq; puerorum cæterorum, cum mulieres quandoq; in turpia facta illos alliciant, aut saltẽ permittant flagitiosi uiuere. Sed hæc satis superq; de uerbis. Venio ad res ipsas, eunuchi trium sunt generum, alij quidem ob priuationem uirilium, aliqui ob uitium in illis, aliqui ob naturæ impotentiam non generantis semẽ aut flatum transmittentis, sunt enim hæc tria necessaria ad Venerem, membrum cum suis partibus, materia et eiaculator spiritus. horum unum quodq; defectuum scilicet præcisionis, frigiditatis & uitij, tres esse causæ possunt, uis, natura & casus. Hic ergo intelligit non delui, ut clarissimũ est, neq; enim referretur in Deos nec essent in uenerationẽ, deinde ipse se explicat, quod intelligit de casu quem declarabit inferius. unde notandum est quod ut habetur in primo de semine, priuatio aut corruptio testium est causa frigiditatis in toto corpore, & uicissim frigiditas est causa impotẽtiæ ad Venerem. sunt ergo frigidi & à signo & à causa eunuchi, dicit ergo quod eiusmodi homines muliebria officia obeunt, & instar fœminarũ omnia faciunt & loquuntur, & mulieres quidem uocem acutam mittũt, dicebat (Probl. 65.) Philosophus 11. Problematum, uir, pueri, mulieres, spadones & senes uocem acutam reddant, & causam dicit esse quoniam parum aeris trahunt propter imbecillitatem, & rei ueritas est, quod corpora eorum sunt frigidiora, & ideo uiæ redduntur angustiores, & similiter de barba quam non emittunt, eadem enim est ratio in utrisq;, et idem modus. nam si ab initio eunuchi sint & ab infantia nec unquã producũt barbam & uocem retinẽt muliebri angustiorem ac tenuiorem, uerum si post adolescentiam fiant eunuchi, & in barba, & in uoce, & in moribus mistũ quid retinent, adeò ut plurimos lateant, & ego uidi aliquot barbatos, sed ranore et breuiore barba, ubi enim exciderit non renascitur, & longiores pili propter imbecillitatem cadunt, & uox in eis fit inæqualis & mores misti. constat enim Narsetem eunuchum Iustiniani Imperatoris Italiam à Barbaris uindicasse maiore fẽlicitate etiã quàm antea fecisset Bælisarius cognoscuntur, ergo eunuchi & moribus fœmineis, & quia sunt sine barba & uoce exili, & ideo etiam amant muliebria negocia, texunt enim & suunt, & inter mulieres uersantur. Vnum solum spadones retinent munus, de quo Philosophus ait (38.) 10. Problematum, quod corpora eorum proceriora euadunt. quod potius proprium est uiris quàm fœminis: cuius affectus ibi causam docet.

LECTIO XCIII. SVPER TEX. XX. XXI. XXII. ET XXIII.

REgionis quidẽ incolæ causam ad Deum referunt, colũtq; hos ipsos homines, & adorant sibijpsis timentes ne quid tale accidat.

Omnibus temporibus ac gentibus cultus deorum communis fuit. Persuasum & ex æquo est cærimonijs illos delectari, nec solũ eos in honore habitos, atque qui diuina tractant, sed quotquot ab ipsis plexos animaduerterint: seu tãquam cognitos, seu quod curæ eis fuerint seu ob conuersationẽ atq; contactum. Timor, admiratio, spes, plures in Deorum opinionem traxit, ratio pauciores scilicet Philosophos. Solicitis maior cura Deorũ, felicibus fermè nulla, qui enim sperant, non sunt felices. ob id quicquid occursabat aliquãdo Aegyptij pro dijs habuerunt. sapientiores eos à quibus timebant uelut crocodilos, aut à quibus iuuarent

uelut Ichneumonem: etenim id secum cogitabant, si plus potest nobis aut iuuat, cum eo aliquid diuinum esse necesse est, & ob id coli dignum. His rursus sapientiores coluerunt astra & solem, quæ maximè perpetua & pulcherrima esse uidebant. Inde à philosophis ratione in incorpoream naturam uentum est. Inde etiam leges introducto Deorum cultu facile fuit ipsum augere sacerdotum cura, qui rebus etiam suis fauebant, tum uerò quicquid mali casu aut stultitia nobis accidisset in Deos uertebatur: tum quicquid boni etiam si diligentia ac prudentia partum foret in eorundem benignitatem traducebatur. Adeò ut & Camillus & alij præclari Duces Romani, pro uictoria quam multo sanguine ciuium adepti erat & consilio etiam bono Dijs ædes sacras uouerent, Ioui, Marti, Fortunæ. Coacti sunt ob hæc cum non uerisimile esset à bonis mala neq; à malis bona proficisci, deos alios bonos alios malos statuere, qui mos ad omnes leges promanauit, nisi quod Christiani malorum authorem non Deum malum faciunt: sed Dæmonem. ijdem minus tribuunt ceremonijs (tribuunt tamen) omnibus alijs legibus. Dißident omnes leges in hoc uno à Philosophis, quod hi curam solum generalem de nobis tribuunt: leges omnes propriam ac specialem. Propterea subijcit.

TEXTVS XXI.

Mihi uerò hi affectus diuini quidem esse uidentur, sicut & reliqui omnes neq; ullum aliquem ullo alio esse diuiniorem aut humaniorem, sed diuinas omnes: uerùm unusquisq; eorum suam propriam habẽt naturam, neq; aliquis citra naturam nascitur. Quare quomodo hic affectus contingat ut mihi uidere uideor narrabo.

Omnia à Deo proficisci qui Deum esse incorporeum & Cœlimotorem arbitrantur nemo dubitauit. Quidam etiã cognoscere, è quibus est Hippocrates in libro de carnibus (Pag. 2.) et uidetur mihi sanè id quod calidum uocamus immortalem esse, & omnia intelligere, uidere, audire atq; scire tum præsentia tum futura. nam Epicurus solũ putat esse causam non autem cognoscere quisquam sed ut Ausonius

Quid est beatum? morte æternum carens
Quod nec sibi faceßit negocium nec alteri.

Alij existimarunt communibus rationibus ab eo perceptis, atq; intellectis hæc cognosci, non tamen singula sub illis uelut hominem hunc atque illum quod sit homo ut Algazel Philosophus, alij etiam propria unius cuiusq;: uelut constitutis tribus circulis occursantibus sibi inuicem quod solum in tribus punctis sibi occursant. & hæc est opinio Aristotelis & Auerrois. Quidam etiam uolunt quod

sciat quæ illi contingunt uelut ægrotare, ambulare, irasci, hæc autem fortuita & non definita. Iuuenes autem etiam per proprias rationes: uelut si Deus uideret aut cerneret, ut homo. Hippocratis autem opinio est, quod norit & efficiat ut causa, communis cuius minister sit natura. Porrò in eãdem sententiam iuit in libro de Morbo sacro his uerbis. Hic morbus nulla re diuinior mihi esse uidetur reliquis, sed naturam habet quam etiam alij morbi & causam unde singuli gignuntur. Naturam autem et causam ab eodem Deum fieri à quo etiam alia omnia. Ipse autem Deus est qui maxima ac scelestißima peccata purgat et liberatio nostra existit, ipsiq; ei terminos delubrorum atq; templorum constituimus, ut nullus qui non purus sit eos transcendat, non quod inquinemur ex eis sed quod potius si aliquid patrauerimus purificemur.

Porrò de Dijs sententiam Galeni explicare cõmunem, superfluum est, cum eadem sit ei quæ fuit Peripateticorum: propriã autem in libro De Præcognitione (cap. 1.) de Posthumum his uerbis eius modi uiri (id est probi ac sapientes) quamuis ignoti uulgò sint, summo tamen rerum opifici Deo noti primum amici sunt. Ipse tamen Tertio in Tertium Epidemiorum (com. 3.) uidetur, ut dixi, secutus opinionem dicẽtium existimantiumq; astra esse Deos, quòd in eis propter æternitatem diuina uis manifesta sit.

TEX. XXII.

Ab equitatiõe ipsa diuturni eos corripiunt dolores nimiũ propendentibus semper ex equis eorum cruribus. Deinde claudi fiunt contrahunturq; uertebræ cum inualuerit morbus.

Ostendit causam naturalem impotentiæ ad Venerem, equitationem ipsam importunam multis modis:

modis: primum quod sit sine exercitatione terrestri: secundo quòd sit per loca frigida: Frigidũ aũt inimicum neruis & oßibus (5. Aphor. 18.) & generaliter omnib. mẽbris exanguib. tertio quòd sit laborioſa per loca inæqualia & diuturna. An uerò per se eqtatio deducat ad articulorũ dolores etiam quòd esset moderata et cõmoda? dico quod sic, quia deducit humores ad partes inferiores. Vnde Suetonius tradit impleuisse crura equitatione post cibũ, quæ etiã tanto insalubrior est, quãto reliquæ exercitationes eo tẽpore magis noxiæ sunt, lib. de Cibis boni & mali succi (cap. 3.) & etiam quia diuaricat crura & ideo facile dolẽt articuli, & dilatãtur. Et etiã ob cõcußionẽ idẽ cõtingit: nã antiquo tẽpore quod mirũ est, & tamen ex ſtatuis perſpicuũ, nõ erant ſtapedes inuentæ sed ex ephippiis crura pendebãt magno incõmodo: noſtra tẽ pestate nõ solum hoc inuentũ utile est, sed etiã ad firmitatẽ et pugnã plurimũ affert auxilij: cuius indiciũ est quòd nemo hoc auxilio carere uult. Venis ad propoſitũ, hic colligitur, quòd equitatio huiusmodi facit dolores acres coxendicum, primum inde claudicationem in actu: inde cõtractis coxendicibus claudicãt. Vnde liquet claudicationem ex dolore coxendicum fieri eo decurtato non facto longiore in quibuſdam tamen accidit ut crus patiens dolorem producatur cum fuerit ex sola luxatione: nam cum articulus exciderit necesse est membrum reddi longius. Galenus Primo in sextum De morbis ſingularib. (com. 6. in fine) ubi enumerat ualidas exercitationes, dicit: equitationes et armis ac lucta & Pancratio certare aut humum fodere, nec eas cõmendat, ad robur membrorũ cõparandum: sed potius alias mediocres. Sed dicit (2. De Tuen. ſan. cap. 8.) equitationem nõ solum exercitationem, sed opus. Declarat: ſi quid per opus intelligat id quod finis causa fit ut equitatio peregrinandi etiã non solum exercendi causa. At paulo pòſt declarat (cap. 11.) quomodo qui equitat exerceat etiam oculos, ſpinam dorſi, crura quoq; & semina, dicit etiã collum laborat & inteſtina agitantur. ex quo manifestũ est quod huiusmodi exercitatio est incõmoda ualdè patientib. epiplocelem & interocelem. In lib. autem de Ludo paruæ pilæ docet (ca. 5.) quod equitatio præcipuè nocet renibus & pectori, ut sæpe fregeris aliquid circa eas partes, inde etiã dicit nõnunquã uaſis seminarijs. Ego tamẽ adhæreo Hippocrati dicenti quòd maximè lædit coxendices. hoc enim magis rationi consentaneum est de antiqua equitatione loquor, noſtra non ita. Appellat autem opus uitæ illã Tertio de ſymptomatum cauſis (cap. 1.) uelut piſcationem, ambulationem, balneas et huiusmodi quæ finis cauſa sunt. Sed differunt maximè inter se etiam genere ut curſus: aut cum equo tortore, aut per angarias in qua seßio est ualdè incõmoda & hæc membris naturalibus maxime officit & uitam breuiorem reddit.

Redeundo ad propoſitum ex incõmoda equitatione & diuturna confluunt humores, & etiam dolent: ipſæq; dolor uicißim humores trahit, quibus fit ut tum propter dolorem, tũ propter membri inequalitatem, tum laxationem ut claudicent, niſi nrãtur ſcribebat Hippocrates 6. Apho. (ult.) Non poſſunt autem hæc perferre incommoda ſed conantur illa auertere. Ideo ſubiungit.

TEX. XXIII.

MEdicãtur autem ſibi ipſis hoc modò. A principio morbi utramq; uenam retro aures incidunt, quo facto ſanguine multo promanãte ſomnus eos corripit præ imbecillitate, ſicq; obdormiſcunt, quorũ quidẽ aliqui de depulſo ſomno ſani exurgunt aliqui uerò minimè.

Quis docuerit hãc rationem curationis non dicit: ſed uera cura non est, maiorem morbũ priore cõtrahere: ob ib dicebat Galen. ex Hippocrate tamen, quartodecimo Artis curãdi (cap. 13.) quod optima curatio exigit, ut æger ſaltem nõ lædatur: at tranſmutare affectum leuiorem in grauiorem, hoc est lædere ægrotantem: itaq; cum longè deterius sit esse ſterilem ne dum ad Venerem impotentem, quam esse claudum, hoc enim uitium omnium perpetuorum est minimum, utpote quam esse ſurdum aut cœcum, aut mutum, aut inſanum, aut qui uomat cibum perpetuo, aut nephriticum, aut reſolutum, aut mali habitus, aut cum lapide in ueſica, aut ſine dentibus, aut ipſis infirmis, aut cum carcinomate, manifeſtum est huiusmodi curationem fuisse ab empirico inuentã, forſan ignorante quæ ſequerẽtur damna. Sequebatur autem profuſio multa ſanguinis, hãc propter imbecillitatẽ ſomnus, et ſatis conſtanti ratione ex quo aliqui ſani euadebant: quidã minimè, quos conſtat deterius affectos esse ex hac ſanguinis mißione. Quæ autem reliquuntur dubia duo ſunt: unũ est quænam ſint iſtæ uenæ poſt aures, & an pulſatiles? ſecundum quinam ſint qui ſanentur, & qui non. Alemanus ad primum dubium reſpõdet, et citat Ve « ſalium (lib. 3. cap. 7. pag. 10. in fine) cuius uer- « ba ſunt (interpoſitis etiam figuris) exterior exter «

» næ iugularis portio per capitis exteriora paßim
» repens mox glandulas ſuis quoq; diſtributionibus
» præfectas obtinent quæ inibi ſub aure reponũtur,
» ubi inferior maxilla ſuperiori articulatur. Præ-
» ſens portio inter has glandulas bipartitur: & uno
» ramo in buccas narium alas & ad frontem uariè
» exporrigitur. altero aũt tẽpus & auris regionẽ a-
» dit. Hic enim ramus denuò in duos præcipuos ſur
» culos diuiſus, unum in ſui lateris tempus, admodũ
» errabundo, et inuolato ductu digerendum offert,
» alterũ uerò poſt aurem, & ad occipitis cutem dif
» fundit, exterioris iugularis ſoboles in faciem ac
» capitis cutem digeſtæ, hoc ſibi priuatim uendicãt,
» quod dextri lateris uenæ ſiniſtri lateris uenis qui-
» buſdam ſedibus permiſceantur, ac inuicem coeãt,
» idq; potißimum faciem & uertice, & in primis
» adhuc in fronte, adeo ut frontis uena plerunq; ab
» utrarumq; iugularium, propagimibus per inter-
» nos oculorum angulos ſurſum deductis cõſtetur.
» Ad hæc per exigua uerticis oßium foramina, &
» ſuturas gracillimæ uenulæ in caluariam procidũt,
» non aliter atq; rurſus ex caluaria in cutem alias e-
» mergere tum dicam, quando cerebri uaſorum ſe-
» riem priuatim enarrabo. Quippe hæc opportunè
» tantiſper dum in caluariam arterias quoq; ſermo
» ne perduxero, aſſeruabitur quod uaria cerebri ue
» narum arteriasq; ſit commixtio, quàm incognito
» adhuc arteriarum ad caluariam deductu, arduum
» foret percipere. De pulſatilibus non meminit cũ
eas agnouerit, ut in libro de Alimento (Tex. 40.)
Quinam uerò eſſent qui euaderent & qui non, cũ
certum ſit per uenas educi ſanguinem, aut humo-
res ſub ſanguinis forma, qui poteſtate tantũ humo
ris formam referunt: Quibus ergo defluxio ad co
xendices uel ex ſanguine fuerit, uel humoribus æ-
qualibus, his talis ſectio detrahens. cauſam ſaluta-
ris fiebat, alijs autem non. Quibus autem tempera
mentum bilioſum, aut pituitoſum, aut melancholi
cum, aut immodicè ſiccum imbecille, his quidem
nocebit non parum faciens hydropes & malum
habitum, ut Nono Artis curandi (cap. 10.) alijs
non proderit.

LECTIO XCIIII. SVPER TEX. XXIIII XXV. ET XXVI.

AT mihi ſanè uidentur ea meditatione ſe ipſos perdere. Venæ enim retro aures ſunt quas ſi quis ſecet ſterilitatem inferat his quibus ſecatur, quare id etiam ipſis ex earũ inciſione accidere certum eſt.

» Quod hic ſcribit repetitur in lib. de Genitura his uerbis (pag. 2.) Quibuſcunq; uenæ poſt aures
» ſectæ ſunt, Hi coeunt quidem et geniturã emittũt,
» uer, modicã, debilẽ et infœcundã, nam plurimum
» genituræ pars à capite iuxta aures in ſpinalẽ me-
» dullã procedit: ipſe aũt tranſitus cicatrice ſectioni
» inducta cõſolidatus eſt. Vt cauſam manifeſtè decla
» ret. Sed in lib. de Locis in homine (pag. 2.) aliter
» uidetur dicere, cum tamen idem dicat (nam ſi totũ
» illud, caua autem uena finitur, uſq; ad illud, hæ &
» infœcundum faciunt, apparebit ſenſus) his uerbis.
» Aliæ duæ uenæ à uertice iuxta aures ab anteriore
» colli parte utrinq; ad cauam uenam appellatam fe
» runtur. Hæ & infœcundũ faciunt hominem, quũ
» fuerint ſectæ et in magnos digitos deſinũt. Quan-
» quã hæc ultima uerba potius congruere uideãtur,
» illis proximis ſuperioribus & ſcinditur ad ingui-
» na & ad fæmora intro: & diſparationes in fœmo
» ribus facit, & ad tibias intus fertur ad malleolos,
» quod de ſaphenis intelligi clarum eſt. & ob id illa
» uerba his ſunt adiungẽda: ut legatur. & ad tibias
» fertur ad malleolos, et in magnos digitos deſinũt.
» Ariſtot. (cap. 5. in fine) quoq; uſus eſt 2. de Ge-
» neratione Animalium ſentire, quod ſemen habeat
» quippiam cum cerebro affine, inquit. n. ſedes ocu
» lorum maximè omnium capitis locorũ ſeminalis
» eſt. quod putet cum ſola ipſa per coitum uenerẽ
» manifeſtè immutetur. & uſum immodico rei uene
» reæ oculi apertè langueant & ſubſideant. Cauſa
» eſt quod natura genituræ ſimilis cerebro eſt. aquo
» ſa enim materia eius eſt calorq; aduentitius, Quæ
» autem de hoc ſit eius ſententia, habetur in proxi-
» mis ſubſequentibus uerbis, quæ ſunt huiuſmodi.
» Purgationes autem ſeminales à ſepto ueniunt. Ve
» rùm de hoc alias. Igitur ut ad rem redeam, dubitat
» Alemanus quo modo fieri poßit, ut hæc ſectio in-
» ducat ſterilitatem, cum cauſa illa effuſionis cõmu
» nis ſit, & tamen effectus illis ſolis uenis tribuitur.
» & ſumpſit hoc à Principe qui dicit ſe hoc ſumere
» à Galeno (4. 1. cap. 20. & 20. 3. 7. 1. cap.
3.) forſan in commento libri de Aere, Aquis et lo
cis. qui in lib. De libris Proprijs affirmat, ſe tres li
bros Cõmentariorum in ipſum conſcripſiſſe (cap.
6.) Sed uana eſt obiectio, cum, ut dixi, ex authori
tate libri De Genitura uelit intercipi ſanguinẽ, ob
cicatricem ne ad ſpinalẽ medullã deferatur. Quod
ſi dicas nõ poſſe in percipi, per hoc uiã à cerebro
in ſpinalẽ medullã, quæ illi inſerta eſt? Reſpondeo
quòd hoc eſt uerũ. nec latuit Hippocratẽ, ſed dũta
xat ex immodica effluxione inde coalitu cicatricis
cerebrũ refrigeratur, ex quo ſemẽ fit infœcundũ.
& ad hoc ſufficit detractio ex una parte, ſa ſicut

homo

homo non potest uiuere cum dimidio cerebri, ita non potest generare dimidio illius adeò perfrigerato, ut non possit concoqui semen. Nec est quod totum è cerebro descendat, sed quia plus ex eo & magis necessarium, quia à membro principali, & facilius uitiatur quia ex membro exangui. Venæ ergo aliæ ut frontis, et huiusmodi nõ adeo sanguinis copiam reddũt, nec in cerebri substantiam tendũt, quæ enim post aures sunt, sunt maiores, & in cerebrum per cranei suturam penetrant.

TEX. XXV.

QVando igitur postea uxores adeunt impotẽtesq; se factos uident, cum illis coire primum quidem nihil molestius cogitãtes, quiescũt, cum aũt bis, aut ter, aut amplius frustra opus tentarunt, neq; quicquã proficiunt, mox putant se Deum offendisse, in quem culpam reijciunt. Induuntq; se ueste muliebri palam se euiratos confitentes ad mulierũq; contubernia transeunt, & cum illis eadem quæ illæ agunt.

Quod dicit totum est clarum, improborum aũt uirorum est, culpam in Deum reijcere, qui non est author nisi bonorum. Verum unde mala eueniũt, cũ sit Deus bonus? Peripatetici dicunt illa esse, aut materiæ necessitate, aut casu. nam sicut homo urceum faciens non potest efficere talem, ut nõ frangatur illisus, non tamen malè fecit neq; imprudenter, sed commodum attulit mundo: ita hominẽ genitum esse fuit per se bonum & intentum à Deo. hominem mori non fuit à Deo intentum, sed cum esset ex elementis oportuit esse mortalem. Ita securis si fiat ex ligno, quod scindat ab artifice habet, quòd non benè scindat ut ferrea, à materia. Ita mala non sunt quicquàm, sed bonorũ defectus ut imbecillitas uisus et surditas. A casu aũt uel fortuna ob ignorantiam, non enim fortuna dicitur de his quæ præuisa eueniunt. Vt ergo mala fiunt uel defectu materiæ, uel ex ignorantia, à Deo non procedunt (2. Phy.) Propterea dicebat Themistius primo Physicorum, malum ex priuatione proficiscitur (Com. 80.) & Auerroes 12. primæ Philosophiæ, malum proficiscitur ex necessitate materiæ, & non defectu agentis (Com. 52.) Plotinus aũt dicit in libro, cui titulus est: Vnde mala? (lib. 8. Enæadis 1. cap. 7. & 8.) Malum & materiam esse necessaria, ut contraria bono & formæ, hæc aũt esse impedimenta quædam nõ propriè mala, sed ut bonum non recipitur. At bona hæc etiam sunt quia sine materia esse nõ possunt: Securis enim nõ scindit nisi quatenus forma est in ferro: at in ferro sunt aliæ alijs oppositæ, hinc oritur multifariã malum: et quia materia præbet impedimentũ, simpliciter quod bonum seu forma incorporea non recipiatur plenè: & quod materia ex se habet quasdã conditiones malas, & quod materia materiæ aduersatur, & ideo malum ad aliquid dicitur. Mors enim hominis est bona hæredi, his q ab eo timent: uermibus, ipsi morienti, amicis, filijs mala. Et generaliter etiam mala huic uel illis ex ordine uniuersi sunt bona: sicut frigus hyemis ad enecãdum uermes, ut segetes prouenire queant. Et tenebra clariorẽ efficit lucem (Aeneid. 2. lib. 3. cap. 11) Clarius idẽ in lib. An Astra in hæc inferiora agãt. Non solũ Deus sed nec Astra mali quicq̃ influunt, sed uelut amorem gloriæ cupiditatem & prudentiam solertiãq;, ex quibus nos in proxima uitia diuertimus, libertatis arbitriũ scilicet insinuans, & infra negat prorsus esse uerba nulla uera (ca. 15.) Maximus aũt Tyrius (Serm. 25.) in Deũ referendum malum non putat, hoc argumento, quod ars ipsa nunquam ex se est causa mali aut erroris aut defectus: sed Deus est longè perfectior arte: ergo cum bonus sit, nunquam poterit esse mali author, sed in naturalibus nisi interirẽt priora, posteriora nõ orirentur. Alia utilitas perfectio quæ habetur ex cõtrarijs, ut diuersæ formæ rerum naturalium emergerẽt. Tertia, ut animi immortales liberarentur, & ad meliorem uitam transirẽt. At Theologi mala ob peccata sæpe numero accidere affirmãt, aliquãdo ob diuinã gloriam. Præterea quæ mala esse existimamus mala non sunt, malũ enim & bonum, ad animæ perfectionem pertinent. Contingere etiam mala ob bona, quod & Philosophi aiunt haud dubiũ est. Velut de Gelone & Pysistrato, & pro filijs egregijs, qui ex parẽtibus improbis nati sunt (ca. 15.) Sysiphi & Autolyci genus & Phlegiorũ (in lib. de his qui tarde à numine corripiuntur.) Plutarchus pro exemplo adducit. Notandum quod malum culpæ in Deum si referatur impietas est: pœnæ autem non quia si ad iustitiã referatur, laudatur Deus, ut in Psalmo: Si ad iniustitiam impium est, si ad iram & similia ad sacras expositiones confugiendum est.

TEX. XXVI.

HOc itaq; malo ditissimi Scytharũ afficiuntur, minime uerò infimi. Imò qui maxime & genere & potentia præualẽt, ex nulla alia quã continuę equationis causa hoc perpeti-

untur. Pauperes uerò minus, cũ non equitent. Vnde si hæc affectio alijs diuinior censenda esset, non nobilissimis, nõ ditissimis Scytharũ ferè solis accideret, sed esset omnibus æqualiter peculiaris. Imò magis inuaderet pauperes circa cultũ Deorum negligentiores, si saltẽ gaudẽt dij in hominum admiratione constituí, & pro hoc beneficia hominib. retribuunt.

Redit ad oppugnandam hanc opinionẽ, quam prius ab initio refutauerat, dicens: Morbus hic maximè diuites & potentes affligit tum nobilißimos Scytharum: quoniam hi se aßiduè exercent in equis, non ita pauperes quibus equi non sunt: adeò ut referat hoc in causam equitationis, & cõstruitur ratio sic: nobilißimi Scytharum maximè his morbis corripiuntur, & nobilißimi Scytharum maximè se exercent equitando, igitur in tertia figura, qui se maximè exercent in equis, hi maximè his morbis corripiuntur. Et ideo cum solum concludatur specialis, oportet etiam ut assumatur generalis altera præmissarum, scilicet omnes qui ditißimi sunt maximè se exercent, aut omnes corripiuntur, & si materia esset necessaria, oportet ut esset altera earum uera, sed quia sumus in probabili argumento loco omnium sufficit, ut maxima pars subijciatur. Proponamus ergo utrunque quod de altero dicitur, quod cõtineat maiorem partem eius de quo dicitur, & est subiectũ ditißimi aut ditissimorum Scytharum, & quãto maior pars continetur sub utroq; tanto uerior est, et in pluribus, & si contra conclusio sit uera in pluribus, oportet ut assumptæ sint maximè generales. Et ubi una esset generalis & alterius conuersa, generalis tunc concluderetur in primo modo primæ figuræ eisdem sub nominibus intentũ, uelut, Ditißimi Scytharum oẽs maximè se exercent in equis, & hæc est uera in materia probabili: et qui ægrotãt sunt ditißimi Scytharum, & hæc est uera si assumatur per similitudinem, id est, sunt ditißimi Scytharũ, aut uiuunt ut illi sicut equites, licet sint pauperes, igitur qui ægrotant maximè se exercent in equis. Assumemus ergo maiorem, sic ditißimi Scytharũ, & qui ut illi uiuũt maximè corripiuntur hoc morbo, et qui se exercent in equis maximè sunt ditißimi Scytharum, aut eorum more uiuunt, igitur qui maximè se exercẽt in equis, maximè fiunt effæminati: cũ ergo propositio sit uera generaliter oportet per essentiam aut per causam propriã, & non est per essentiam, quia nõ est per intima, quæ sunt genus & differentia, posterius est enim ægrotare quàm exerceri: imò cum unum adest, alterum desinit, cum enim ægrotãt non amplius exercẽtur, igitur equitatio est causa propria, licet non prima quam immediatam uocant effæminationis. Propterea subijcit aliam demonstrationem à negante consequens: Dum inquit:

Maxima pars exercent se in equis.	Maxima pars corripiuntur morbo hoc.
Ditißimorum Scytharum.	

Vnde si hæc affectio.] Ratio est eiusmodi ultio diuina, aut est generalis, ut pro Dauidis Regis peccato (2. Reg. ult.) qui recensuit numerũ populi sui, accidit pestis in populo qua sublati sunt LXX. millia Iudæi. Et similiter cum Saul perciisset Amalechitis contra præceptũ Dei, occisus est (1. Reg. 28.) cũ filijs & exercitu à Palestinis (3. Reg. 16.) Aut est in insontes ut in Baasanẽ & suam stirpem & alios multos: at hæc ultio neq; est neq; generalis in oẽs Scythas, neq; in insontes cũ pauperes sint peiores diuitibus, quod ostendit primum in pietate, quia non sacrificare possunt Dijs, quemadmodum diuites ob paupertatem. Verum Plato (5. de Legib.) uidetur magis damnare diuites dicens: nemo potest præstare diuitijs & probitate: Refertur & ad D. Hieronymum illud dictũ. Omnis dives aut iniquus est, aut iniqui hæres. solet etiã illud dici quod ab Alemano citatur: Sæpe malus dives est, sæpe miserrima uirtus. Propterea quæri solet qui nam deteriores mortalium sint opulẽti ne an pauperes? neq; ea ratio est uera, quod si mendici sint improbiores, proximi illis scilicet pauperes sint deteriores. Et præstaret ponere quatuor ordines, opulentos, mẽdicos, pauperes, & mediocris census: sed nos, cum nõ sit hic locus proprius, solum diuites, id est opulentos & mediocris cẽsus opponemus pauperibus, sub quibus etiam mendici continebuntur. Ideo dico quod diuites sunt meliores actu si boni sint: Nam Philosophi diuites, ut Zeno & Epicurus fuerũt meliores Diogenes & Chrysippo uel mure, possunt enim commodius exercere opera bona: nec etiam distrahuntur ullis necessitatis molestijs aut incommodis. Et ita malus dives deterior est paupere, quia nocere plus potest. hæc haud dubia sunt. Sed dubium est de duobus: Primum data æqualitate animi, an opes magis efficiant hominem bonũ an malum? Secundum, an deterior sit animo pauper an dives? Hæc enim sunt quæ sciri desiderantur.

Plotinus

Plotinus (Eneade 3. lib. 2. cap. 5.) in 2. de Prouident. dicit, quod paupertas retũdit uitia, quemadmodum & morbi, cum ergo morbi non efficiantur meliores eodem modo & paupertas. In libro etiam (Eneade 2. lib. 3. cap. 14.) an ſtellæ quicquam agant in hæc inferiora? uidetur cõſiderasſe modum quo partæ ſunt. Si enim uirtute, efficiunt meliorem, ſi dolo, ui, peiorem: ſed ſi caſu ut in hæreditatibus non docet. Dico igitur pauperes alios eſſe addictos ſeruituti, alios prorſus liberos: peccata quoq; eſſe diuerſa. Priores igitur deteriores ſunt diuitibus, quod ſæpe iniuria afficiãtur à qua ſi non mouentur ignaui, ſi mouentur cum ulciſci non poſſint maligni euadunt. Poſteriores minus mali ſunt, ſiquidem homines quadrifariam mali euadunt, natura, ſed hãc partem eſſe ſupponimus, educatione, corporis temperatura & licẽtia, quæ omnia ad luxũ & laſciuiam & iniuriam inferendam in diuitum filijs ſunt paratiora: ſolũ pauperes ob iniurias acceptas & defectum neceſſariorum ſunt malignioris animi atq; inuidentioris. Dicam etiam cũ Plutarcho (lib. de Amore diuitiarũ in princip.) diuitiæ ſunt malæ quæ ſupra id quod neceſſe eſt ad uitã, auctæ ſint: in nobilib. tamen aut uirtute præditis laudantur. (lib. qui Erat. inſcrib.

LECTIO XCV. SVPER TEX. XXVII. XXVIII. ET XXIX.

Diuites enim ſæpius dijs ſacra facere par eſt, uictimas offerre colereq; cum pecunijs abundẽt, pauperes autem minus id facere cum non habeant.

Diuites non ex hoc probat eſſe pauperib. meliores, ſed gratiores Dijs. Eſſe enim poteſt, ut inter mortales ut deterior uir, bono regi charior ſit, & ô quoties iſtud ẽ pluſquàm uellemus. Tamen Philoſophus neq; bonos neq; magis ſacrificantes Dijs gratiores eſſe putat, ſed ſapiẽtes. Inquit enim 10. Ethic. (ca. 8. in fine.) At qui ex intellectu operatur, huncq; excolit atq; optime afficit is eſſe Deo cariſſimus uidetur: ſi aliquam humanarũ rerum curam Dij habent, ſicut uidetur, cõſentaneum eſt ipſos re illa quæ optima eſt, atq; ipſis maxime cognata delectari, qui eſt intellectus: eosq; qui eã maxime amant & honorant remunerari, utpotè qui eorum quæ ipſis ſunt amica curã habeant rectèq; et honeſtè agant. Hæc aũt omnia ſapienti maximè ineſſe obſcurũ nõ eſt: is igitur eſt Deo cariſſimus: eundẽq; eſſe etiã feliciſſimũ ueriſimile eſt. Quare ita quoq; efficietur, ut ſapiens maximè felix ſit: Dico eſſe concordes: nam qui uerè ſunt ſapientes, no uerunt quam Deus ſit bonus & iuſtus, & quanta bona ab illo acceperint: et ideo quantũ illi debeãt & cupiunt illi aſſimilari, & ideò oportere intelligunt ſeipſos præſtare bonos: & ſi quid contingat aduerſi, ut mors filiorum, qua nil deterius excogitari poteſt, norunt non ſine Dei uoluntate fieri potuiſſe, & ideo iuſtam & utilẽ uniuerſo & ſibi & ipſis: aut enim ex uita triſti in meliorem cõmutarunt: aut omnium ſtirpium aliquis cõmunis finis erit, aut omnino reuiuiſcant: ut in uno maior ſit felicitas, in altero nulla iactura forſan miſeria minor. Et ſimiliter non inuidebit felicioribus: intelligens illud ſapientes de hac mortali felicitate, (Eccleſiaſt. cap. ult.) Vanitas uanitatum & omnia uanitas. Et Plotinus rurſus in 1. de Prouident. (cap. 15.) non ſolum in ſecundis ſed etiam aduerſis, ut antea diximus, idem confirmat. Is ergo qui ſic iam ob pietatem bonus eſt, & ob gratiam, & ob imitationem, & quod bonum eſſe præſtet, & non ſolum glorioſum, ſed utile non malum ſponte ſacrificabit, non ut conferat quicquam. Deo qui nullius rei ſit indigus: & ſi indigeret etiam:

Non tali auxilio nec deſenſoribus iſtis
Tempus eget.

Quid res mortalis immortali, corporea incorporeo, imò inutilis etiam nobis ipſis, ſcilicet exiguus fumus qui tegulas uix attingit? ne quẽ ut ipſe animũ tuũ detegas, cũ abſq; hoc Deus omnia nouerit. Quin etiam multi maximè impij ſacrificant, nec ut debitũ honorẽ illi reddas, quanquã hoc ſit rectũ & æquũ, ſed ut alios exemplo moueas, ut ex ſacrificio diſcant pietatem atq; inde ſacrificẽt, & pij euadãt: atq; ex his opera pietatis exerceant: quibus ſanè & ipſi gratificantur Deo, & rem Deo gratam faciunt. Sed non ſolum Deo uerè, uerum etiã dæmonibus ingenua ſacrificia (ut Plato in Alcibiade 2. refert) Lacedæmoniorum plus placuerunt quam boues cornibus auratis cæterorum Græcorum, ob id quod ſactũ etiam uictorias illis conceßiſſe. Sic enim reſpondiſſe Ammonẽ ſacerdotẽ, inquit Lacedæm. legato. De lege aũt noſtra non eſt dubiũ, quin Deum decernat amplecti magis bonam mentem quam ſacrificia. Vt etiam Chriſtus cum laudauit oblationẽ pauperis uiduæ (Marci 12.) Et habetur in Pſalmo etiam (Pſal. 50.) Sacrificium Deo ſpiritus cõtribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus non deſpicies.

TEX. XXVIII.

Qvin etiã aliquando Deos detestantur qui eis opes nõ ſuppeditent, ut ueriſimilius eſſet pauperes

ac parum abundãtes, hoc malo propter crimina ſua puniri quam diuites, & qui opibus abundant.

Auget rationem dictam à contrario: nõ ſolum diuites ſunt magis pij ſacrificijs, ſed pauperes impij exercitationibus ob paupertatem. Et licet hæc argumenta non ſint efficacia ſimpliciter, tamẽ more Ariſtotelis ſatisfaciunt in propoſito ad oſtendendum nõ contingere diuitibus hæc mala ob impietatem. Execrari etiã Deos capitale eſt, ex antiqua lege, (Leuit. cap. 24.) quod forſan in ira in iniuſtam perpeſſo iniuriã grauius uidebitur: nos hic Hippocr. ſolùm ſententiã docere aggreſſi ſumus.

TEX. XXIX.

VErum ſicut & prius diximus quidem hic affectus eſt ſecundumq; naturam accidit, ſimiliter ut alij omnes, neq; alia eius cauſa quam ea quã dixi Scythis exiſtit. Simili autẽ modo & reliquis hominibus euenit. Vbi enim frequenter & cõtinue homines equitant, ibi plurimi à diuturnis doloribus uertebrarum maximè, & pedũ corripiũtur ad coitumq; fiunt impotentes, quæ omnia mala Scytharum genti adſunt, atq; propterea Scythę omnium hominum minimè ſunt ad coitum ualentes, & quod humoris detractiones ex peruſtione cauteriorum ſemper habent, & plurimum temporis in equis degunt, ut neq; manu tractare pudenda liceat, atq; præ frigore & dolore uoluptatis ac iucunditatis coeundi obliuiſcantur, neq; prius aliud ſibi faciendũ putent, quàm ut euirati fiant. Hactenus ergo de Scytharum genere recenſui.

Declarat quod ab initio dixerat, morbum hũc eſſe diuinum, ut omnia alia à Deo proficiſcuntur naturæ lege & miniſterio hoc modo: Quibus eadem contingit fãcere, ſcilicet dici & incommodè equitare his dolores articulorum eueniunt, maximè coxendicum & pedum, & imbecillitas rei ueneræ. Igitur hæc nõ perueniunt niſi naturali cauſa, & non quemadmodum Scythæ arbitrantur et dicunt. Vbi enim ijdem effectus ſequuntur eaſdem cauſas, non oportet ſuſpicari de illis effectibus, quod ſint ab alia cauſa quã naturali. Addit quod in Scythis præter equitationem ob frigus accedit aliud incommodum, ut cogantur uti anaxiridibus ſeu fœminalibus ob aſſiduam equitationem & frigiditatem aeris, ſed ſunt qui ſcribant ἀνχεύρις loco ἀνάξυρις ex ἀναζύγεαχι, mutato ξ in σ, quod eſt trahere ſeu retrahere. ſed quantum impediunt in re uenerea tantum iuuant et teſtes ne collidantur, & ne deſcendant inteſtina & omentum, & fiant hernioſi. Et cum dixit de pudendorum tractatione, non illa fœda loquitur, ſed ea moderata, qua cum ſponte tenditur locus erectioni patet, & ut concaleſcant, abſtinentes enim ab exercitatione functionis eius, fiunt impotẽtes: quoniam ſi in crurib. & pedibus hoc accidit, quãto facilius in membro uirili: & tantum laudatur exercitatio membri, ut etiam in luxato fœmore Hippocrates (3. de Artis.) cauſam utilem eſſe crediderit atq; laudauerit (Tex. 82.) Ad hoc facit ergo nimia laſſitudo equitandi, frigus, uinculum, & cogitatio alijs rebus intenta, & incommodum utendi cum mulieribus in itinere, & hæ ſunt cauſæ per ſe, ſicut alia quæ ut dictum eſt, fit à curatione.

Ex hoc textu colligitur, quod equitatio nimia efficit ſemper coxendicis dolores, & Iſchiæ, quem uocamus ſciaticham, antiqua uerò etiam podagram, quoniam crura pendebant. unde Paulus (libro 3. cap. 78.) cæterum hoc mali frequenter antecedit improbus labor, uehemens ambulatio, equitatus creber, & cũ adijcit iam aliqui prolapſu, uel deturbatione, uel propulſu, uel diſtortione uel id genus alijs, prima morbi fundamẽta iecerũt.

Sed hic cadit difficultas, quia Philoſophus uult (4. Problem. 12.) quòd equitatio aſſidua faciat libidinoſiores, hic Hippocrates uult quòd effeminet? Dico quod Philoſophus præſupponit, ut non lædantur ſed commodè equitent: & hoc etiam oſtendit quotidianum experimentum: de his uerò qui delaſſantur aliter ſentit, dicens (5. Problem. 31.) quod his per ſomnum profluit genitura, ut perſpicuum ſit, huiuſmodi homines ad concumbendum fieri impotentes. Gonorrhea enim qualiſcunque ſit debilem reddit hominem ad concubitum: tum quia minuit illius materiam: tum quia humectet membra genitalia, tum quia facit incontinentem, adeò ut ſemen eijciatur ante uirgæ tenſionem, aut ipſa uirga tenſa diu manere non poteſt, quod etiam maximũ ad Venerẽ impedimentum. Potentiſſimi enim ſunt ad Venerẽ quicunq; tardius, et nõ niſi maxima cũ tenſione membri & confricatione ſemen emittunt. Alexander in 2. Problem. (25.) dicit quòd ſpadones fiunt pedibus diſtortis, ſcilicet hic inde in ſe retortis, quod uitium Latini Varum uocant: interpres non bene expreſſit blæſos, cum blæſus ad linguã ſolum referatur

ſtratur.id accidit quod aucta mole & teneriore facto corpore ſubſident & contrahuntur pedes.

Reſtat ut dicamus de equitatione cõtractis cruribus ob breues ſtupedes,qua utuntur curſores & uelites. Velites quidẽ quoniam dum erigantur maiore impetu dirigunt telaꝫat curſores quoniam ſic facilius ſe mouent perpetuo motu,ut ſpima cedens ponderi non adeo defatigetur, qui enim obſtippi diu curſitant(hoc enim nomine medium curſum equi explicamus,quẽ Italica lingua galopum uocamus,ſed neq; curſitatio galepus uerè eſt imò potius curſus non concitatus)fatigant adeo renes & ſpinam,ut difficile laborẽ perferre poßint. motus enim cõſequens alleuiat principalem,ut quies intendit et moleſtiorẽ reddit. nũc non quæro curſitationis damna,cũ de his dictũ iam ſit,ſed de ipſo genere equitationis quod ſit cõtractis genibus & coxendicibus in poſteriora? At inſeſſus ille cum ſupra in anteriora pendeat ob ephippias elatas, & quæ ante ne collidatur ſeſſor exiguũ habent chironium uentriculo maximè noxius eſt & coxendicẽ ad exteriora mouet. De his aũt tertia particula de Articulis idem author habet(Tex. 87.) In coxis quidẽ intus ne an extra ſit facta luxatio multum intereſt:in genibus etiã intereſt nonnihil, ſed minus tamẽ,utriuſq; uerò clauditatis modus proprius eſt. nam quod in exteriorem partem luxatũ fuerit magis decurtatur, minus uerò recti ſtant, quibus in interiorem luxatio contingit,os aũt fœmoris cum proximũ læſionis ſit non augetur. Paulò poſt tandem concludit(Tex. 97. & 98. 101. & 102.) Luxationem externã maiorem dolorẽ afferre,minus lædere ambulationẽ,rariusq; accidere. Eædem aũt ſunt affectiones eorũ qui ad morbum inclinati ſunt, & quos inuaſit iam niſi quod ſunt leuiores. genu autem,ut dixi anterius, ferturquod maximam fatigationem afferre ſolet. Et ſi equus cadat circa frontem magis lædũtur: uerum facilius ſe explicant:contra qui extentis cruribus equitant. capite haud offendũtur, ſed in cruribus & tibijs multo magis alijs et tardius ſe explicant: cũ quieto igitur equo et leui melius eſt toto corpore inſidere ephippijs,cũ moleſtu et graui parũ inſidere,& curſoris modo flexis genubus currere.

LECTIO XCVI. ET EST DIgreſsio,& in Paralipomenis.

Reſtat ad finem huius libri,ut narremus ea quæ noſtris temporibus de Scythis innotuerunt:ueriſimilibus innitentes. nam impudentia quorundã factum eſt,ut uix liceat diſcernere bonos authores. Quidam egregius qui de Indicis rebus ſcripſit eò progreſſus eſt,ut elephantẽ mentẽ habere proderit,& ut etiã loqueretur. os monocerotis, adeò notum duorũ aut trium palmorũ eſſe putat. multa alia adeò confundit,ut neſciam in quibus fidem adhibeam,cũ tamen exiſtimem ſi iudiciũ exercere uoluiſſet multum profuturum in rem. Alius etiam longè peritior cũ rem litterariam ſatis adiuuiſſet non cõtentus hiſtoria pulcherrima & admirabili in turpiſſimas fabulas atq; id in frõte operis deflexit. quid dicas de huiuſmodi uiris? Duorum igitur qui mihi fide digniores niſi ſunt hiſtoria, recitabo illorum nomina referendo,non ſolum ne proprijs laboribus fraudetur,ſed ut fides dictorum ſit apud illos. & quanquã paulo ante noſtra tẽpora floruerint,nõ multum tamen immutatos mores à centũ annis ad trecentos crediderim, naturã uero rerum multo minus. Horum ergo primus eſt Hayton Armenus, & qui in illius opus introductoriũ ſcripſit,floruit circa annũ Domini M.CC.LXX. Alter fuit Ioſaphat Barbarus Venetus patritius anno Domini M. CCCC.XXXVII. Scytharum igitur gens ſub qua comprehenduntur. Nomades, id eſt paſtores, Maſſagetæ, Amaxonij, monte Caucaſo uerſus Boream diſterminantur ab oriente in occidentem,ab alijsq; gentibus ſegregant,inter ſe autem Imao monte à meridie in ſeptentrionem,ut occidentaliores dicantur,extra Imaum orientales intra ipſum. Cõmune omnibus fuit,& nunc etiam eſt,pro domibus currus habere atq; uagari. Duas maximas expeditiones ſuperatis mõtibus quibus circumdabantur fecerunt non multis ante annis. Priorem Duce exercitus Baydo filio Occotachan qui à Sarmatis Bultus uocabatur,qua Sarmatiam totam Pannoniamq; uſq; ad Germaniam,quã depopulati ſunt atq; in patriam infinitis cum ſpolijs rediere. Cauſa fuit numerus milium ad D. M. equitum,inopinatus eorum aduentus, forma pugnæ,cum eſſent aſſueti perpetuo degere ſub diuo. noctesq; dies ; diſcurrere aßiduè modico pulueris ex carne aut caſeo homines triduo uitam trahere,equi corticibus & radicibus arborũ: arcubus uti et celerrime & magna cum ui: adeò qui repugnarent conficerentur,non ſolũ ab immenſa multitudine cõgreßibus repentinis,nouo pugnandi genere, ſed magis longe frigore, fame,uigilijs, cum neq; urbes paratas,neq; urbes munitas haberent quibus ſe tuerentur,aut ſaltem illorum impetum morarentur, cum nec tales uiros aut gentẽ in orbe terrarum omnino eſſe potuiſſent ſuſpicari. His rationibus omnia quæ uoluerunt conſecuti

ſunt

sunt cædes incendijs, præda, sed hoc solum defuit illis ut nullam urbem aut locum sibi habitandum delegerint. Existimo quòd totum suum esse ducerent suoq; imperio adiectũ, ubi nulla essent ædificia (quæ omnia diruerant, tam publica quàm priuata) ob uiuendi genus illis solitum. Altera posterior fuit sub Principe Timirlane, quod nomen lingua propria significat Felicẽ ferro, uulgo Tamberlanum appellatum, natum in Sunmarcando principe urbe prouinciæ Sogdianæ, quæ sub Scythis erat, licet nõ propriè Scythica esset regio, uelut si quis nũc apud Indos in Themistitan Hispanus nasceretur: aut Venetus Dux in Creta: aut Turca Rhodi. Hic XII. centena millia equitum militariũ in castris habuit, priore tanto potentior quãto occasione (ut qui iam finitimis non ignotus aduenisset) inferior: unde nisi audacia Baiazetis Turcarũ 4. Principis, qui maluit prelio decertare, quam bellum protrahere, poterant tanti conatus in irritum cedere. Prouinciam Scytharum principalem immensæ magnitudinis esse constat, quàm Cumaniam uocant extensam ad Oceanum montibus autem dictis circumdatã, adiectæ innumeræ insulæ & magnitudinis immensæ in ipso Oceano eorum imperio sunt. Rha fluuius seu Volga, ut Sarmatæ quem Scythæ Ecdeling uocant, à meridie nõ Scythia sed Scythicum disterminantur Imperium: eousq; enim absq; custodia ulla aut metu discurrunt. Ab oriente Corassam prouincia terminarũ, ab occidẽte Mæotide palude, à septentrione Cassia prouincia illorũ Imperium finit. nam Scythis nullum est ius, montibus etiam à Seris ac Saccis diuiduntur. Ab Albanis etiam ad Scytharũ regionẽ procedenti montes multi magniq; sunt, in quibus habitant feræ agrestesq; plurimæ, Helui, Lubieni, Diduci, Sodij, post portæ illæ Caspiæ seu Caucaseæ. ut appareat Scythas non solum spacijs sed natura ipsa rerum à reliquo orbe diuisos. ob quod Hippocrates seorsum tam longã effecit tractationem: Vt qui feritate, moribus, uitæ genere, multitudine incolarum, magnitudine regionis, quasi à toto reliquo humano genere differãt: magisq; Britannis ab alijs diuisos, ac dissimiles, quanto difficilius est montes quàm maria superare. Sed hæc hactenus, nunc reliqua prosequamur.

Referunt summum eorum Imperatorem (nam omnes uni obediunt quod his longe facilius est & etiam ad diuini ordinis similitudinẽ propius, cũ, ut dixi, munitionibus careãt prorsus, ut qui præest omnes facile in obsequio continere possit, idq; etiam ad instar uitarum constitutum, ut in perpetuo opere sint: simul iustè uiuant, nullis confisi munitionibus, sed semper in potestate subditorũ, qui mos etiam antiquis Regibus, neq; alia uia omnino est ad tutũ intus, et extra imperium conseruandũ, quam quæ hæc duo cõseruat perpetuo præcepta, cui non absimile est Turcarũ regnũ, & ob id felix ac diuturnũ, contra nitentibus Christianis Principibus, qui duo contraria simul retinere uolunt & Principum multitudinẽ sub uno, et loca plura munita, unde miserrima non solum subditis, sed imperatoribus ipsis dominatio) cũ electus est è sede regia in terram nigro panem contectam transferri, ut discat memorq; sit si iustitiam erga subditos nõ coluerit Deumq; immortalem, & omnium autorem non coluerit, ex tam supremo fastigio, in quo mox antea fuerat in tam humilem fortunã degeneraturum. atq; hæc initia Imperij adeò prouida apud gentem tam barbaram. In cæteris cũ subditorũ quisquàm aditurus est regẽ, aut ipsum salutaturus, procul iam per iactum lapidis arma deponit, et gentibus flexus rogat inde nutu admonitus per octo aut decẽ pedes procedit, atq; iterũ gentibus flexus rogat iterumq; admonitus, eodẽ modo regi appropinquat, donec ad ultimum octo aut paulo plus pedibus distiterit, ibiq; rursus flexis genubus quæ petit docet Imperatorẽ. Ergo hæc gens seruus olim fuit Mogliũ diuisaq; in septẽ prouincias nomen à singulis sortita est, Tatar, Tangur, Cunat, Talair, Sonic, Monghi, Tebet. Rebellauit à dominis Cangio fabro uiri sene, cui duodecim erãt filij, duce, non solũ ob iniurias sed mollitiem dominorũ, quæ duo sunt irritamenta rebellãdi: subegitq; primũ dominos ipsos, ut quod ipsis intulissent mala paterentur. Vocaruntq; primũ hunc dominum patria lingua Can, id est Imperatorẽ. Hoc accidit circa annũ Domini M. CC. X. nam circa annum M. CC. XLIIII. regẽ Asiæ deuicit, & paulo post emisit Baydũ, de quo supra egimus. Cobila imperauit post Hoccotan tertius à Pabro, et ædificauit urbem Ions Roma maiorẽ, regnauit annis XLII. Christũq; coluit cũ subsequentes, per seditionẽ in Mahumetẽ degenerauerint. Cathaiũ uocãt principalem eorũ regionẽ, ubi Ions ædificata est, homines ingenio singulari: etenim artificia inimitabilia illorũ id declarant iactantq; se solos duob. oculis cernere, cæteras gentes esse monoculos. Oculis sunt paruis, uis imberbes, cæterũ pulcherrima forma tũ ipsi tũ mulieres. Deum immortalẽ quem colunt, quotidie inuocant, nec cædes, nec libidinem abhorrent. Pro peccato ducunt si equum horaqua passere herbam debet frenatum aut uinctum permit-

permitterent. Ducunt fratrum & patris uxores sed iam illis mortuis. Imperatores nullis eos stipendijs demerentur, sed rapto & uenatione & quæ sunt eius generis uiuunt. Omnia præterea in Principis sunt potestate, qui mos detestandus est. In pugna acerrimi, ingeniosissimi, audacissimi, solertes, exercitati, sagittis arma q̃is penetrant, fugere nõ pudet. Primis congressib. formidolosissimi: inde uigor ille hebetatur aliquantisper. non minus est periculosa illorum fuga quam pugna, cum & fugiendo sagittas mittant non minus quam cum pugnant, & ubi cernant inimicos, non seruare ordines conuersi uictores aggressi persæpe uincunt. Acie densa admodum procedunt ut multo pauciores existimentur. Aduenas libenter hospitio excipiunt & sine precio, sed uicariam operam expetunt, aliter rapto uiuunt, & quasi debitum exigunt, in aliorum Vrbibus capiendis solertes, in retinendo non ita. In iure dicendo nouum & insuetatum morem gerunt: non ad communem uiam qui contendunt, cum amicis contendunt, & primum nobilem aut potentem qui ex itinere sibi offertur iudicem constituunt & causa paucis explicata, his quæ decernit aquiescunt, sed & ante iudicium ad iurgia non ueniunt & ab iniuria & contumeliosis uerbis abstinent. & Imperatori non mẽtiuntur etiam si intelligant ueritatis confessionem eis exitio futuram. In his etiam quæ ad propriam laudem pertinent ueraces, in cæteris omnibus mendacissimi. Hominum non maior commendatio quàm ferocia & robur & usq; ad stulticiam. Vnde uelut apud nostros summa laus est appellari sapientem, aut medicum, aut philosophum, ita apud eos Talubagater, id est, stultus strenuus. Ducunt in exercitu habẽtq; secũ artifices omnis generis. ædificant furnos, coquunt carnes assando, elixando, addunt lac, caseum, aromata, abũdãt ceruis inter syluestria animalia, bobus inter domestica, atq; his magnis & pulchris, adeò multis, ut transducantur per tot prouincias, uelut Sarmatiam, Pannoniam, Germaniam, Italiã usq;, eamq; fœcundam reddant tam uili precio, sunt in Scythia, equorum numerum definire haud licet. uenduntur turmatim numero ecatendarum. Abũdant & camelis duarum gibbarum, quos XXV coronatis distrahunt. nam eorum qui unam tantũ habent gibbam precium est aureorum uix decem, habent præterea castratos magnos cũ caudis XII librarum sæpe quarum adipe pro butyro utũtur. Genus etiam auium rapacium habent. Aquilis maius quod Giritaleum uocant docile quodq; ceruos inuadit, eoq; utuntur ad aucupiũ. Anserũ quæ gregatim uolãt tanta est multitudo ut incredibile sit, harũ quædã cadunt clamore immenso exercitus si quãdo cõtingat eas exercitui superuolare: aliquas capiunt emissis sagittis grauibus & obliquis quæ ubi anserũ metã superauerint descendẽdo earũ aliquã lædũt ut cadere cum sagitta cogatur? luna Februarij publicè proclamãt atq; semẽtẽ regionisq; partẽ amplissimã ferunt frumento, quã & custodiunt dominis, qui sementem sparsere et si cõtingat ut seminatio intercipiatur. Et per multos annos uiuunt, tamen ob carnium ut diximus abundantiã, lignis consertis traducunt currus, res, familiã ultra flumina. Vbi saxosa est regio solũ pannicum prouenit & telas conficiũt paruas & sordidas ac uiles parum durabiles ex canabe et ueticis. Parua ibi cura pudicitiæ mulierum. Tetari album sua lingua significat eo tamen nomine pecunia intelligitur quòd pecunia alba sit, sicut et apud Italos multis in locis Bononiæ mediolaniq; Albi nomine certum pecuniæ genus intelligitur. Qui in fertilibus locis habitant ut in Cumania facie Italis similes sunt, uelut & Britanni abundant segete & melle, sed uino carent. Atq; hæc de illis dicta sint.

LECTIO XCVII. ET EST INITIVM OCTAVI LIBRI, TEXT. I.

Reliquum autem in Europa hominũ genus ualdè inter se dissimile est, & diuersum tũ quod ad magnitudinem attinet, tum quod ad formam, atq; id propter temporum mutationes contingit, apud eos magnas & frequentes.

In præsenti parte Hippocrates transit ad alios Europeos, seu quartam regionem Orbis cum cogniti, atq; eos asserit non ut in cæteris tribus partibus inter se ualdè esse dissimiles & gentem genti & hominem homini. Vult ergo ostendere causam huius multitudinis, & dicit quod Europei magis differunt inter se quam Afri aut Asiani, aut Scythæ in corporum magnitudine ac forma: & caussa est de duabus quoniam dicit Euclides (5. elem.) si una quantitas ad duas comparetur ad maiorem quidem minorem, ad minorem uerò maiorem habebit proportionem. Cum ergo Europæi sint magnis circa medium Afris & Scythis æqualis commotio aeris maiorem efficiet mutationem. De Asianis uerò iam in confesso est, quoniam ob planitiẽ & quia positi sunt ad ortũ solis, quod minores recipiãt mutationes, igitur

Europæi

Europæi maiores mutationes percipiunt omnibus alijs. Causa igitur mutationum duplex est, propinquitas medio & loco ubi sol maximam facit uarietatem: & hoc est occidens quoniam assimilatur Autumno, igitur ratione temperamenti & quod Europa est posita ad occidentem, Europæi sunt obnoxij maximis tẽporũ, mutationibus. Assumit id de terris Alemanus quod magis ostenderet oppositum quàm propositum, nam in Africa maior est differentia, soli quod ad fertilitatem attinet quam in Europa. Siquidem ibi sunt loca deserta prorsus & arida & alia fœcundiora quàm in Europa: sed hoc contingit ratione aquam. Hippocrates autem comparat ad aerem: & ideo maior est diuersitas in Africa ratione fertilitatis, In Europa uerò ratione hominum. Hæc est illa pars tam inclyta apud quam dominium uniuersi bis contingit Alexandro primùm, inde Romanis Ducibus atque authoribus. nam Assyrij & Medi ac Persæ apud quos stetit Imperium in Asia soli Asiæ dominabantur. Græci atq; Romani Asiæ. Nomen nacta est ab Europa Agenoris Regis regis Phœnicum filia quam Iuppiter Cretæ rex abduxit nauicuius insigne Taurus fuit. Vnde Ouidius 2. Metam. in fine more poetarum ludens de hoc raptu:

Non bene conueniunt, nec in una sede morantur
Maiestas & Amor, sceptri grauitate relicta
Ille pater rectorq; Deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est: qui nutu concutit Orbem
Inducit faciem Tauri.

Continet Europa has prouincias præter Scythiã. Hybernam, Rhetos, Italiam, Iagiges, Metanastus, Achaiam, Albionem, Hispanias, Galliam, Germaniam, Vindelticiam, Noricum, Pãnoniam utramq;, Illyricos, Dalmatas, Cyrnum, Sardiniam, Siciliã, Sarmatiam, Tauricam Chersonesum, Daciam, Mysiam utramq;, Thraciam & Chersonesum, Macedoniam, Epirum, Peloponnesum, Cretam, Eubœã.

Extrema igitur latitudo Europæ ad Boream est Sarmatarum iuxta Tanais fontes, est fermè partium LXV. ab Aequinoctij circulo, à Polo autem XXV. contra meridionalia maximè in Hispania ad fretum Herculeum partibus XXXVI, ab æquinoctio & Cretæ pars australior, partibus paulo plus XXXIIII. ut collatis finibus intercedant partes XXXV cum dimidia, exigitur partibus quæ intercedunt inter polum & Aequinoctialem si à parte meridiei XXIIII penè dempseris, & totidem à parte Boreæ inhabitabiles creditas tempore Hippocratis, relinquentur fines omnium harum regionum, distantes sola XLI. partibus: quarum, ut dixi, Europa occupat partes XXXV constat igitur iure merito maiorem esse differentiam regionum in Europa, quàm alijs tribus quas commemorauit mundi partibus. Compara igitur Rollenses aut Rodhellenses, Sarmatas, Parisis seu olim Dolonis in Hispania, aut Gortinensibus, Cretensibus, seu ciuibus Claudiæ insularis eiusdem nominis Vrbis, quorum differentia est saltem partium XXXIII in latitudinem, cum ambæ intra Europæ terminos comprehendantur, desinetq; mirari, de his quæ hic Hippocrates tradit. Iam si totus Orbis supponeretur, habitabilis tempore Hippocratis, adhuc Europa obtineret, plus quàm totius medietatis nostræ tertiam partem. Sed nõ huic tantum causam tribuit Hippocrates, uerum etiam temporum mutationibus ac plus quam differentiæ regionum. ex sequentibus enim uerbis declarat, quid non Europeos unius regionis alterius regionis Europeis solum comparat Hippocrates, sed ciues ciuibus uehit Mediolanenses inter se, ac Bononienses inter se. hoc autem ad corpora nunc refert (Tex. 3.) Quod infrà etiam ad animos trãsferant. Et de hoc etiam laude ne dicam, an uituperatione scripsit Strabo in hanc sentẽtiam (lib. 2.)

« Ab Europa igitur est inchoandum, quandoquidẽ
« & multiformis in primis est ad uirorum uirtutem
« ingenuè dispositа, ciuiumq; suarum ad alios rerũ
« transfusiua. Est enim tota habitabilis in exigua
« tantummodo parte propter frigoris uim inhabi-
« tabilis, quæ finitima Tanaidis & Mæotidis inco-
« lis, Dorysthenensibus in curribus degentibus. Ha-
« bitabilis autem regionis id quod est algidum &
« montanum natura laborioſè habitant. Curatores
« autem probos nacta loca etiam prauè per latroci
« nia habitata mutigantur. Quemadmodum obti-
« nentes Græci montes petrasq; incoluerunt, pul-
« chrè ad prouidentiam circa ciuilia artesq; & re-
« liquum ad uitam sensum. Romani quoque multas
« gentes accipientes quæ natura in humana erãt ex
« ipsis locis asperis importuosisq; & frigidis causa
« ue alia malè habitatis insociabiles homines, inter
« se multis alijs admixtis connexerunt, & ciuiliter
« uiuere agrestiores durioresq; docuerunt. Quan-
« tum uerò ipsis est in plano naturaleq; habent tem
« periem, multum adiuuat ad ista. Quandoquidem
« id quod est infelici regione pacifica omne est, &
« quod in tristi pugnax et uirile accipiuntq; hæ gen
« tes, aliqua inter se beneficia, aliæ enim opem ar-
« mis ferunt, aliæ fructibus, & artibus morumq; do
« ctrina. Manifesta autem sunt etiam non auxilian-
« tium inuicem detrimenta. Habet autem superius

quidam

quidam uis arma tenentiũ, niſi ea ipſa multitudine ſuperetur, adeſtq; terræ iſti etiam ultra hoc quiddam naturale bonũ, quod ea ſanè omnis planitie montibusq; diſtinguitur. Vt uſquequaq; agricultura, terræ deſcriptio, ciuilitas atq; pugnæ adſint. Plusq; ſit alterum id ſcilicet quod eſt pacis familiare, ita ut hoc iuncat adiuuantibus & ducibus Græcorum prius Macedonum uerò Romanorumq; poſterius. Ex hoc autem & ad pacem et bellum ſufficientiſſima eſt ſibi. Etenim multitudinem pugnacem habendem habet, & quæ ægros colat, & quæ urbes quoq; contineat. Excellit autẽ hæc etiam fructus afferens optimos uitæ neceſſarios, & metalla quæcunq; ſunt uſui, odores uerò ad ſacrificia, nec non multi ſumptus lapillos ipſa extrinſecus petit. Quarum etiam rerum inopibus nihilo deterius, quam abundantibus eſt uita. Similiterq; pecudum exhibens initium multarum copiam: at beſtiarum habet ferarũ raritatem. Ac talis quidẽ natura eſt terra ipſa in uniuerſum. Sed de his hactenus. Queramus cauſam inæqualitatis atq; mutationis. Dicimus ergò autumnũ eſſe inæqualem: Sed hoc duo habet incommoda, primum quia ratio manifeſta non eſt, ſecundum, quoniam hoc propoſito non conuenit. Vtinã uero Galenus hoc de autumno declaraſſet. Dico ergo autumnũ eſſe inæqualem, quia tranſitus eſt ex calore ad frigus: ſed motus ex calore ad frigus eſt præceps, qa eſt ſecundum naturam elementorum, motus aũt à frigore ad calorem fit ſenſim cum ſit contra naturam. duo autem motus in die inæquales reddunt diẽ diuerſum. ideò autumnus eſt inæqualis, uer autem æquale. Nam in uere cum dies ex nocte fit ſenſim elementa quæ natura, ut dixi, omnia frigida ſunt paulatim incaleſcunt, ut nemo dicat id incrementum præceps eſſe, cum uerò nocte ſuperueniente refrigeratur aer: ſenſim & id fit quod Sol ad nos accedat, et nox ipſa breuior die ſit. At contra accidit in autumno cum ad frigiditatem & noctis lõgitudo, & Solis receſſus, & natura elementorũ conducant. Hæc igitur cauſa eſt inæqualitatis autumni. Aſſimilare autem autumno occidens, non adeo cõgruit huic ſermoni, ut ſatisfacere uiro cordato poſſit, aliunde igitur cauſam quærere oportet. Ergo occidens (nam in eo dubio procul Europa tota repoſita eſt) cum à mari finis eius accipiatur, maiorem recipit mutationem cum radijs ſolaribus ſerius illuſtretur. Habetur autem uentos è terra (nam Philoſophus 26. Problem. 7. & 8. è mari oriri illos negat) à quibus uritur, repentum Sol uentos & ſiccos ſecum ducat, ubi deſeritur non habet uentos à quibus temperetur, incaleſcit ergo repente, & refrigeratur repente, ſenſim autẽ incaleſcit oriens, qui nullus incaleſcit à mari uentis, & dum Sol recedit tepor à uentis calidis ſeruatur, atque ob id oriens æquale eſt, occidens inæquale. atq; ob uentos id contingit, quemadmodum teſtatur Hippocrates. Vnde autem magis in Europa uenti, & quoniam occidentales ſic aerem temperarent, & regio occidenti expoſita eſſet temperatior, quod ſuperius eſſe non poſſe demonſtratum eſt. Dicimus ergo quod Europa eſt temperatior Africa & Scythia: hoc enim dubium non eſt à magnis frigoribus & caloribus uenti extinguuntur, nam à frigore magno prohibetur exhalatio à calore reſoluitur, unde medijs temporibus ſæpius & uehementius ſpirant uenti. Igitur in Europa plus ſpirabunt uenti quàm in Africa aut Scythia. Reſtat dubium de Aſia, quam uult eſſe magis planam, & ideo minus in ea uenti deſæuiunt cum amplitudine ſpacij uis uentorum diſſipetur: Reſtat difficultas de uento occidentali, qui, ut dixi, malus eſt, ſed ſi ut aura leuis flet prohibet refrigerari aerem repente, & in hoc utilis eſt. Et ſuperius hanc ob cauſam laudauit (lib. 5. Tex. 4.) Auſtros in Aſia quamuis ubique pro urbibus eos damnet.

LECTIO XCVIII. SVPER TEX. II. III. ET IIII.

SVnt enim eis calores uehementes & hyemes fortes, pluuiæ multæ, rurſumq; ſiccitas diutina, & uenti plurimi, & quibus multæ & omnimodæ fiunt tranſmutationes.

Dubium non eſt, quod ſi calores uehementes & hyemes ſint, quin non mutationes temporum etiam magnæ fiant. Sed hoc audiuit Hippocrates, quod in Scythia & Africa non eſt hæc differentia temporum, hoc uidit quod hic in Europa eſt, ſed cauſam non addidit. Iam de re ipſa tamen conſtat. Et tres mutationes graues adducit, imbrium & ſiccitatis, caloris ac frigoris, & uentorum qui inter ſe diſcordes ſunt, unde Ouidius:

Vix nunc obſiſtitur illis
Cum ſua quiſq; regat diuerſo flamina tractu
Quin lanient mundũ tanta eſt diſcordia fratrum:

Expedit igitur illud uidere, cur hæc accidant: nam quod ex his multa eueniant abundè declaratum eſt. Ventorum igitur mutationes, tempora maximè permutant, hi ad calidum, illi ad frigidum, hi ſereni, illi humidi, alij imbriferi ſeu pluuioſi.

uiosi. Venti calidi molles sunt, & ex regionibus calidis ueniunt. Vnde Auster in nostris regionibus calidus est ob utranq; causam, defert enim uapores calidos, & lentè flat, quia procul uenit. Indicio est quod hæ sint causæ, quoniam in Africa frigidus sit. Si enim lentè flat, & ex frigidis regionibus & humidis uenerit, uel quia procul ueniat, uel quia leuis refrigerabit parum, plurimum humectabit, si ex calidis humectabit, sed multo plus calefaciet. Sin autem uiolentus sit, & ex frigida ueniat regione & humida, parum humectabit uerum immodicem refrigerabit. Si autem ex calida & sicca siccabit, sed non adeò calefaciet. Plus enim potest natura quàm propinquitas. Sin autem aliqua causa recurrat obducèt superiora nubibus, inferiora nebulis & pluuias, ac aerem caliginosum ciet. Hæc igitur est natura uentorum: quomodo autem mutentur est declarandum: nam si perseuerarent perseueraret & constitutis: nam licet uenti aliqui dum perseuerãt alium effectum, quam ab initio producant, (26. Probl. 21.) uelut Auster qui non dum incipit, sed cum desinit imbrem affert, hoc tamen rarum est. Ab initio igitur repetèdo dico quod supponere oportet quædam atq; demonstrare, ut doceamus non quod in sola Europa fiat mutatio annuata magna ut in genitis, & generandis diuersitatem afferat, non enim in sola Europa fit diuersitatis temporum: nam rationi repugnat, & his quæ ab historia de his referuntur. Aethiopes enim calidius habent, ac siccius unum tempus alio, licet semper prædominetur calor & siccitas: Scythis maius frigus est, & tempus humidius una parte anni quam alia: hoc cum omnes referant & ratio doceat, quoniam cum Sol toto signifero uagetur singulis annis, necesse est, ut etiam singulis annis calor & siccitas in regione calida & sicca admodum, & frigus & humidum in regione frigida & humida admodum, qualis est Scythia, augeantur atque minuantur. Secũdum maior est mutatio ex calore in frigus, & ex sicco in humidũ atq; uicißim, quam solum incrementum: quoniam in uno primum est mutatio generis quæ includit mutationem magnitudinis, in altero est sola mutatio magnitudinis. Præterea calore dominante fit generatio, frigore domuiante non fit generatio, igitur mutatio ex calore in frigus, & ex frigore in calorem maior est & potentior quam solum incrementum. Idem dico de humido & sicco, nam sicco prædominante non fit generatio, & odores oriuntur: humido autem dominante generatio rerum fit, ut plantarum, animalium, hominum, odores autem non fiunt maximi iucundi, igitur longè maior est mutatio ex calido & sicco in frigidum & humidum quam incrementum harum qualitatum. Tertio dico quod solum in Europa fit hæc mutatio; tum quia id experimento constat, nam in Europa ubique hyeme gerunt multas uestes & pelles, & æstate quærunt Europis umbras, & ut ille dicebat:

Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant.

Et ratione, quia Europæi participes sunt Aethiopum per æstatem, & Scytharum per hyemen, ergo in æstate prædominatur apud eos calor & siccitas, in hyeme frigidum & humidum. Sic ergo constat de eis comparatis ad Scythas & Aethiopes. dico etiam de Asianis, nam supposito, ut apud Hippocratem apertè constat, quòd Asia sit exposita orienti, ipsa erit semper à Sole illustrata, ergo non mutabitur uariè, sed semper in ea dominabitur calor & humidum: ergo non erit magna mutatio, nec uicißim ex contrario in contrarium, sed cuiuslibet diei pars matutina erit eiusmodi, scilicet calida & humida & perflata, quod licet ad generationem non sufficiat per totum reliquum diei & noctis, sufficit tamen ad iam genitorum ea hora conseruationem, at in Europa cum sit in occidente (talis enim illius situs supponitur) cum Sol non prædominetur, adeò ut alias sæpe docuimus, serò enim ad eos peruenit, & per radios refractos, ideò plurimum apud ipsos possunt ortus & occasus aliorum syderum, quales explicauit supra ut Caniculæ ortus & Arcturi, addidi etiam Orionis tum Vergiliarum ortus atque occasus. hi autem mutant tempora ualde diuersis modis, ut Orionis & Arcturi ortus, ad imbres in æqualitatem, occasus Vergiliarum ad frigus. Contra Caniculæ ortus, ad caliditatem & siccitatem & æstus, Vergiliarum ortus ad uer & tempus temperatum: at hæc constat esse contraria inuicem, non solùm ualde diuersa, igitur Europæis præter cæteros continguntomnia hæc quæ in textu proposuit Hippocrates.

TEX.

TEX. III.

NEque uero discrepat circa generationem has ipsas mutationes sentire inq; seminis genitalis coactione aliam, neq; ex eodem & eandē æstatis pariter, ut hyemis pluuioso ut sicco tempore progigni.

Intendit declarare quod dixerat per duas differentias naturalē & aduentitiem. Videmus quòd plantata & sata tempore hyemis melius, & frequentius proueniunt quam æstatis, multo etiam melius ineunte uere quam autumno, uel alio tempore, adeò quòd sata & plantata æstate media uix proueniunt: similiter nec autumno, cum uideamus herbas quasdam perire alijs quicquid est à terra supra, uelut Maluæ & gramini: plerisque arboribus folia cum surculis etiam paruis. igitur cum tantum discrimē sit in plantis oportet etiam aliquod esse, & magnum in animalibus. Animalia enim penè easdem suscipiunt differentias quas & plantæ, ut inquit Theophrastus (1. de Histor. plant. cap. 1.) aues multæ & animalia non coeunt nisi uere, neq; nisi eo tempore fœcunda sunt: uelut inter cætera asini: cum ergo, ut dixi aliâs, bonio sit genus quoddā omnibus alijs animalibus coæquatū, necesse est omnes homines aut saltē maiorem eorū partem suscipere incrementa & decrementa. Quemadmodum enim in Plantis, ut ait Theophrastus (lib. 3. de Causis plant. cap. 17.) in solo humido & frigido conuenit sub uere serere, quod tum terra calidissima sit atq; siccissima, scilicet ob frigora diuturna & magna præcedentis hyemis: & in solo calido ac sicco post æstiuum solstitium, quòd tum terra refrigerata iam sit exhausta externis caloribus, atq; postmodum imminentibus imbribus humectanda, ita ut ualidissimum sit ad generandum quod est temperatum, idemq; felicissimum quòd à temperatis producitur, ita anni tempora frigida & humida in his qui quæue genitalia & cor habent calidissima sospites & robustos ac plenos generabant infantes. atque in alijs proportione habita. Cum uerò tempore habeant temperamentum diuersum natura, ut æstas calida sit & sicca, hyems frigida & humida, habent & incrementa & decrementa aduentitia, ut æstas huius anni quæ omnium quotquot fuerunt hominum memoria frigidissima fuerit & humidissima: non tamen eo naturaliter res peruenire poterit, ut æstas sit frigidior hyeme, poterit tamen in passiuis superare, & esse humidior ea uel hyems siccior, etiam æstate non tamen calidior. Fieri tamen poterit ut iunctis ambabus inæqualitatibus aliqua æstas sit, non solum humidior sed etiam frigidior aliqua hyeme alterius anni in eadem regione, eiusdem etiam anni esse poterit: sed hoc omnino rarissimum esse necesse est. Quicunq; igitur geniti in immoderatis ac similibus temporibus imbecilles corpore euadent, & morbosi ualde. Et si in temporibus similibus ac moderatis erunt imbecilliores, sed non adeò ut præcedentes, nec horum obscura est ex dictis causa. At qui in contrarijs ualde temporibus generantur, atq; ualde inæqualibus, robustissimi erunt: nō tamen hæc constitutio generationi fauet, quoniam extrema omnia sunt periculosa. Si uerò contraria sit natura temporum atq; hominum, & non immoderatæ satis fœcunda, hæc est constitutio & salubris. Contraria tamen mistæ non adeò immunem præstant à labe generationem, quemadmodum si omnia sint temperata, hæc enim optima est maximè quo ad mores. Considerare etiam optimū tempore non simpliciter, ut dicamus hyemen calidis temperaturis conuenire, nam hyems corpora boni habitus, & maximè quæ exercentur, robustiora & calidiora reddit, quemadmodum inquit Hippocrates (1. Aphor. 15.) Ventres hyeme & uere natura calidissimi. Robusti ergo genitores ac calidi æstate melius quam hyeme generabunt, ui caloris per æstatem exhalante, & maximè si fuerint raræ cutis. Aliud est quòd ibi dicitur, (17.) Aestate & autumno cibos difficillimè ferunt: calidior enim natura cibos concoquit, quanto etiam maior calor fuerit, non tamen generat, ut etiam in Promptuario docuimus, nam uiri robustissimi omnes nisi aliquo casu læsi sint benè concoquunt, plurimi tamen ex his steriles prorsus sunt.

TEX. IIII.

EAq; causa est cur putem Europæos magis quam Asianos secundum corporum formas inter se discrepare, & magnitudines diuersissimas in singulis adeò urbibus prouenire. Plures enim corruptiones contingunt in seminis coactione cum tempora frequenter uariant, quàm si eadem sunt & similia.

Docet hanc corporum diuersitatem contingere in duobus, per quæ postmodum duo alia innuit. Differentiæ ergo principales corporum sunt forma & magnitudo: per magnitudinem intelli-

gimus altitudinem et craßitiem seu tenuitatem ex oßibus & membris à semine factis: per formã autem, figuram, habitum & situm. Velut quòd sint carnosi uel exiles, pingues aut macilenti, densa cute aut rara, rubri, candidi, nigri, pallentes, crispis capillis aut planis, pilosi, glabri, molles, duri, asperi, leues, robusti, imbecilles. hæc omnia ad habitum pertinent. Rursus ad figuram, quod sint recti corporis uel obliqui, membris teretibus aut tenuibus ac latis, proportionem & symetriam habeant inter se, et pulchritudinem exhibeant, aut deformitatem inconcinnam. Et eadem de situ uel in articulis siue benè aut malè compaginati. Quorum igitur naturæ dominatur calidum & humidũ, hi sunt magni & carnosi. Qui uerò calidi sunt & temporati magni sunt, & carnosi magis, non tamen adeò obesi. Si autem calidi & sicci magni atq; graciles. Temperati uerò & humidi, obesi & moderati: temperati in utrisque, moderati in utrisque. Temperati & sicci magnitudine moderati, sed graciles, frigidi & sicci, graciles & parui, frigidi & temperati parui & moderati, frigidi & humidi, parui & pingues. In his omnibus ubi corpora proportionem seruant inter partes, deformia tamen sunt, materia quidem bona sed uirtus non ei dominata est propter imbecillitatem. quòd si continua sint, sed proportionem non seruant rei, caput magnum cum tenui collo, uirtus ualida fuit, sed materia inæqualis, cum uerò utrunq; affuerit aut defuerit necesse est, utrunque defuisse uel affuisse.

Refert Alemanus, Circio spirante, is alio nomine Thrascias dictus, quem & Cariam esse uolunt, sed & Certium melius uocari contendunt quàm Circium id uidetur planum spirare inter Boream & Fauonium peculiaremq; Histriæ & Galliæ Narbonensi ferreq; secum plaustra onusta, Boream uerò in Gallia, sternere quercus & deijcere tecta, turres. Corum uerò qui paulo occidentalior est Cercia quatere maria & sublimiora quæq; & sternere templa & ædes. His ergo tribus causis propositis naturalium temporum aduentitiarum qualitatum & uentorum quærendum est, quidnam plus possit? dicendum opinor, quòd temporum diuersitas plus potest, quia secum habet naturalem Solis motum incrementi, ut in uere decrementi, ut in autumno, status ut in solstitijs. Quo uerò ad effectus magnitudinem, uenti quia motum & qualitatem includunt. Quò uerò ad formationem qualitates aduentitiæ maximè siccum & humidum ob materiam. Et frigidum ac calidum, cum sint, ut aliàs declaranimus, instrumenta facultatum.

LECTIO XCIX. SVPER TEX. V. ET VI.

EAdem autem motuum ratio in utrisque existit. Feritas, integritas, & audacia à natura Europęos inuadit. Frequentes enim mentis perculsiones feritatem inducunt, mansuetudinem contra & benignitatem extirpāt. Quare etiam magnanimos magis eos qui Europam incolunt Asianis iudico.

Hoc est quod intẽdit declarare de animis. Cum enim homo constet anima & corpore, hi maximè homines ab hominibus differunt, qui utraq; parte differunt. Et incipiamus à manifestis: diximus enim esse nouem genera corporum in magnitudine, & totidem erunt morum et ingeniorum genera. Qui enim magni sunt & carnosi, hi fallaces sunt & rudes, & facilè irascuntur ob calorem, & facilè placantur ob humidum: sunt autem fallaces similiter ob calorẽ et rudes ob humidum. Qui uerò carnosi sunt, & ad magnitudinem declinant non tam facilè irascuntur & tardius placantur, quia calidi & minus humidi præcedentibus, sunt uerò eadem ratione fallaces sed solertes: quia in eis non abundat humidum, & iuuentuti comparantur. Magni uerò & graciles in iuuenta iracundi, nec facile placantur: idem fallaces et uafri, ob utranq; qualitatem: sed ubi consenescere incœperint ad habitum frigidorum & siccorum transeunt: ideoq; eadem fermè patiuntur quæ graciles & parui, sed in his promptui est ira. Qui ad magnitudimem declinant, & pingues sunt, hi sunt fallaces, rudes admodum, sed mansueti. Qui uerò moderati sunt undequaq; optimorũ morum. Qui uerò macilenti, sed parum ad paruitatem declinant, hi sunt uersuti & ingenioſi, non tamen uafri, neq; ualde mali. Qui autem parui sunt & pingues, hi minimè mali, sed tamẽ rudes, et sunt mansueti, facile aliquando irascuntur, sed semper breui & facilè adeò ut etiam sponte placẽtur. Aßimila etiam fœmineo generi. Si uerò ualde parui & macilenti, sunt uafri, dolosi, constantes, non tamen facilè irascuntur, irati autem diu retinent iram, dißimulatores magni, & timidi tamen sunt. At qui ad paruitatem declinant craßitie mediocres, uersuti sunt, cauti, solertes, non tamen adeò mali. Quorum membra parua sunt lædatur, & operationis

ratione quæ ex ipsis pulmonis facilè ut cadant in spirandi difficultatem efficit, & ut à destillationibus ac febribus plus lædantur patientes, uentriculi autem ut si plusculum cibi assumpserint. At cerebri ut malorum sint opinionum peruicaces atque inconstantes, parum iudicio ualent, reliqua possunt esse bona, rarò tamen rectè imaginantur. Paruitas penis ut etiam nimia magnitudo, sed non adeò generationi efficit. Parui cordis in febribus plus patiuntur, & sunt præcipitis audaciæ et iræ. Paruitas iecoris est causa multorum malorũ præcipuè febriũ. Deformitas semper mala est, & magnitudo non est adeò mala ut paruitas. Qui magno & firmo sunt corpore, contemptores sunt aliorum. Mutationes ualidæ temporum, excitant calorem naturalem, & maximè uentorum, & ad frigus, unde primum fortitudo, & inde audacia, & ex audacia feritas, et ex feritate sæuitia. At contra temporum quies, et calor moderatus efficiunt homines quietos & tranquillos, inde desides ac molles atq; misericordes, unde postmodum fallaces efficiuntur. Cum enim homines se tueantur duplici uia, ut etiam animalia bruta, ui & uersutia: quibus deest uis ad uersutiam traducũtur: idem de hominibus. Vnde timidum, bonum nunquàm inuenies, nisi sit absque mente. Et similiter imperiti & ignobiles & pauperes & senes sunt deteriores alijs, quoniam sibi timent. natura autem inditum est homini, ut uelit se securum reddere.

Videamus autẽ primum an homo naturæ suæ derelictus sit bonus aut malus? Cum enim institutio uersetur circa mediocritatem, si bonus natura, institutio illi obest, si autem malus, prodest. Et si etiam malus sit, accusamus naturam, si bonus, legem. Ideò una est ratio euadendi & uera. quam etiam prodidit Aristoteles. Homo quidem natura bonus est, nam & infantium & mulierum misereors natura id significat, & Deorum communio, ipsi enim aut soli aut maximè inquit (2. de Part. Anim. cap. 10.) Philosophus. Est etiam sapientissimus natura, et ob id optimus. non solum enim quæ sapientiora sunt studio & disciplina talia sunt, sed etiam natura quale elephas, est enim mitissimus animalium ratione carentium. Referũtur etiam certò, cum homo agrestis in Hispaniola Insula è nemoribus aduenient puerulum surripuisset, omnes illum sequebantur nil boni ex eo raptu sperari posse, aut enim cibi gratiæ subreptum quimos erat illis in locis, aut alterius rei causa, sed circa uesperam cum frustra illum insecuti fuissent, mane (sunt enim homines illi syluestres miræ celeritatis, ut etiam consentaneum rationi est, ut qui omnem spem in pedibus habeant) cum incolumem ridens restituit abijtq;. Verum ut Philosophus ait, cum rationis particeps sit, multa cognoscit prospicitq; in futurum multo ante, unde indigentiam suam præuidet. Cupit etiam non solum commodis suis prospicere, sed anteστare alijs, quo fit ut cupidissimus sit homo, atque ob id rapacissimus, & ui & dolo. unde postmodum natura fit iniustus, & ex pugna redditur iracundus & sæuus. Hanc ergo improbitatem lex tollit, lege igitur & natura bonus fit homo: & natura ergo iusta, & lex bona.

Quid autem sit quo maximè ad improbitatem impellamur, affectus est primus & potentissimus. Porrò affectus, ut dixi, primus est indigentiæ, ut succurramus auaritiæ nomine. Vnde Horatius:

O ciues ciues quærenda pecunia primùm.
Virtus post nummos.

Verùm hanc auget timor qui potentissimus est affectuum. mali enim periculum quam boni spes in nobis est efficacior, quoniam malum bono in nobis potentius est, & timor est futurorum, dolor autem & mœror præsentium, præsentia autem minora sunt futuris cum & esse possint, & sint quæ præsentia sunt: at futurum est quasi infinitum ideoq; non solum est eorum quæ erunt, sed & quæ non erunt esse tamen poterunt: quin etiam quæ etiam esse non poterunt, persæpè fallente nos periculi magnitudine. At contraria paria aut propinqua esse paribus debent. Timore ergo ira aduersatur, unoq; eorum dominante alter delimit. Ira ergo & timor in hominibus maximè prædominantur, sed à timore iniuria neque actio ulla præcedit: sed ut timorem deuitemus. ab ira autem pugna, sæuitia, latrocinijũ, ac similia procedunt. Si autem timori mista sit & urgeat ambitio uel auaritia, dolus innascitur, unde iniusti fiunt homines ac scelerati. Cum uerò ex ira audacia, ex audacibus factis laus à plebe consequatur, inde ex laude honor, ex audacia ad rationem reducta fortitudo, ex fortitudine & ratione iustitia & gloria, ita uicissim hæc se inferunt, unusq; affectus alterũ parit, adeò ut nonnunquam contrarium uelut ex misericordia nostrorum sæuitia in alios, & ex crudelitate in alios ob exemplum misericordia in nostros. Origo igitur omniũ prima sunt timor & ira ob auaritiam. Inde sequuntur quæ ad uoluptatem faciunt, hæcq; sunt duo præcipua honor & libido. Vnde iam assueti homines timere & irasci ob necessaria, transferunt

etiam hos affectus ad non necessaria scilicet genere ut libidinem & honorem & magnitudinem tantum, quemadmodum habendi illa dira cupido, ut Poëta ait: Ira ergo primùm audaciam gignit, inde ex audacia cum ira coniuncta (his pulchrum esset fabulari) oritur sæuitia: adauctis aũt utrisque ubi adoleuerint, furor: Ex furore & sæuitia adultis immanitas: & ex audacia ac stultitia, temeritas. Inde cum hac adoleuerint, & summa cum ira coniuncta fuerit non succedente uoto, desperatio: succedente aũt, quòd non habet nomen uerè, uocatur tamen barbaro nomine bestialitas, cui opponitur heroica uirtus. Et triangulis utrijs ad mediocritatis mẽsuram ratione redactis, fortitudo primùm, inde iustitia post liberalitas, est enim iustitiæ pars: ut clementia filia liberalitatis atq; iustitiæ, addita humanitate, fit misericordia. Ex fortitudine simul ac iustitia magnanimitas, si ita dici posset ex magnanimitate & liberalitate magnificentia. Cũ ergo Europæis causæ illæ sint in promptu & potentes, apud plebem quidem uitia redundãt, apud sapientes ac nobiles uirtutes, apud nobiles sed nõ literis operam dantes media quædam inter uitia ac uirtutes: aut uirtutum umbræ quædam, aut alterna uicißitudine modo uirtutes modo uitia.

Porrò educatio ipsa & leges, naturam mirum in modum (adeò ut etiam in contrarium) mutant. Et leges quidem quæ de Dijs agunt, aliæ feros, ut Mahumetana, aliæ superstitiosos, ut Iudaica, aliæ uanos & nequißimos, uelut idololatria, aliæ impios ac nefarios, ut quæ hæreses in singulis fiunt. Sola Christiana optimos efficit, si uel in simplices uel uerè sapientes homines incident. Sed si in Sophistas fiunt dolosi, subdoli, uafri. Et ut ouo bono nihil melius aut suauius potest inueniri, ita corrupto nihil fœdius. Improbus Christianus ad homines cæteros impios se habet, sicut homo malus ad bestias truces. Similiter & leges efferant homines efficiũtq; rapaces, alij mites ac iustos. Scythæ, ut diximus, senes et imbelles pueros (qd iniquius excogitari potest) pedibus alligatos ludibrio trahendos atq; necandos suis filijs, & rapto uiuunt. nimis stultum sit si uelim hic conscribere quantum ualeant leges ad hominum mores mutandos, sed & consuetudines. Quid enim de Antropophagis dicendum, quos antiquitas quasi pro fabulosis habuit? Et quantũ differebant Lacedæmonij feritate & improbitate à cæteris Græcis, ut non humano generi, sed sibi ipsis illos cõmendasse uideatur Lycurgus (2. Polit. cap. ult.) Solon mitiores Atheniensibus, Phiolaus Corinthium medias quasi Thebanis. Præterea Elais Chorondas pulchras leges præfixit, quas Aristoteles probat. licet suo inuento periclitam dicatur. At institutio & educatio plurimum possunt, de quibus Plato & Aristoteles satis superq;.

TEX. VI.

Siquidem similitudo & æqualitas perpetua, segnitiem parit, mutatio autem & animum & corpus ad exercitationẽ excitat. Augetur itaq; à desidia & otio timiditas. Ab exercitio uerò & laborib. crescit uirilitas.

Hic demonstrat uerè mutationem morum non per septimo ex humoribus qui in corpore abundant, sed naturali & exquisitißima ratione quæ eiusmodi est. Ab exercitatione & laboribus crescit fortitudo, sed Europæi qui patiuntur has temporum mutationes coguntur magis exerceri. igitur Europæi sunt fortißimi homines. ἀνδρεῖα ab ἀνὴρ ἀνέρος & κατὰ ἀνδρὸς, unde etiam fortitudo uirtus est, irasci enim & duritiem præferre uirilitatis sunt non fortitudinis. At illud manifestum est, quòd Europæi mutationes temporum patiuntur graues, ut ostensum est, quodq; tales mutationes cogunt ad labores. hoc nimis uerum est apertum: per frigora ligna cedere exercerique cogimur, per pluuias tecta fabricare, deriuare aquas, fugere niues, etiam è semitis auferre: per ealores ducere riuos, atq; etiam triticũ executere. at quod labores augeant fortitudinem, istud est quòd docere expedit, nam eo cõperto intelligemus ocium efficere homines timidos. Ergo labor primùm calorem adauget, qui autem calidioris cordis sunt, dicit Alemanus, fortiores sunt, teste Galeno. Sed hoc de naturali non præternaturali intelligitur. Forsan quia biliosiores fiant eoq; animosiores. Vt enim ira perciti, imò furore excandentes, periculà contemnunt, quòd uidemus etiam in ebrijs eadem ratione, quos constat esse multo quam pro natura audaciores. Verùm non est uera audacia, sed ubi periculum imminet huiusmodi homines terrentur, & persæpe fiunt cæteris timidiores. Videntur ergo mihi quatuor causæ potiores fortitudinis alijs ab hac in exercitatis quàm in ociosis, & ratione & experimento ipso cõprobatæ: quarum prima est, robur: nam robusti putant longius abesse mortem, quia natura eorum à morte magis remota est, minus ergo propinqua & ueristimilia minus timemus. Ideò iuuenes, senibus & pueris minus timent mortem, senes etiam & ut imbecilli

imbecilles, & ut proximiorem ob ætatem magis timent. Ac robustiora fieri corpora ob exercitationem, adeò clarum esse reor ut probatione non indigeat: ob idem etiam robur minus formidant mortem in certaminibus ob aliam causam, quòd uictores sese futuros putant. Vnde Imperatores cum uellent hortari suos milites, ab hoc ipso inci piebant quòd uictores sæpe fuissent contra illos, quod exercitati, armati, hostes inermes, inexercitati. Secũdum est sumptum ab ærumnis, nam qui laboribus exigunt uitam, contemnunt mortem, ut se à curis & miseria liberent, non enim habent quòd amittant, contra diuites & beati ac felices, multum formidant mortem, quoniam multis bonis priuari timent. Propterea dicebat Plutarchus, Lacones optasse semper diem pugnæ, quòd adeò durè in militia exercerentur, cum assiduis laboribus sine uini potu, quod etiam Romanis in usu fuit, fame etiam, siti, frigore, æstu, incommodis omnibus premebantur, ut diem supremum uitæ, & prælium etiam aduersum, minus timerent, quam moram in castris odissent. Et ideò Scipio ille Africanus minor, qui opera egregiæ uirtutis gemino duo scelera admisit nefandissima, euersis duabus urbibus Carthagine atq; Nomantia, contra omnia diuina humanaq; iura, nil potius habuit acceptis exercitibus ignauis ac timidis à præcedentibus Imperatoribus quam ut laboribus improbissimis illos domaret, scorta, cibos omnes delicatiores, imò uel quouis modo iucundos, prohiberet solaq; polenta & aqua cum caseo aut carne sulla, aut cœpis aleret. Quæ omnia exẽpla quoad potuere Imperatores militiæ exactores secuti sunt, uelut Aurelianus Claudius, eius nominis secundus, tum alij omnes qui fructum ex militia colligere uberem tentarunt. Tertia causa est, quoniam in eo studemus, in quo felicitatem reponimus: felicitas autem in genere uitæ reponitur: qui ergo otiosam & desidem agunt uitam, in delitijs, luxu & inertia atq; opibus felicitatem ponunt, et pro ea hisq; quæ ad eam sunt mori non recusant, tameisi toto genere uitæ imbelles sint, uelut Sardanapalus. At contra, qui laboriosam uitam degunt, felicitatem in uirtute ponunt, uirtus autem laboriosa est, ut dicebat Philosophus, uelut scire continentem assiduum fortemq; esse, pro his igitur homo laboribus assuetus exponit uitam. Et ideò tales fortes dicuntur. Vltima causa est, quod animi quemadmodum corpora afficiuntur, mulieres & pueri & humidi, natura molles, ijdemq; misericordes nisi per iram impediantur. sunt ijdem etiam timidi & debiles. Contra sicci ut qui montana incolunt, dum corpore, sicci fortes robustiq; sunt, non ex humoribus sed ex habitu solidorum. eaq; causa senes minus timent mortem adolescentibus. Ad hoc etiam multum facit usus, quòd plura complectatur. Vnde miles ueteranus longè tyroni præferebatur, non solum industria & patientia sed fortitudine ipsa. De quo Cicero (sed post factum) accusabat Pompeium, quòd cum collectitio milite contra ueteranos Cæsaris pugnasset. Cæterum Alemanus de ratione exercitationis agens adduxit exemplum ex Posidonio, de muliere quæ cum peperisset à labore infantem in agro statim reuersa est ad fodiendum. Atque hoc ad usum referri debet, quod non solum tum Hispania rustica, sed in nobili iuuencula in Italia regione Patauina contigit, dum furtiuum concubitum, quæ pro uirgine habebatur tegere conata est. hoc igitur experimenta patientiæ corporis ad animi fortitudinem sæpe traducunt homines: quæ tametsi ad idem uideatur tendere, & eandem rem efficere, sunt tamen inter se ualde diuersa.

LECTIO C. SVPER TEX. VII. ET VIII.

VNde bellicosiores quoque Europæi extant, non ob hanc solùm causam, sed & propter leges. Non enim regibus obediunt quemadmodum Asiani. Vbi enim sub regibus uiuitur, ibi necesse est homines timidissimos esse, quemadmodum & supra ostendi. Seruitute namque animi eorum pressi non libenter neque uolentes, temere pro aliena potestate se periculis exponunt. Europæi autem suo iure uiuentes cum pro seipsis non pro alijs pericula belli subeant magna cupiditate feruntur, uolentesq; ac alacres difficultates omnes aggrediuntur, ipsiq; sibi ex re bene gesta premia reportant, ut certum sit leges plurimùm ad magnimitatem conferre. Tota itaque & uniuersa res de Europa & Asia, sicut retuli habet.

Redit ad declarandum id quod Europæi sint bellicosiores, & est Epilogus præcedentium, cui

ſubnectit aliam cauſam ſuperius declaratam (lib. 6. tex. 12. 13. 14.) ideò ad reliqua tranſeo.

TEX. VIII.

CAeterũ Europa ipſa adhuc habet gentes inuicem differẽtes, non magnitudine & forma ſolũ, ſed & magnanimitate. Quæ uerò in eis hanc diuerſitatem faciant in præcedentibus dixi, dicamq; amplius magis manifeſtè.

Liquet cur repetierit præcedentia præter morem ſuũ, non ob aliam ſcilicet cauſam quàm ut doceret non ſolum Europæos in quatuor præcipuis differre ab Aſianis, ſed ipſos Europæos inter ſe. Erant aũt quatuor illa præcipua, quæ in textu referuntur, corporis magnitudo ſcilicet, tam in longitudine, & uocatur proceritas, quam in latitudine. Et forma pingues, macilenti, pulchri, deformes, proportione carentes ac talia. animi aũt celſitas, & nihil humile ſapiens, tũ fortitudo & fortitudinis pars eſt ipſa patientia. Inter ſe ergo etiã dicit multum Europæi differunt ijſdem, ſed nõ ijſdem cauſis: quia ab Afris quos Aſianos appellat, ignota adhuc ea tempeſtate Africæ appellatione, differre dixit. Et à Scythis duab. cauſis & regionis temperamẽto & inæqualitate. Ab Aſianis aũt qui etiam nunc ſunt Aſiani duabus itidem cauſis, ſed non prorſus ijſdem prioribus temporum inæqualitate, & ad illos comparata, & quod uiciſſitudines haberẽt inter ſe quæ non erãt apud illos, utpote Gallia differt à Sarmatia, quæ ad paludem Mæotam poſita eſt, quoniã Gallia habet æſtatem & hyemen & uer: regio illa ad Mæotim non habet hæc: & quoniam Gallia eſt modo calidior modo frigidior illa: Ideo comparatio temporũ diuerſorũ in Gallia eſt duplex inter ſe, ex quo fit intemperata in ſe & inæqualis, cum Sarmatia regio ſit æqualis. Et comparatione habita temporũ unius ad tempora alterius. Tertia cõparatio eſt partiũ Europæ inter ſe, quæ habet tãtum unum diſcrimẽ inter ſe, ſed in genere cõueniunt, quòd ambæ ſunt inæqualium temporũ, ſed inæqualitas Galliæ non eſt eadem cum inæqualitate Hiſpaniæ aut Italiæ.

Cæterum Alemanus hæc ſubijcit, quæ maxima ex
» parte collecta ſunt ex 2. Apoteleſ. (cap. 3.) Cum
» docuiſſet Europæas gentes inter ſe paulũ differe, uelut Germanos ab Hiſpanis: illi enim ſunt au-
» ſteriores, lucro magis dediti corpore duro, graci-
» li, & ob id etiã agiliore, contra Germani. At Ptole
» mæus in aſtrorum uim hæc refert. Primi quadran
» tis Europæi ſuperiora loca, quæſita ſunt in totius terræ diuiſione inter ſeptentrionẽ & occaſum cõ
ciliantur. Barcolybico, hoc eſt Caurce triangulo, quod eſt Aries & Leo, & Sagit. dominos habet cõuenientes Iouem & Martẽ ueſpertinos. In hoc totæ gentes hæ nominantur. Britania, Gallia Bracata, Germania, Baſtarne, Italia, Gallia Togata, Apulia, Sicilia, Tyrrheni, Celtica, Hiſpania. Atq; in his gentibus conſequenter hi mores animaduertuntur, ut ſint ob principatum trianguli ſui & dominatorum illius impotentes regni & amantes libertatis, armorũ belliq; ſtudioſiſſimi, patientes laborũ præſtantes mũditiæ, fortitudinis ſectatores. Propter ueſpertinum aũt habitum Iouis & Martis, propterq; ſuum triangulum accidit his ut prioribus partibus uiriles ſint, poſterioribus effæminati & mulierum amore non tanguntur, cupidi maſculi Veneris, & hac in parte æmulatores, neque hoc apud illos uitio datur ulli, neq; molle ducitur, quòd hoc ipſo animi illorum nõ perturbentur, & quaſi laborẽt, ſed retineant nihiloſecius uſum uirtutis, amicitiæ, fidei, curæ rei familiaris, beneficentiæ. Harum ipſarum regionũ Britania, Gallia Bracata, Germania, Baſtarnæ, propriè ſubſunt Arieti & ſtellæ Martis. Itaq; harum incolæ ſunt communiter feroces, peruicaces, truces. At Italia, Apulia, Gallia togata, Sicilia, Leoni ſubiectæ ſunt & Soli, præſtantiæ, benignitati, amicitiæ ſtudẽt. Tyrrheni uerò & Celtæ Hiſpaniq; cõmendati cũ Sagittar. Ioui, libertatis, ſimplicitatis, munditiæ ſunt amatores. Reliqua loca huius quidem quadratis. ſed uergentia in mediũ totius terra Thracia, Macedonia, Illyricum, Græcia, Achaia, itemq; Creta & inſulæ Cyclades, & maritima loca Aſiæ minoris ac Cyprus, decliuia de quadrãte ſuo ad Vulturnum adiungũtur etiam triangulo hoc Vulturni, quo comprehenditur Taur. Virg. Capricorn. & gubernatricibus ſtellis Venere ac Saturni, atq; inſuper etiã Mercurij. Quapropter horũ locorum incolæ magis ſunt, & corporibus & animis cõpoſiti, et temperati. Et ipſi ſanè præſtantiæ cupidi, fortes, regnioſores, propter Martem. Muſicæ aũt et ſtudiorũ, libertatis cupidi, regũ inſtitutorũq; ſuorũ tenaces, populari imperio gaudẽtes, latores regũ quæ à loue habent. Certaminũ & mũditiæ ſtudioſi à Venere amicitiæ, hoſpitalitatis, iuni literarũ, eloquẽtiæ cultores, à Mercurij idem arcanorũ ſacrorũ et imitiorũ inſtitutores de Ven. ueſpertino habitu. Ruſſus ex his peculiariter pertinẽt ad Taur. et Ven. maritima mimoris Aſiæ loco, Cycl. inſulæ, ac Cyprus, ideoq; fermè uoluptatibus, munditiæ, corporiq; ſeruiunt. At Græci, Achiui, Cretẽſes ſubditi Virg.

& Merc.

& Mercurij, ingeniosiores & doctiores & animorum cultores euaserunt. Macedones aũt Thraces, Illyricum, subijciuntur Capricorno & Saturno in re quidẽ paranda non inertes sed à mansuetudine morũ & cõiunctionibus alieni. Cæterũ, ut ad propiora rei accedamus, scire decet tres esse uirtutes de quibus Philosophi disputant, præsertim Aristoteles, quæ ualde inter se similes esse uidentur: plurimum tamen differunt, fortitudo magnanimitas atq; magnificentia. Verum in hoc primũ differunt inter se, quod magnanimitas & magnificẽtia fortunæ beneficio indiget, fortitudo autem naturæ, uelut & prudentia, unde à magnanimitate incipiendũ est. Interpretes tamen ipsi loco ἀνδρείας, quod est propriè fortitudo, & fortitudinem & magnanimitatem dixerunt atq; scripserunt, sed quoniam uerum est utrunq;, & utrunq; significari ab ea uoce potest, de utraq; disceremus: quanquam magnanimitas (quæ etiam nomine Latino ad hanc usq; diem caruit) Græcè appellatur μεγαλοψυχία. Igitur Philosophus 4. Ethicor. (cap. 3.) & in 1. Magnorum moral. (cap. 23.) & in 3. Moral. Epidem. (cap. 7.) docet magnanimum esse, qui maximis bonis se dignum putat, id maximum est bonũ, quod qui in dignitate sunt præcipuè optant, & quod Dijs tribuimus, isq; est honor. At nisi quis bonus sit ridiculus sit, si se dignũ honore putet, aut si non optimus maximo honore, qui ergo magnanimus erit, is etiam optimus erit, & magnis dignus honoribus habebitur, se ipsum existimabit. Eum autem ornamentũ cur tutum potius quàm uirtutem appellat, ob idq; uirtutibus alijs præditũ esse uult, qui magnanimum se ostendere uelit: aut igitur finis est uirtutum aliarũ, aut eas exigit, & ad se trahit. Is ergo & circa potentiam & opes uersabitur, non propter illas, sed propter honorem, unde neq; illis amißis contristabitur, modo honor maneat illæsus. Vt contra si honor pereat saluis alijs etiam uitã ipsam despiciet. Ob id minus extimat magnanimus uitam q̃ fortis, forti enim semper uita in precio est, modo honestè & citra uitium ac culpam, eam seruare posßit. Magnanimus uerò odit uitam quoties honore debito, etiamsi non omni caruerit. Vnde Catonem Vticensem & Ottonem magnanimos uerè appellare licet. Et mulieres Germanicas quæ uiris uiris cum à Romanis non impetrassent, ut liberæ, & in sacerdotio uiuerent, semet cum filijs, partim occiderunt, partim suspenderunt. Liquet etiam nullos magis etiam filiorum uitæ contemptores esse, quàm magnanimos ex his qui laude uulgari digni habentur. Ratio tamen affligunatur ob aduersa, quoniam parui cuncta æstimãt, & honorem ipsum aũt dignitatem si non par uirtuti suæ esse uideatur. Ergo non qui honores adipiscitur, nec qui non est dignus ob uirtutem, sed qui dignus est, et dignum se putat is magnanimus est. Vt uerò adipiscatur opes & potentiam auxiliũ præstat, sed & ut dignus ob uirtutem haberi posßit: persæpe enim horũ defectu uirtutis opus impeditur sine quo dignus honorib. haberi nõ potest. Ita ergo ad magnanimitatẽ, quæ cum ratione est, multum faciunt, nam multis animus fuit cõstans, quibus occasione data defuit animi robur. Ob id dignè dici nõ potest nisi ex opere ipso quauis in specie uirtute præditus, multo tamẽ rimus in fortitudine, prudẽtia et magnanimitate. Retribuunt aũt magnanimi beneficia, aut non uolunt agnoscere. Sic Antaxerxes præmijs magnis interfectores fratris affecit, modo gloria necis illi concederetur: ubi neglexerũt, eos crudelißima morte effecit. Ob id bonũ est erga eiusmodi homines officiosũ esse. Memimerunt aũt beneficiorũ in alios collatorum, & iucundè narrantes audiunt, modo digna persona uideatur. Et si quid impetrare uelis non collata, sed accepta beneficia cõmemorare expedit. Ita Clitus necẽ sibi ab Alexandro, sed tamen ebrio cõparauit. Exhibetur aũt beneficium libenter, recipiunt inuiti. Laudati aũt gaudẽt apud magnos uiros, sed inter humiles indignũ putant, tum etiam insidiosum. Eadem ratione nõ nisi ad magna solũ uocari gaudẽt, sed ad minora uocati indignãtur. liberi sunt in sermone & ueraces nisi apertè per irrisionẽ indignabundi respõdeant. Seruire dedignatur magnanimus, neque admiratur de aliquo, quia alios despicit seipsum solum suspicit. Satis est celebres & sibi similes non despexisse, neq; enim cuiquam tãtum uirtutis huius notæ inesse homini potest ut φιλαυτία non decipiatur. Vnde etiam quamuis iniurias egerrimè ferat, maximè tamen contemnere uidetur, atq; cõtemnit: quia multo se maiorem putat, uelut liberalis & diues, exiguos sumptus: Canis molossus Meliteos. Ea etiam causa erga inimicos minimè maledicus est: gaudet autem honestis magis quàm fructuosis. In motu lentus est, quoniam nihil est magnum apud illum, cuius causa properare uelit: & uox grauis ac stabilis, quia animo non angitur. At uerò qui de seipsis plus pollicentur quàm præstare posßint, hi partim deceptores sunt, quorum nimis magnus numerus est, præsertim in medica arte & in aula: in hac quidem ob luxum Principum, in illa quòd

huiusmodi

huiusmodi ars sola omne genus sordidior hominum recipiat, & eius flagitia impunita legibus sint, summa hominum pernicie: partim uerò tales se esse putant, quos uocamus insolentes, cum enim improbi sint aut inepti despectiq; honoribus se dignos existimant, alij ob potentiam, alij opes uel nobilitatem, multi ob solam factionem, quidam etiam sola temeritate. Ambulant silento passu, & uestiunt egregiè, & plures ducunt seruos, & facta sua commemorant. Si tamen his aliquid boni sit magis conueniunt cum magnanimitate, quam qui de se minus quam deberent pollicentur: si autem sæuitia cum potentia iuncta sit nullis pernicioſiores sunt feræ mortalibus.

Fortitudo autem alia est, alia fortitudinis effectus, scilicet maximis periculis sponte occurrere. Sunt autem huius præcipuè causæ quinq;. Natura primùm, & de hac intelligit Hippocrates. Vna quæq; enim gens imò & homines singuli habent quædam semina ingenita uirtutum. Borcales fortitudinis, Asiani prudentis, alij humanitatis, alij comitatis, alij feritatis. Secundo leges diuinæ, & ob id Mahumetani fortiores sunt ad bellum, Christiani cautiores. Dicebat Cæsar (libro 6. de Bello Gallico.) quòd & alibi retulimus, Gallos esse intrepidos in bello quòd persuasum sit eis à Bruidis sacerdotibus suis animas supereſſe post mortem. Et Polybius narrat, Romanos miras fabulas finxisse de inferis, ut suos milites ad mortem intrepidos redderent. Tertio loco est disciplina militaris, per quam milites adeò pugnam optabãt: Cum & Lacedæmonij id agerent, quamuis de inferis nihil constitutum haberent, ut totum ad disciplinam referre necesse sit. Quarto ex stultitia, quo in genere continentur qui ignorant periculum, irati, temulenti, insani, strepitus inconditi tumultus exemplum, quæ omnia duces exercituum proponere solent militibus pugnaturis. Vnde etiam superstitionem proponunt & auguria. Quinto ob philosophiæ præcepta. Atque hæc sola est fortitudo. Vnde non pugnant Hippocratis præcepta cum Aristotele. Natura enim loci plus potest ad effectum fortitudini similem præcepta ad uirtutem. Quod si quis dicat mulieres et pueri non possunt fieri fortes ex præceptis Philosophiæ, ergo nec qui natura ad hoc non sunt idonei. igitur plus poterit natura quam Philosophia. Dico quòd natura plus potest quoad effectum, quia plures Germani & Sarmatæ inueniuntur intrepidè pugnare sine præceptis Philosophiæ, quam Græci & Asiani præcipuè cum quotuis præceptis: imò si præcepta possent efficere uiros fortes plures essent ex Asianis fortes quàm ex Europæis: cum apud Asianos, ut dictum est, plus uigeat cultus literarum & disciplinarum, illi tamen non erunt fortes. Vt enim aliquis fit fortis secundum uirtutem, necessarium est, ex Philosopho tertio Ethicorum (cap. 6. 7. 8. & 9.) ad Nicomachum & ad Eudemum (cap. 1.) & primo Magnorum moralium (cap. 19.) Vt audeat in his quæ grauissima sunt, et tamen ab hominibus perferri soleant, non ueluti casus montium neque ignorantia periculi nec cõfidentia artis, aut roboris confidat se euasurum: nec ducatur præceps ad discrimen ut furentes, neq; ob uitium aliquod ut impatientes fieri, aut pecuniæ uel præmij expectatione, uel ob leuem causam, neque etiam si ob pudorem subeat periculum. nam si honesta non sit causa & subierit fortis non est, honesti enim fieri debet: si honesta clam non subibit, quia pudorem non metuit. Si ergo periculum honesti causa subterfuit non est fortis. Fortis igitur est qui quoties occurrit periculum pro eam honesta id agnoscens ducit melius si oporteat mori quam deserere patriam, aut parentem aut fratrem aut filium aut uxorem, uel amicum uel eum à quo alias seruatus sit, aut etiam egregium benefactorem, aut exemplum aliquod integræ uitæ, pro his enim fortis non recusabit, si oporteat morti se exponere. Itaq; non solum in armis spectabitur uir fortis, sed & si pro his nauigandum sit, aut è muro saltu præcipitare se oporteat, modo aliqua sit spes ut seruari possit, non ideo cur etiam fortis dici non debeat? aut cur magis deceat finere periclitantem ducem in mari, quàm ab ferro ab hostibus. At de morbo cum non sit honesti causa non poterit dici fortis, sed si sit, ut in uulneribus & contusionibus quid prohibet. Quid autem referat, si non refugiat queri de morte, aut non queri, non uideo: neq; enim gemitus aut lachrymæ uel eiulatus tollunt fortitudinẽ, cũ non pœnituerit egregij facti, quinimo istæ sunt condonanda natura infirmiori. fortior autem est is qui molli corpore audet & perfert quam qui duro. Sicut qui inermis ad pugnã descendit quàm qui armatus. Siquidem fortitudo tota ad animum non ad corpus spectat. In omnibus autem alijs terribilibus etiam si ea effugiat fortis esse potest, modo paratus sit obire periculum ubi honesta causa est. Et si in necessitate constitutus perferat eo consilio, quia euadere honestè non potest. tametsi uel naturali metu prematur, uel in dolore uehementi ciulet. Animi enim uirtutem non est necesse usque

ad

corpus peruenire. Porrò duplex est fortitudinis genus aduersus imminentia pericula & præsentes ærumnas, atq; in utroq; maius uideatur, magis ea perferri aut imminere beatis, minimè autē miseris, adeò ut quidam uel desperata salute audeant ob id solum, aut ob calamitates præteritas præsentis leuius ferant, dubiū non est & in uirtutibus & uitijs esse excessus. At uerò nō se obijcere cū nihil profuturus sit, nec uelle cū mortuis mori, non est fortitudinis. Sed si quis agat etiamsi mortis causam illi pro quo moriturus est dederit, uelut Cæsius Centurio, id furiosi est non fortis, aut certè si consilio tum fiat magnanimi, quemadmodum dictum est, cū honestè ut antea ei uiuere non liceat: at, ut dixi, aliud est fortitudo aliud magnanimitas, et diuersi earum fines. Velle autem mori absq; causa stultum. Sed neq; omnibus concessum est fortem esse, uelut diximus de muliebri natura atq; puerili. Vt neq; omnibus posse generare, imò neq; uidere, paucis de futura est modo adhibeatur diligentia, multoq; paucioribus quàm prudentia, hæc in natura plurimis denegata est. Sed hoc hic non spectat considerare. Sed ut ad rem redeam, nō est fortitudinis nō timere horribilia, omnes enim timent quòd natura timendum est, præter eos qui non agnoscunt periculum, neque non conqueri cum extra nos sit hoc: neq; fugere cum perstare nulli sit utilitati, nec uelle mori cum clarissimus. Neq; etiamsi non propter omnes sibi cognitos se mortis periculo exponat. non ergo de fortitudine uera & magnanimitate sermo est Hippocrati, sed de harum uirtutum effectibus, quæ à natura loci proueniunt, ob indita cordi semina, quæ propensa ad id multitudine nisi à tyrannis impediantur legibus & consuetudinibus augentur.

LECTIO CI. SVPER TEX. IX.

QVicunq; regionem montanā, asperam, altam, aquisq; carentem incolunt, & quibus mutationes temporum contingunt magnæ & diuersæ, hic & hominum formas magnas pergigni conuenit, qui & ad laborem & ad uiriliter agendum à natura præsent, quibusq; feritas & immanitas non mediocriter à natura sint congenita.

Primum quidem de lectione cōuenire oportet, unde nos tum ex sequenti textu qui huic contrarius esse debet, tum etiam ex sententia rei, & quæ experimento deprehenduntur manifestū est debere legi, quemadmodum supra scriptum est, ut sit sensus, qui habitant in montibus asperis, saxosis atq; altis nudisq; ab aqua, his mutationes temporum contingunt diuersæ, undè & corpora fiunt magna, & animi fortes, tum uerò ex uirisque laborum maximè patientes, sunt tamen feri atque agrestes: quæ omnia satis manifesta sunt ex his quæ antea dicta sunt. duri enim homines tū ob lapides, & aquas crudas, & aerem tenuem, qui admodum corpora siccat & uehementes ac ualidas mutationes uentorū, qui omnes frigidissimi sunt, propterea quòd aer sublimis, & in montium cacuminibus, experimento, ratione & authoritate frigidissimus esse solet, ibi enim & niues & grandines generantur, & à lapidibus refrigescit aer, & quanto magis sublimis est, eo minus incalescit à reflexione radiorum Solis: uenti quoq; ibi ualidissimi sunt tum ob libertatem, neque enim impediuntur à montibus, neque à terræ tuberibus, nec syluis aut nemoribus, liquida uerò omnia quæ celeriter mouentur docuimus esse frigidissima. Expertes autem tales sunt aquis, & ideò sicci cibi quoq; eorū castaneæ, glandes, carnes syluestrium animalium, unde duri undequaq;, idem exercitati cum cogantur peragrare montes laboriosis itineribus, habentq; densam cutem, tum ob uentos, tum ob frigus, tum etiam ob niues, quæ ibi maiore anni parte abundare solent. Sunt igitur calidi & sicci temperamenti maximè cordis, quia cor nunquam superatur, deinde iecoris, cerebri non ita, quia cum sit exangue aliquando uincitur. tales igitur sunt natura tristes, iracundi, laboriosi, pauperes admodum, procul ab urbibus, & ob id etiam parum ciuiles & agrestes, iracundi & tenacis iræ, & ob id etiam sæui. uescuntur præterea leguminibus, quia talia loca segetes non ferunt, & à niuibus etiam impediuntur. Bilis autem crassa & terrea illa est, quæ facit sæuos & agrestes, quia nihil aliud est sæuitia quàm iræ perseuerantia, nam sæuitia fit ab odio, neq; enim quisquam est sæuus, nisi in eos quos odit. Ira autem est uindictæ cupiditas & odium, ac si perseueret, ira perseuerabit & uindictæ cupiditas, & ideò neq; miserabit eos eorum qui sunt in cruciatibus: ratione contraria qui non perseuerant in ira humaniores sunt, quoniam desinunt odisse: at erga qui tenuem habent bilem, iracundi sunt, & facile mitigantur, quia crudeles esse non possunt nisi eo primo impetu pugnæ aut iracundiæ

cundiæ. quare Virgilius fingit suũ Aeneam fuisse misericordem etiam in Turnum æmulum, & in Lausum filiũ acerbissimi hostis, ut declararet breuem fuisse suam iram, & non nisi ab ardore pugnæ honesto fuisse profectam. At bilis tenuis & ignea causa est brevis iræ: contra bilis crassa & terrea perseuerantis crudelis igitur hi, illi mites nisi brevi tempore, qui ergo habitant in mõtibus crudelissimi sunt. & feri admodum, quia omnes habẽt causas terreæ bilis, ijdem etiam tristes sunt: contra nobiles, & qui habitant in humilibus locis ac cultis & aquosis ijdem sunt mitissimi. quoniam omnes habent causas tenuitate bilis, medij inter hos sunt rustici & artifices, & rustici quidem propiores monticolis artifices nobilibus, qui uerò mitissimi sunt, neq; irascuntur sunt mulieres & pueri ob naturam humidam: hi enim parum irascuntur licet sæpe, ergo parum etiam crudeles, sunt facile tamen ad mediocrem crudelitatem incitantur, erunt ergo quinq; ordines mitissimi, pueri & mulieres, post uiri nobiles, deinde artifices, crudeliores his sunt rustici ultimi monticolæ, & hoc secundum naturam, nam usu milites fiunt sæui, contrà sapientes benigni, & mansueti. hoc est quod ueteres insinuasse uidentur per fabulam illam reparationis humani generis, ex lapidibus factam per Deucalionem & Pyrrhum, ut Vergilius (1. Georg.)

Deucalion uacuum lapides iactauit in orbem.
Vnde homines nati durum genus.

Qua fabula non obscurum est (quamuis à Latinis potius Poëtis quam Græcis ficta uideatur. namque Homerus filium facit Deucalionem Minois (Iliad. ε.)

Edidit hic Minos præclarem Deucalionem.

Vnde non antiquus est, sed ex his potius qui tempore Troiani belli uixerunt.

Apollonius tamen facit Promethei. (Argon. 3.)

Est tellus quædam circumdata montibus altis
Irrigua atq; fœta herbarũ: hic nãq; Prometheus
Filius Iapethi clarum edit Deucalionem.

Solus Lucianus (in Dea Syria.) Scytham Deucalionem scribit fuisse tempore magnæ inundationis, declarari duo hominum genus fuisse reparatum ex montanis uiris ac mulieribus. A Thessalia seu Scythia non prope sunt, Thessalos enim etiam Scythas existimarunt, idq; per Deucalionem filium Promethei, id est prouidẽtiæ diuinæ, quod Rex fuerit iustus, atq; Deo charus, cuius extant sacella antiqua seu saltem Athenis uetustissimum, et à Pyrrha, id est igne, ut ex montibus deducti sint ad Athenas ad habitandum. Constat enim etiam ex Pausania & Erodoto Athenis illum habitasse cum Pyrrha uxore, seu Iapethi, qui ex cœlo & terra natus esset, ut inde originem duceret. Clarum est enim fuisse aliquando humani generis interitum uniuersalem, cuius etiam meminit Aristoteles in Politicis (lib. 2. cap. 6. iuxta finem.) cum dixit, hominum genus seu ex terra originem duxerit, seu alio modo reparatũ fuit, cui opinioni Princeps subscripsit, existimans posse homines luto cõcrescere, ut prorsus interierint omnes. Apud Mosen autem (cum omnes cõsentiant de hoc communi interitu) seruati sunt & ipsi per Noe in archa seu naui prægnandi eaq; in Armeniæ montibus firmata, quam etiam nunc ibi ascendi dicunt, seu ex montanis uiris à sede sua reuocatis admitius litæ genus constat relicta secunda opinione, quæ non ad Philosophiam pertinet, hominum genus restitutum esse ex interitu uel putredine terræ, quemadmodum referunt de Aegypto & Nilo. Pomponius Mela (lib. 1. cap. 9.) his uerbis: præter cæteros. Quòd ubi secessit diluuia, ac sibi reddiderit per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, sed tum primum accipientia spiritum, & ex parte iam formata ex parte ad huc terrea uisuntur, nam Glebis animas infundit Nilus, & ex ipsa humo uitalia effingit: Ergo si lepores & capreolos effingere potest nisi aqua, non uideo cur etiam homines eodem modo è terra oriri non possint. Aristoteles tamen Nilum nouit in Metheoris & Aegyptum, huius tamen non meminit generationis. Sed hæc alibi disputata sunt. Sed postquàm beneficio nauigationum innotuit in uniuerso ambitu terras esse, & illas inhabitari, fieri nõ posse existimo Cham solam, quæ causam efficacem esse puto, non quòd ex putredine homines oriri non possint, quandoquidem Aristoteles undequaq; perfectorum animalium, uelut murium, eiusmodi generationem admittat, ne non homo cogatur originem ex luto ducere, sed semper ex homine genitus sit, uerùm hæc in Arcanis æternitatis (lib. 1. cap. 22. & libro 4. cap. 3.) disputata sunt, ut causa aliqua in cœlo tam potens sit, ut in uniuerso orbe hominum genus deleat, quòd si modo sic fuerit ũe non ex aquis aut exustione, sed potius aeris pestilentia, qui quotidie circumuoluitur successione quadam, non ut circumambiat uno cursu aut peculiari principio humani generis sublato aut corrupto. Interest autẽ plurimum quomodo reparetur, nam si ex putredine omnia inquam habitura finem essent pa-

rumq;

rumq; aut nihil interesse felicitatis humanæ an stirps maneret an beata an regia, omnia enim finem habitum essent, & rectè Philosophi tantum referret, ut una die aut centum millibus annorum perduraret, aut in colono, aut in regia stirpe, quinimo miserior est interitus quanto felicior fuit status. quòd quotidie experimur deplorantes magnos uiros & ipsemet seipsos urgent cum in grauissimas calamitates inciderint, ut contra infelicibus interitus est finis ac miseriæ fuga. At uerò si ex hominibus homines restituantur, æterna est propagatio. hocq; multum refert quænam stirps maneat in perpetuum. Duobus igitur modis restitui potest humanum genus ex hominibus ipsis. Vno modo ex Antiethonibus longe petite origine atq; sic manere possent nobiles. Altero ex montanis, atq; sic non possent manere, quinimo si montani maneant, præoccupabunt eam quæ sit ex Antiethonibus restitutionem obuiarum longitudinem & difficultatem, neq; diuitum filij aut potentium hac tam longa spe & incerta uelint inhabitare iuga mõtium inter maximam inopiam, summos labores, frigora intollerabilia feraq; difficultates tam longis seculis. Verisimile igitur est ob duas causas interire uniuersum genus humanum, quod in planitie habitat seruantq; montanos uiros simplices, bonos, iustos, robustos & fortes incertis temporum periodis, ut diuinæ iustitiæ fructus sequatur cumulusq; hic tot flagitijs & celeribus opum, potentiæ, gloriæ felicitatisq; humanæ, uelut puerulis aceruus aut arx ex chartis ludorũ fabricatus momento dißipetur nullo uel uestigio relicto, & ut secundum naturam, neq; inundationibus ob altitudinem illi deleantur, neq; cum flagrationibus ob niues & aeris frigiditatem ac uentos, neque ex pestilentia ob perpetuos flatus cum corrumpi nequeat aer, nisi quiescat neq; bello cum generale tot montibus esse non posßit, & cui lucro & ob inopiam etiam rerum neque ob uictus defectum cum glandes & castaneæ & feræ & rapæ & legumina, quæ breui proueniunt uelut & millium & oua ex gallinis & secus & uituli deesse non posßint, nec concußionibus terræ, neq; enim ubi terra concuti potest, montes autem ubiq; sunt.

Horum igitur mores sunt duri, agrestes, parci, continentes, simplices, auari, mobilis animi ijdem etiam ob id fallaces contumacesq;, fortes, crudeles, robusti, parum bibunt, plus edunt, uagi, superstitiosi, tetrici, rudes, uocem habent robustam & crassam & asperam, pedes magnos lento passu, ob consuetudinem incedunt: longæui, incolumes, seruant diu iras, & ad uindictam proni sunt; in bello strenui, libertatis admodum amatores, ut pro illa ad mortem & ad interitum totius gentis depugnent. uini non multum auidi, taciturni, incompti, multa uidere se existimant, & fabulis delectantur, à studijs alieni, uoluptatibus etiam parum depiti. Factiosi adeò ut etiam ciuitates in montibus aut collibus constitutæ perpetuò seditionibus agitentur, uelut & quas flumen intermeat, neq; artes colunt, nisi ualde necessitas, uelut fabrilem. Mulieres eorum laboriosæ sunt, uel ut suppleant uirorum incotiæ, uel ut illos æmulentur: parum abortiunt, sed difficulter pariunt, agilesq; sunt dum utero gerunt, sæpe tamen puerperis lac deficit, non ualde fœcundi sunt, neq; somno dediti, rarò pinguescunt omniaq; perspicua sunt, ac quasi ex eisdem deducta principijs, præter illud de corporum magnitudine: uerum id contingit ob caloris insiti robur & pingue humidum licet paucum, unde non solum magni euadunt sed lato pectore, latus humeris & crassis & ossibus etiam magnis, unde etiam magno capite sunt: & ceruice ac collo crasso. teretibus membris in quibus musculi descripti apparent. magnas habent respirationes & pulsus magnos & hispidum pectus, non multum agiles sunt & graui corpore atque piloso. Durum habent aluum, & non facile sudant: mingunt ob hæc satis iuxta rationem potus. saltatione delectantur tametsi inepti satis ad illam coloris fului ob frigus, ut de Scythis diximus, medicamentis ualidis egent non solum ob duras aluos & aeris frigiditatem, & alimenta crassa, sed quoniam humores lentos & non multos habeant. Moriuntur multi ex lateribus morbis ex uenarum pectoris fractura. Ex morbis quibusdam raris alijs in regionibus. Qui uerò in uallibus habitant, multo infirmiores his sunt, & humidiores, & minus fortes, ac minus synceri: & debilia habent capita: multi cæci surdi statura, minores, debiliores, mansuetiores tamen mulieres cum hernia gulæ.

LECTIO CII. SVPER TEX. X. ET XI.

QVi uerò loca concaua patentia & æstuosa habitant, uentosq; calidos plus sentiunt quam frigidos, & aquis utuntur calidis, hi magni quidem esse non possunt, neque benè compositi & longi, sed in

amplitudine à natura producti carnosi sunt, & capillis nigris. Imò & ipsi roti nigri magis quàm albi, & qui minus de pituita habeant quàm de bile. Virilitas autem & tollerantia laboris non æquè ipsis à natura ineſt niſi conſuetudo accedat, & hæc in eis efficiat.

Montanæ regioni opponit concauam, altæ & ex conſequenti liberæ et perflatæ à uentis frigidis, æſtuoſo & calidis potius quàm frigidis expoſitã, aſperæ pratenſem: ut quæ molliſſima ſit, aquis ca renti ſtagnãtibus aquis, atq; ideò calidis refertam, ex quibus quatuor præpoſitis, quinq; deducit, circa corpus nõ eſſe magnos, ſed craſſos atq; carnoſos, non commoderatos, nigros corpore & pilis, bileq; potius quàm pituita abundare: circa animã autem duo, neq; fortes eſſe, neq; laborum patientes, niſi cõſuetudo obſtiterit. Nunc ſingula diffinia mus. Regio aquoſa & pratenſis & caua neceſſario humida eſt, & ob id etiã corpora humidiora et ſanguine plena in generatione, ob mẽſes, craſſa et pinguia fiunt. Craſſa quidẽ ab initio magis pinguia, atq; carnoſa in ſucceſſu tẽporis, unde etiam mollia et minus robuſta. In his uerò cum raræ ſint cõſtitutionis, et cutis diffletur, et aquæ prauæ ſint, calor naturalis infirmior eſt, atq; ideò non poteſt corpora in altitudinem attolliere. Verùm de mala formatione & nondum moderata compoſitione alia cauſa eſt: ſiquidem illa eſt uirtus diuina, quæ uitiari nõ poteſt ab his elementis. Primo de Facultatibus naturalibus (cap. 6.) at non agit quoniam & inſtrumentum, quòd eſt corporeum, & ſemen eſt ineptum & hebes, & materia ex qua fabricari debet fœtus inobediens, cruda et inæqualis, non quòd facultas ſit uitioſa, ſed ſola functio uitiatur. Nigri autẽ euadunt & cute & pilis, ſiquidem ſi cutis nigra ſit, pili etiam & capilli nigri ſunt, niſi caneſcant aut uitiligine teneantur. ſed non ſi pili nigri ſint, cutis neceſſario eiuſmodi eſt: quoniam per cutim albam tranſire poteſt fumus abundè niger. Aliàs docui ex Galeno primo (cap. 12.) de Tuenda ſanitate, quòd pili fiunt ex excremento terreo fuliginoſo, quòd exit cum excremento alimenti membrorum & tertiæ coctionis. Cum igitur ex ſequẽtibus oſtendat potum aquarum illarum offendere lienem: generabit abundè humorem melancholicum & ob id nigrum, unde pili tum capilli etiam nigri euadent. Et eiuſmodi etiã uiri ad inſaniam quibuſcunq; cauſis ſunt parati. Ex melancholia enim naturali naturaliter affecta impoßibile eſt melancholicam generari paſſionem, ſed uel cruda eſt ab initio uel retorrida uel putrefacta. Anima enim nihil patitur, ubi humori per calorem perfectè dominetur, nam ſi plurimus ſit, ſtatim eijcit quantum ſupereſt ad bonum ſtatum: dominatur autem cum concoctus fuerit: talis & euictus à calore naturali, & non mutatus à præternaturali erit. Iſtiuſmodi aũt incolis utrunq; accidere neceſſe eſt ob aerem & aquas uitiatas. Aer enim calidus calorem noſtrum naturalẽ, qui eſt in corde minimè repurgat nec inſtaurat: unde membra inficit per arterialem ſanguinem & aduxit. Simul etiam iecur à prauis aquis uitiatum, exurunt humores, ideoq; nigra omnia fiũt. Quoniã uerò ex hoc ſuſpicari quis poſſet, melancholicum eſſe hunc habitum, ſubijcit, quod etiam ſunt ſubbilioſi: quia plus abundãt bile quam pituita. quomodo non accidit in his qui naturali melancholia abundãt. hi enim pituitoſi potius fiunt. Voluit ergo ut intelligeremus huiuſmodi homines melancholia abundare, exuſta potius quam naturali. Fiunt tamẽ carnoſi ob humidi abundantiam, adeò quòd in talibus corporibus abundat humidũ cum calore pauco, ſed acuto & uitioſo. Cauſa bilis eſt quod cum habitus debeat tranſire ad aduſtionem neceſſarium, ut per bilis generationem tranſeat: ex qua cum magna pars, ut in omnibus quæ fiũt, ſubterfugiat plenam mutationem, relinquitur bilis non naturalis, rubiginoſa, cœrulea, glaſtea, ſilua, rubra & huiuſmodi, ſemper autem ſubterfugit colorem naturalem, ſcilicet flauũ quòd à præternaturali mutatur. Intereſt autẽ inter pilorum & cutis nigritiem, quod cutis non denigratur à ſuligine, aliter quibuſcunq; eſſet pilus niger, eiſdem eſſet & cutis: at hoc experimento repugnat. fiunt ergo nigri in cute bifariam, aut ab externo calore, ut in Aethiopibus, aut à ſanguine uitiato, ut in tribus regij morbi generibus et leucophlegmatia, talibus ergo ſanguis uitiatur (de Morb. cauſis ca. 6.) & in nigrum tranſit colorem, hoc autem ad cutim delegatur quòd uitioſus eſt, quoniam eſt imbecilliſſimum omnium membrorum noſtri corporis. nec tamen fiunt admodum nigri, quoniam mutatur à cute naturali ab aere, & ſanguinis boni aliquid coniunctum habet: ideo pili ſunt ſemper nigriores cute, etiam in Aethiopibus & Indis.

Quod ad animi qualitates innuere uoluit, quod totis libris Moralium Ariſtoteles agit, ſcilicet aerem, aquas, ſydera, uictus rationem, plus mutare corpora quam leges aut conſuetudines, aut Philoſophiæ præcepta: in animi autem qualitatibus

bus plus posse consuetudines & leges ipsas quàm regionis naturam. quòd uisum est nostris temporibus, dum Asiani imbelles & Aegyptij ob Mahumeti legẽ, facti sint adeò prompti in bello, ad mortem capescendam, ut agminatim in hostem, & aduersus machinas bellicas, & in fossas, & in præcipitia, & absque armis quibus corpora tegant, ruant. Sed & illud insinuare uult, huiusmodi uiros non esse prorsus timidos, quia cum dixisset superius (Tex. 7.) Europæos esse bellicosiores Asianis, non possunt ex solo situ fieri adeò timidi, sed sunt timidi & parum laborum patientes, comparatione præcedentium monticolarum. Et quia hic situs posset transferri, & ad planitiem, ut Mediolani, & ad radices montium, ut Bononiæ: & ad uallẽ, ut dicit Alemanus de Valesia. dico quod non potest intelligi de primis duobus, cum in his sint uenti frigidi, liberi. imò Bononia protegitur à calidis, ut aliàs dixi, & exponitur frigidis. Est ergo intelligendum solum de uallibus. Horum ergo hominum natura est mediocris inter fortes & timidos, patientes laborum & impatientes. melancholici sunt & tristes ac superstitiosi, uani, auari, subdoli, magis seruire parati, non solum his qui summa montium inhabitant, sed etiã illis qui plana: rudes, uiles, inopes, deformes, dæmonum cultores, uenefici, turpes, fœdi, malè olentes.

TEX. XI.

QVod si flumina extent in ea regione quæ stagnantes & pluuias aquas euehant, homines ipsi incolumes ac splendidi uiuent. Si uerò flumina desint aquas q̃ puteorũ stagnantes & olentes bibant, necesse est ab ipsis illis aquis & uentrem lędi & splenem.

Transit ad præternaturalem habitũ atq; morbosum, distinguens (quoniã his situs est ualde malus) eos, qui ob eum etiam morbosi euadũt & qui non. Et reducit rem in aquas, cuius causam supra retulimus, dum diximus aquas plus facere ad malum habitum incolarum, aerem autem ad morbos gignendos, qui citò interficiunt, uelut attonitum, phrenitidem, febres pestilentes atq; huiusmodi. Cum uerò superius de his dictum sit satis, de stagnantibus aquis & malè olentibus, quòd uenter lædatur, et lien celerius quàm iecur, uẽter quidem tribus de causis. Primùm quidem quia est imbecillior. Est enim tenuis & exanguis. Iecur autem crassum & totum sanguine plenum. Secundum, quia primùm occurrit ipsi uentriculo aqua infecta, praua qualitate ac quasi pura: in iecore autem iam mutata à cibis & uentriculo & intestinis & uenis mesaræi, & tota mista cibo. Tertium, quia in uentriculo longam moram trahit, plerũq; enim usq; ad duodecim horas & tota simul, in iecore multo minus & sensim trahitur à renibus, ut sensim recipitur. Propterea detrimenta aquæ si non sint maxima, primùm et magis apparent in uentriculo quàm in iecore. Sed dices quare tamen in uentriculo non tantum lædit aqua quantum in iecore. neq; enim generat hydropes, neque morbos regios, sicut in iecore, causa non est læsio iecoris, sed corruptio sanguinis. alia causa est, quod uentriculus est præditus maiore sensu, & etiam quia potest eam reijcere statim totã uomitu, quòd iecori non licet, & similiter de liene, quoniã corrupto sanguine iecur non adeò lædit: pascitur enim optimo quoq;, sicut et uentriculus: at lien cogitur recipere sanguinem corruptum & ipso uesci, sicut serui in comparatione ad dominum, minimè enim afficiuntur cor & iecur ex malo aut prauo alimento, ut etiam in lib. de Marcore (cap. 5.) maximè autem omnium lien, renes, uentriculus, uesica fellis parum, cerebrum, inter hæc extrema magis, unde leucophlegmatia. uesica fellis parum lædit, tum quia minimo indiget alimento, tum quoniam functione nõ habet fermè ullam generosam, sed solam attractricem aut expultricem uel retentricem, quibus tamẽ occultè uitiatis, morbi non mediocres obrepunt & magni. Sed de his satis dictum est superius. Reliquum est quia dicit quòd si flumen adsit, quod eiusmodi incolæ erunt sani, id est, quo ad istum habitum lienis & uentris & quæ consequuntur ad eum, scilicet hydropes & morbos regios, & melancholiam, & filiorum corruptionem prauam, & lapides in uesica puerorum, & diarrhœas, & dysenterias, & quartanas, & melancholiam, & gulæ hydrocelem. Verum tamẽ erunt subiecti morbis aeris & morbis alijs. Ideò docere oportet an habitatio circa flumina sit salubris, uel non, & qualis etiam? Respondeo quòd distinguere oportet, distinguendo primum si flumen ueniat ex oriente melius est. Secundum si fluat mediocriter & purus, erit melior, nam si rapidus sit ut Abdua & Ticinus aquæ erunt crudæ, & lædentur uenter & lien, licet non tantum, sicut ex præcedenti ex aquis stagnãtibus. Si uerò minis lentè fluat, ut Padus, erunt aquæ turbidæ & lapides generabuntur in uesica & renibus, & aer nebulosus semper. Tertio, an regio sit

calida uel frigida. in regione enim calida melius est, ob tres causas, primùm quia aquæ sunt meliores & magis concoctæ, tum quia minus læduntur incolæ à frigore aquæ, & maximè tempore hyemis, tum quia uapor ille nõ hærebit circa terras, sed sursum trahetur. Quartum est, ut locus sit elatus, comparatione aquæ, uelut Papia cõparatione Ticini, aliter talis habitatio est ualde mala, maximè tempore hyemis. Concludo igitur quod quo ad sanitatem, nunquam bona est nisi concurrant omnes quatuor illæ causæ, uel in comparatione, ut in præsenti loco, & in statu huius regionis, sed est commoda tribus de causis, ad uoluptatem & munditiem urbis, ad fertilitatem agri, & ad commercia ualde utilis.

LECTIO CIII. SVPER TEX. XII.

QVicunq; autem altam habitãt regionem, planam, uentis expositam & aquosam, eorum formæ magnæ ac inuicem similes & erectę. Animi quoq; eorum existunt mansuetiores.

Et naturæ incorporeæ (quæ solum beatæ sunt atq; felices) tribus gaudent priuilegijs, primùm quod expertes sunt omnis qualitatis quæ contrarium patiatur, uelut calidi, frigidi, sicci, humidi, duri, mollis, grauis, leuis, albi, nigri, asperi, mollis, ac cæterorũ. Secundum, quòd superior natura plenè inferiori dominatur. Tertium, quod plurimum lucis secum habeat ut ad corpus collata, in seipsa autem quoddam excellentius habet. lux enim in sole præclara est, ut nos ipsi sensu dijudicare possumus. Verùm in mente illa atq; ordine à quo lux ipsa soli communicatur, lux nulla est. Est enim lux affectio corporis: incorporeum autem corpus nõ est, neq; cum corpore cõmistum, sed superius quippiam. Habet ergo principiũ illius lucis in seipsa, & claritatem quãdam refulgentem longeq; præstantiorem quàm quæ in sole est, eaq; eius substantia est clara, sempiterna, beata, indesinens, secura, cuius imaginem uidere possumus hic in anima, natura quæ principium est tam fœcundum diuinarum operationum ac mirabilium in corpore, relucetq; in oculis ob lucem cœlestem immistam quippiam illustre: in anima uerò pura hilaritas illa, cuius nullus nocẽs particeps esse potest, atq; hæc ab ipsa anima proficiscitur. mortalia igitur ut beata fiant, aut saltem, ut optimum cõsequantur statum, his tribus assimilari oportet incorporeis. ut nulla participetur qualitate, quæ contrarium patiatur. Secũdum, ut perfectè dominetur alijs. Tertium, ut plurimum lucis secum habeat. Verùm cũ primum in misto impetrari nõ posset, quomodo enim fieri poterat, ut esset mistum & expers eorũ quibus miscebatur. Ideo natura assimilationem quãdam excogitauit ut postquàm nõ posset esse immune ab omnibus qualitatibus, ita immuniter participaret illis, ut omnino expers earũ uideri posset, hoc aũt est quòd prorsus mediocre est ac temperatum. in secundo constitutæ sunt leges quæ res magis circa extremum uersantur, & sunt meliores. Pro tertio uerò plurimũ caloris cœlestis immiscuit, ut quoniam ille sine humido, neq; esse diu, neq; ali cõmodè poterat, propterea plurimũ etiam humidi exactè concocti secum miscuit. Igitur natura humana quæ perfectissima est tria hæc consequitur & habet, ut sit maximè tẽperata, & temperatis gaudeat principijs omnibus, ut legibus potentissimis & exactis contineatur, et ut plurimum caloris illius cœlestis atq; concocti humidi sortiatur. Ergo relicto secundo cum primum ex tertio, et tertium ex primo oriatur. Ideò Hippocrates postquàm tradidit duarum extremarum regionũ historiam, nũc subijcit mediam ac perfectissimam optimãq;, in ea proponens summam mediocritatem ac puritatem cum principio uitæ coniunctam. Inquit ergo: quicunq; altam habitant regionem, scilicet ut pura sit, planã, ea enim est media inter concauam & sublimen ac tuberosam, inter uallem & montem uentis expositam, nõ dicit frigidis aut calidis, sed ut omnibus, ut in medio sit calidi atq; frigidi, humidi ac sicci. Et aquosam ea ratione qua dictũ est, scilicet ut ibi principium sit uitæ. Vnde multi Philosophi ex illis primis rudioribus cum nõdum cœlestis naturæ uim cognouissent principium stuerũt, omnium rerũ, aquam, quod ea sit primum generationis omnium rerum fundamentũ & plantarum & animalium. Secundum quòd ipsa sit lucidissima & cœlestibus corporibus similior aere, nam præter id quod lucẽ admittat sicut aer etiam relucet & remittit eam, uelut & luna & pleraq; alia sydera. Tertium quòd perpetuo moueatur instar cœli. Terra enim immobilis ac sordida iacet. Quartum, quod ex se nihil fœdi admittat, sed perpetuo illo cursu semet expurget. Quintum, quòd adeò iucunda sit corporibus humanis atque animalibus, modo à qualitatibus peregrinis non sit uitiata. Vnde malefaciunt qui conantur asserere eam esse frigidam, cum natura sit temperatissima, licet frigidiuscula sit humani corporis compo-

ratione,

ratione,non quòd ipsa sit frigida,sed quia corpus humanum sit calidiusculum,dicit ergo quòd eiusmodi homines optimè sunt dispositi & secundum corpus & secundum animam.

Secundũ corpus tres conditiones apponit, magnitudinem,similitudinem & erectionẽ staturæ. Circa animum aũt unum tantũ,ut intelligeremus illo ipso omnia cõprehendi,omnesq; uirtutes contineri,id est mãsuetudinem,humanitatẽ. dicamus ἡμερώτερα,est blandior seu suauior & æquior, dicitur & de comi & de placido,beneuolo,benigno,humano,& cõparatiuè profert,ut intelligamus id esse in eis excellens. Circa quod notandum est quod quatuor apud Aristotelem ponuntur superexcellentes uirtutes, quarum duæ sunt speciales,& duæ communes. Magnanimitas cuius positiuum est,ut dixi,honestas seu honoris debita ratio:magnificentia cuius positiuum est liberalitas. Communes autem humanitas & heroica: quanquam aliquis posset cõstituere heroicam tãquam excellentem humanitatem. Dicebat enim Philosophus in septimo Ethicorum (cap. 1.) Heroica uirtus est opposita feritati:si igitur feritas etiam humanitati opponitur necesse est humanitatem esse heroicam illam uirtutem,omnibus numeris absolutam. Porro Plato triplicem fecit humanitatem qua excipimus amicos,socios,atq; etiam nobis cognitos,quæ plus habet aliquid comitate,si quidem uerius amat & amplectit arctius,illa in blandiloquentia magis constat. secunda,qua miseris opitulamur & afflictis. tertia qua utimur in conuiuijs. Sed humanum est homini compati alteri homini, cum eiusdem naturæ sit. Conspicua autem est humanitas in primis patris erga filium,inde fratrũ, post regum in subditos, & filiorum erga parentes. Parumq; differre hæc à uirtute & probitate, (ut in Eudemijs docet,lib.7.ca. ult.) uidetur,nam & heroica uirtus & probitas omnes uirtutes amplectuntur, & probitas idem est quòd uirtus & humanitas,et heroica uirtus uirtutis cumulus est, ut in idẽ cõueniant, φιλανθρωπία uocatur propriè,Græcè amor hominum,Latini & præsertim Cicero in hoc ipso nomine omnia complecti uidentur,tractationem commodũ cum quibuscunq; hominibus,ut miseris opitulemur,beneficis retribuamus, ciuibus auxiliemur, coniunctis faueamus,eorum qui nobiscum uersantur, & qui potestati nostræ subijciuntur,curam geramus, inter cõuersantes iustitia atq; æquitate utamur, memores simus officiorum et gratiæ,in omnes beneuoli atque benefici, erga dominos benigni, & ad uenerationẽ prompti atq; obedientes. in summa cum homini soli inter omnia animalia uirtutes cõcessæ sint,quid aliud est humanitas quàm omnia cõplecti,quæ homini bona concessa sunt? Idem ergo & pius & magnanimus & prudens quam maximè erit. Qui ergo dicit humanitatem,complexum omnium uirtutũ dicit. si uerò etiam cumulare heroem appellabimus. Qui ergo temperamento õptimo præditi sunt,etiam si accedat modicum auxilium ex legibus,institutione uel exemplo,non solum humani natura,sed & uirtute sunt. at in urbibus cũ plures tales fuerint,erũt occasiones multæ tum exemplorum tum institutionis, & legum & studiorũ,& consuetudinis,& adhortationum quibus meliores reddantur,& uirtute præditi.

Quòd autẽ tales futuri sint temperati, præter quòd id insinuet Hippocr. dum dixit,quòd sint similes inter se,id esse non potest nisi fuerint cõmoderati:nam cum moderatio una sit, immoderatorum infinitæ species similes esse non poterũt, nisi etiam moderatis sint corporibus & mẽbris inter se proportionem seruãtibus. Visum est aũt de hoc superius (lib.5.Tex. 7.) Dubitabit autem aliquis, quonam pacto magni debeant esse si sunt temperati?nam temperatum corpus etiam in magnitudine commoderatum esse oportet: & ut Polycleti statua, ut in libro Artis Medicæ (cap. 51.) habetur,quòd quidem quia in controuersiam uerti posset,sic etiam demonstrari potest. nam si immoderatum magnitudine corpus erit,non gracile aut obesum esse poterit: esset enim aut humidum aut siccum neq; temperatum. quòd si sit moderatum in crassitie,oportet plus fuisse materiæ quàm deceat,quoniam iusto maius est:si plus adest materiæ quàm par est pro humana mediocritate, uel igitur calor omnino moderatus, uel mediocritatẽ excedens,si moderatus cum materia sit plus quàm esse debeat,non poterit benè confirmari, nec esse moderatum aut decorum:sin autẽ calor materiæ proportione respondebit,adhuc non erit temperatum,sed in calore quidẽ excedet. Hæc uolui adiecisse quo intelligeremus utilem rei scientiam: Si quidem quòd magnitudo quam hic uocat Hippocrates comparatione quidem ad alios magnitudo dicitur,uerè autem est mediocritas, quoniam hominum consueta statura parua est: quia pauciss imi ad ueram mediocritatem & iustam mensuram pertingunt:plures autem cum sint causæ quæ impediunt debitum augumentum,paucæ admodum quæ augeant. conuenit ut iustam mensuram pauci homines æquẽt. nã labores,curæ,uigiliæ, inædia,

seruitus,mala gestatio uteri,morbi,omnia faciunt ad corporis minus in longitudine incrementũ. Venus itidem & crapula & ocium. licet enim morbi uideantur aliquorum magnitudinẽ adaugere, statim tamen illa consueuit consistere: & talis etiã magnitudo deformis est,macilẽta,imbecilla,curua: at frigus etiam & calor hoc idem facere cõsueuerunt,nisi in paucis quibusdam,& ideò quos appellat Hippocrates εὐσάρκους μεγάλους,hi sunt moderati. ad cõmunem tamen mensuram collati magni appellantur. Vnde subiecit quòd sunt erecti, hoc enim robur ostendit naturæ. Videmus enim motus omnes quamdiu tenorem & robur suũ seruant,rectà ferri, cum debilitantur,obliquos fieri. cum uerò sint tres causæ incuruationis,humidum copiosius,ut in lignis & funibus, exsiccatio nimia,ut in loris,& imbecillitas, ut in sustentaculis cum nimium premuntur. Vnde infantes incuruantur ob nimis humida membra. humidum enim, ut dixi, facile & quauis causa flectitur: primi senes ob imbecillitatem: neq; enim si mentem adhibere uoluerint curui incedẽt decrepiti, ob utrãq; causam,scilicet imbecillitatẽ quæ etiam in illis superaucta est,& siccitatẽ: qui erecti incedunt erũt robusti,& tẽperati in humido et sicco, aliter difficile esset ut erecti incederẽt. Cum ergo tale robur & temperamẽtum sit in spina dorsi,secundũ quã homo rectus aut curuus uidetur. ab ea enim nerui oriuntur qui motũ præbẽt toti corpori: meritò tales uiri non solũ decori & probi, sed etiã robusti erũt. Curuari aũt homo primũ solet in collo quod ea pars hinc inde ut pectus à costis munita nõ sit.

LECTIO CIIII. SVPER TEX. XIII. ET XIIII.

QVi uerò macra,aquis carentia, & nuda loca tenẽt,& quę temporum mutationibus non sunt permista,horum formas necesse est esse asperas et uegetas,flauas magis quã nigras: mores etiam eorum rigidi sunt,pertinaces & contumaces.

Est descriptio huius regionis,certè oppido nostro,unde oriundi sumus,ualde accõmodata. distat enim Cardanum oppidũ cuius adhuc extat celsa turris & antiquißima,adeò ut fulmine ictam superiore parte coacti sint nõ semel reficere, prope Gallaratum ad mille passus,ab urbe autem Mediolani XXIIII M.P. Galareatũ aũt urbs fuit tempore Federici Imp. quæ cum diu perstitisset in partibus urbis nostræ Mediolanensis, ira bellica non solum directum,sed etiam euersum est. At Galareatum quamuis tam propè Cardanũ sit & regio illa tota quam Insubriam uocant,à Subrio castro, nũc Septio appellato,arido sit loco & sine aquis ac nudo,quale describitur ab Hippocrate, plurimũ tamẽ differt,situ,natura,moribus,à Cardano. Est enim oppidum nostrũ incole quodã loco peramœno et adeò aquarũ experte,ut putei ad quinquaginta,& amplius passus excauati sint. ob id etiam aquæ frigidißimæ. ibi prope Carnutũ oppidum,quòd hodie Carnagũ uocant. à Carnutis Galliæ populis denominatum,prope Eustatium enim quod IIII M.P. à Cardano distat,hodie Bustum uocant. uicti Hetrusci à Gallis sunt & Busta ibidem relicta interfectorum militum. Constat enim Gallos ipsos Insubrium condidisse oppidumq; & regionẽ,cui XXIIII præcipua oppida subegit adeò ut usq; accessum lapidẽ ab urbe Mediolani. Est aũt inter Ticinũ & Abduã flumina,hiq; toti fermè Italiæ quæ citra Peninũ est dominabantur deductũq; nomen existimo, uel ut Strabo (lib. 5.) quod Boij,& Insubres,& Senones Gallorum gentes essent,quæ circa Padũ Italiam occuparũt,ibiq; inhabitarunt. Vel ab Insubris quod lingua Gallica Hederam significat,appellentur. Ea enim certè regio,ut quæ parum fœcũda sit,hedera abundat. Inde Galli passim hederam nascentẽ nacti sua lingua Insubriã quasi hederaceam uocauere, uel ab aliquo duce. quidquid sit si nõ à senibus quos constat fuisse populos Galliæ potentißimos,quiq; Romanam urbem occupauerint deflexa sit,& Insubres quidem ac Senones à Romanis deletos fuisse, testis est idem Strabo,unde non uideo cur quidam adeò laborẽt,ex eo nomine ostendere uelle nos originem à Gallis ducere,cum nihil minus esse possit, si uniuersa gens eorũ à Romanis inimicißimis deleta est,non solum odio antiquo & generali eorundem in uniuersam Gallicam gentem,sed quòd, ut Polybius author, Annibali hosti maximo Romani sanguinis enixißimè ac diu fauerint. Ergo ut ad rem redeam,incolæ nostri oppidi quia,ut dixi,illud inter omnia alia præcipuè effigiem huius historiæ refert. Est enim ager omnino nudus aquisq; carens,& admodum macer. Verùm illud difficile est quod additur & nõ permistum mutationibus temporũ,quia quomodo id esse poterit, ut sit locus nudus & aridus, nec subiectus mutationibus tẽporum. Colles enim tales esse solent. at in illis uenti maximè uigent temporũq; mutationes. si enim locus cauus est uix fieri potest, ut aquæ nõ abundẽt,diffluentib. illis ex altiorib. locis, si uerò in ualle sit adhuc uentos sentiet, si in ualle undequaq;

undequaq; concluſa montibus, neq; ſic res reſpon debit, æſtuabũt enim & non ſolũ in anno, ſed ſin= gulis diebus anni maximam mutationem ſentient, à meridie uſq; ad ueſperã calorib. æſtuantes, inde noctu & matutinis horis immodicè frigebunt. Quamobrẽ exiſtimo ſentẽtiam Hippocratis eſſe è re natã ac cognitã, ſiquidem intendit ut ſit regio nuda arboribus, ſine aquis & macra, libera aeri ac uẽtis, ſed in quam tamen non admodũ ſæuiant quod ibi manifeſtè apparet, tũ in agro Veronen= ſi: hæ duæ enim regiones tantũ habent ericæ ſine ullis alijs prorſus plantis, ut admirabile dictu ſit. neque ergo uult Hippocrates, quòd regio hæc ſit montana aut ſublimis uel cõcaua, nã de his dixit: neq; etiam prorſus plana, nam & eius mentionem fecit: ſed inæqualib. collibus referta, ubi uenti fran gantur: tunc uult corporũ formas eſſe aſperas & uegetas. At ego σκληρὰ potius duras quàm aſpe ras dixerim. aſperũ enim potius ad animũ referri debet, aut ad caſum quã ad corporis naturã. Inde dicit flauas potius quàm nigras. De moribus ſub= jicit quòd ſunt rigidi, pertinaces & cõtumaces. ra tio igitur omnium horum eiuſmodi eſt, quoniam ſiccitas in his undequaq; prædominatur. eſt enim nuda arboribus, & herbis ſuauibus: et propterea dicit macra & nuda & ſine aquis. Omnes enim plantæ generaliter aerem humectant, humido & ſuaui: quoniã & umbrã faciunt terræ, & ipſæ hu more cõſtant, et impetũ aeris remorantur. cũ ergo ſit ſine aquis, arboribus & herbis dulcibus, nã eri ca et filix & geniſta herbæ ſunt natura ualdè ſic= cæ aridæq;, neceſſe eſt ut plurimum generent bilis corpora, plus enim facit ſiccitas longè ad flauæ bi lis generationẽ quàm caliditas. Idẽ ergo multã fla uam bilẽ generant, nullo aũt modo poſſunt pitui= tã aut ſanguinẽ generare. accedit penuria alimen torum: non ibi piſces, quia non aquæ, nõ pecudes, & pauca alia animalia domeſtica defectu pabuli, indigent enim eiuſmodi pabulo pingui, neq; etiã agreſtia, quia deſunt arbores, ut ſupra uiſum eſt (lib. 7. Tex. 5.) neq; aues cum non ſedeant ubi ni dificẽt, niſi ſordidæ ſicut cornices, monedulæ, cor ui, et ſimiles, aut auiculæ paruæ, ſed etiam paucæ: deeſt frumentũ etiam, indiget enim frumentũ ter= ra pingui: propterea deficiente alimento ſunt ſic= ciores. Tertia cauſa eſt quod ob ſterilitatẽ ſoli co= gũtur ſibi parare uictũ multo labore, ita ut omni= bus cauſis ſint omnino bilioſi, nec tamẽ ſunt me= lãcholici, et propterea nõ ſũt nigri. et cauſa huius eſt, quoniã melãcholia quæ nigra eſt indiget exu= ſtione: tales uerò nõ poßunt eße multũ ealidi, quia ſunt in libero aere, nec fiũt magnæ mutationes, ut dixi, à uẽtis. Et ideò eiuſmodi uiri abundãt bile fla ua miſta melãcholiæ naturali, & ob id etiam non ſunt multũ iracundi, & ſunt patientiſſimi laborũ, tũ quia ſicci corporis, tũ quia duri & uegeti, tum eti: quia macilenti & denſæ cutis, & parũ ſudãt, tũ quia melãcholici: melancholia aũt cohibet bilẽ flauã, & eſt frenũ eius, & efficit patientes ad labo res. Vnde aſini omniũ animaliũ ſunt patientiſſimi ad labores, quia ſunt mel cholici admodum, et du ræ carnis, oſſiũ durorũ et cutis, et tales tollerãt ma ximè, nõ ſolũ labores ſed etiã incõmoda. Sunt er= go & ob id rigidi, minimè amãtes filiorũ & uxo rum, pertinaces atq; cõtumaces, quoniã melancho lia prædominatur, ut dixi, admiſta bili flauæ craſ= ſæ et terreæ, tales igitur ſunt mores Cardanorum.

TEX. XIIII.

VBi enim mutationes tẽporum contingunt frequentes, & plu rimum inter ſe diuerſæ, ibi & formas & mores, & naturas reperias plurimum differentes.

Reuertitur ad declarandum unã, ſcilicet quòd mutationes temporũ frequentes & uariæ, formas & mores, et naturas multiplices reddunt. per for mam intelligit magnitudinẽ & paruitatẽ, craßi= tiem & exilitatẽ, carnoſos & macilẽtos, albos & nigros aut flauos, glabros aut piloſos, erectos aut incuruos, oblæſos aut perfectos, modera:os aut incõmenſuratos, et ſine proportione, atq; iſtiuſmo di. per naturas autẽ fœcundos aut ſteriles, calidos aut frigidos, humidos aut ſiccos, incolumes aut æ= gros, laborũ patientes aut impatientes, qui facile ſudãt, aut qui non facile uigiles aut ſomnolentos: per mores uerò audaces, timidos, feros, mites, iu= ſtos, rapaces, iracundos, manſuetos, ingenioſos, ru des, ſeruiles, generoſos, liberales, auaros, atque e= iuſmodi. Quomodo aũt hæc priorib. cõiungãtur, & quare hæc ſubiecerit, rationẽ reddere oportet, quoniã cum dixerit in præcedẽti Textu, quòd mu tationes nõ fiunt ibi: hic aũt ſubijcit de mutationi bus? dico quòd cauſa eſt, ut intelligeremus nihil magis facere ad diuerſitates hominũ q̃ mutationẽ temporum: quia licet homines habeant regionem quãtumuis intemperatã, licet reddãtur deformes, & ualde ab aliorũ natura ſeiuncti, tamen inter ſe ſunt ſimiles. Et ideò quando dixit ſuperius (Tex. 12.) qui habitant regionẽ temperatã, ſunt ſimiles inter ſe. dixi quòd ſoli moderati poſſunt eſſe ſimi les. hic uerò dicit quòd quantumcũq; immoderati ſint, nõ ſunt diſſimiles niſi propter inæqualitatem

temporum.dico quod intelligit de magna dißimilitudine inter se,& non exigua.ut tandem concludamus quod humores aut sunt ualde similes in una regione inter se,& hoc accidere non potest, nisi sit proxima temperamento,& paucas patiatur uicißitudines. Et hoc contingit Asianis & habitantibus in regione temperata quadam,speciali etiam quòd fit in Europa. Secunda est similitudo minor,ubi tempora non mutantur nisi parum, ut in Aethiopia et Scythia,inter se enim sunt satis similes. Tertia est in regione magna,ubi etiã quod tempora sint similia in singulis partibus,licet sint similes Galli Gallis,& Itali Italis,& Hispani Hispanis,tamẽ Galli sunt dißimiles Hispanis & Italis. Quarta & ultima est,quod in eadem regione propria & speciali possunt esse dißimiles, & erunt solum ualde dißimiles quando mutationes temporum fuerint ualde dißimiles & crebræ.

LECTIO CV. SVPER TEX. XV.

TEmporum itaq; uarietates potißimæ sunt,quæ naturã ipsam permutãt.deinde etiam regio in qua quis nutritur,postremum aũt aqua. Inuenias em̃ ferè semper, & formas hominum & mores regionis naturæ compares.

Cum declarasset duo,scilicet naturam singularum gentium per se, & etiã quæ essent uariæ aut similes in unaquaq; regione, utpote Galli Gallis, Itali Italis,aggreditur tertiũ,ut doceat cõparationem gentium inter se,utpote Gallorũ cum Italis, ex quo intellige etiam magnitudinem huius differentiæ . & dicit quod ob tres causas gens à gente differt,uarietate temporum,regionum & aquarũ . Quod ad temporum uarietatẽ iam in præcedenti textu docuit,quod homines qui habitant in regione quæ frequentibus & magnis temporũ mutationib.subijciatur inter se muliũ differunt:quomodo ergo etiam nõ plus ab alijs,solet enim dici: Conueniet nulli qui secum dißidet ipse.

Primùm ergo statuit causam in mutatione temporũ,post in regionum diuersitate,demum in aquis, quòd si ita est plus differre possunt Galli inter se quã Germani,exempli gratia,ab Italis,quia Gallia,est ualde subiecta temporũ mutationibus. Vnde dici solet,Gallia uẽtosa,saxosa,rixosa. Et certe ante Cæsarẽ in pagos diuisa erat, & tã multipliciter ut hoc fuerit causa quod à Romanis subigerẽtur,neq; in unũ coierint nisi per legẽ Christianã quæ mitiores reddit homines. idq; in magnũ commodũ gentis eius cessit,adeò ut nisi diuiderent regnũ per filios iã inde lõgius prouecta fuisset eorũ potentia. Sic Romæ cum una sit urbs & adeò frequenter et magnis inæqualitatibus tempora euenirent olim tantis seditionibus agitata est,ut nulla natio nationẽ plus oderit,quã Romani ciues inter se.habet aũt omnia illa urbs,ut audiui (nam nunquam eã uidi quòd mihi illã uidere fatale sit) per quæ seditiones pati debeat, primũ inæqualitatem tantũ ut etiã diurna,si quis non prospiciat ad hominũ interitũ sufficiat. colles in urbe Tyberim fluuium qui illã diuidit. Est præterea antiqua factione inimicitia Vrsinorũ & Columnarũ uix attrita multis Pontificibus. Videmus ergo Italos cum Anglis & Hispanis magis conuenire, quamuis longe distantibus regionibus, quam Germanos inter se, aut etiã Gallos. hoc accidit propter temporũ uarietates. Secunda uarietas est ex regionũ situ: biq; triplex generalis ad Austrũ,illi exangues & sicci & ideò timidi,dolosi,bilingues,inconstantes,sordidi,seruilis animi, incurui, nigri, immoderati, pertinaces. Ad Boreã candidi,capillis lenibus,glabri,sanguinei,libero animo,ueraces,fortes & audaces,edaces,bibaces, sæui, iracundi, quiq; facile decipiantur etiã sibi nimiũ persuadentes.Orientales mansueti,hilares,prudentes,amatores disciplinarũ & studiorũ,pij,grati,mũdi,honesti.Occidentales contra sicci, inæquales, pugnaces, ad studia inepti,callidi,uafriq;:macilẽti,parci,auari.Et qui medij sunt inter oẽs hos,morib.mistis & inæqualibus,magis generaliter æstuti,solertes,lenes,fallaces,instabiles maximè culti, maximi dißimulatores ijdẽ specie humaniores. Secundus est quòd regio sit exposita istis partib. ratione eleuationis et montiũ,licet secus generalis orbis diuisione se habeat,ut Turingia in Germania, ubi Bicurgiũ seu Erfordia celebris urbs iuxta syluã Lemanã,quam nũc uocant Turingorã,à septentrione monte Meliboco ab occidente Ab nobis tegitur, sylua est ab oriente,ut tota sit meridiei exposita.Cortra,Parthia & Hyrcania & Media cum satis ad meridiem ex generali diuisione positæ sint à Borea, tamẽ liberè perflantur à meridie Parcoatheo & Sariphis integuntur: unde etiam fortes euaserunt. Hac in situs ratione elatio terræ & montes & maria ueniunt consideranda. Tertius est, qui mox est pluribus uerbis explicatus, cauus, celsus,planus, perflatus, aquosus, concluſus, aridus, nudus,atque huiusmodi. Tertium discrimen est ab aquis quòd in forma corporum non tantum potest,neq; in moribus quod ad sanitatem tamen & morbos

morbos attinet plurimum potest, & de hoc satis superius actũ est. nam docuimus aquarum noxã posse à potentibus magis uitari quàm aeris. pauperes utrisq; sunt obnoxij. Inuenias enim ferè semper & formas hominum & mores, regionis naturæ compares. Naturam regionis appellat mistã ex illis quinq; iam dictis, scilicet temporum mutationibus, situ generali medio & speciali, ac aquarum qualitate. sed subiecit ferè semper ut intelligeremus multa alia esse quæ si in unum conueniant aliquando plus his possunt, tum maxime cum ex horum commistione contraria media quædã, aut parum à medio distans formarum & morum ratio conflata fuerit. Hæc igitur sunt primũ cum immoderata est intemperies: neq; enim Lapones aut Biarmij, ut etiã uisum est de Scythis, sunt fortiores Germanis, nã omnis immoderata intemperies deijcit actum propriæ uirtutis. Vt secunda Aphorismorum habetur (Com. 20.) Et in prima eiusdem dicebat Galenus (Com. 15.) quod cum frigus magnum comparatur imbecillibus, non est necesse ut uiscera eorũ incalescant, sed magis torpent & refrigerantur. ideò si frigidæ regioni etiã situs frigidus et uenti frigidi adiungantur, præter ea aquæ frigidæ, non fient homines robusti, neq; fortes, nec alui durę, sed ob nimium frigus erunt inertes, imbecilles, malæ ualitudinis & miseri. Secundum est cum ex intemperie & statu cœli oritur aliquid per accidẽs quòd destruit decreta per se. uelut in præcedenti statu poterit esse tanta inopia uictus, ut homines non sint duri & uegeti ac flaui, sed potius laxa carne, imbecilles & pallidi: uel quia cogantur esurire, uel quoniam cogantur edere malos cibos. Vnde Cardani uidebã agricolarum filios uenientes in nemus meum ad colligendũ fungos ut traherent uitam. Et uiuebant lapsanis, herbis agrestibus cum aqua et sale coctis absq; oleo. panem non habentes. dicebat Hippocrates (6. Epid. Par. 5. Tex. 21.) cibaria imbecillia breuem efficiunt uitam. Et quod de breuitate uitæ intelligendum est etiam de eius imbecillitate. Contraria ratione qui habitant in Aegypto ob cõmoda quæ habent ex diuitijs, ob soli fertilitatem, incommodis naturalibus regionis obstare possunt. Tertium est, propria quædam natura loci ex cœlo ac stellis uerticalibus. Ex imitijs urbium ac gentium, ex magnis cõuersionibus. Ex his quæ ex cœlo ipso accidunt, uelut eclipsibus atq; huiusmodi. & etiam soli bituminosi, quòd in Scotia est familiare, tum in pluribus insulis Oceani Borealis, uelut Islandia, Hetlandia, Irelandia, & etiam in continenti, aut Gypsei ut in Anglia & e? Britani e pars Meridionalis, atq; de alijs etiã uerisimile est adesse proprietates magnas terrarũ. Et de his in nauigationibus Lusitanorum & Celtiberorũ mira narrantur, quæ tametsi uera nõ omnia esse existimem, plura tamen sunt quæ quis non crederet. Velut de Francia noua appellata, quæ adeò morbosa est cum multæ aliæ regiones in eodem paralelo, & prope mare sint salubres, & satis felices eius comparatione. Et licet talia non sint sine causa, nihil enim ratione caret, ea tamẽ ratio præterquàm quod non sit nobis cognita (hoc enim nõ est multum ad propositum) non est etiam forsan ulla ex cõprehensis ab Hippocrate, quod est multum ad propositum. Peccãt enim homines bifariam in existimatione de claris hominibus, præcipuè de Aristotele & Hippocrate (nam alios his duobus minimè cõparauerim, cum mathematici certo tradant quæ nouerint) quidam negligunt & contradicunt eorum doctrinæ perperã: alij uolunt nunquam eos errarè: illi damnosiores hominibus hi magis insaniunt cum maxima suam humana non attingat partem sensilem ueræ scientiæ rerum. De perfectione dubium non est, nec etiam de numero rerũ quæ sciri possunt, quod ad capita & genera attinet, non adeò ausim affirmare. Sic in Africæ quibusdam partibus referunt infinitam quantitatem locustarum interire, & computrescere, ut aer inficiatur cum alioquin aer naturaliter bonus sit. In India occidentali morbus ille contagiosus est quem luem Indicam, prius Gallicam solebant appellare. & licet sit naturalis illi regioni, n ta- mẽ nota est nec multo minus potest referri in traditas ab Hippocrate hic. Et maximè quòd de aere maritimo parum locutus sit, habita comparatione ad cæteras differentias. Quartũ est legibus uniuersalibus, Iudæos nũquam feceris in bello fortes, etiam si Germaniam inhabitarent: neq; Mahumetanos rationi obsequentes, cum uim in armis cõsti tuant, nec Christianos synceros, assueti enim sunt simulare, quoniam legibus uis cohibetur. habent præterea in bonis ac malis regionib. contrariũ habitum Mahumetani meliorem in bonis ob aquarũ potũ. Christiani in malis quod uino utãtur. Emendat enim uinũ uitia aeris & aquarũ excusat detrimenta, cũ homines eis non cogantur uti aut saltẽ, non adeò assiduè. Quintum est lex ciuilis & consuetudo. Veneti ob Reip. formam & urbis situm sunt prudentissimi maximiq; ciuiles, non tamen fortes nec corpore, cum non habeant loca apta ad exercitationes maximè publicas nec animo con-

fisi

fisi in publica prudentia potentiaq; ac situ. semper autem qui fortes nõ sunt ad luxum, laßiuiam & libidinẽ sunt proniores, ijdemq; in tractando minus synceri ac magnanimi. Idem situs facit in uictu præparcos, & ideò etiam incolumes & longæuos. ijdem sunt amatores publici boni & libertatis, quare minimè seruiles. Cõtra assueti regibus seruire, partim seruiles, partim uiolenti, ut alterum eorum uix effugere liceat. Sextum est longa seruitus alienorum. Velut Hispani longa Romanorũ seruitute eneruati, ut contra ipsi ob assiduum belli studium fortes, robusti, superbi, sæui, patientes laborum, supra quàm dici potest. Septimum est ipsa ratio cursus rerum, ut alia alijs temporibus eueniant, mutantur omnia, & Italia gentium domitrix facta est ignauißima prouinciarũ. Græcia studiorum mater ἄμυσσος prorsus: ita uertuntur uicißitudines rerum. Ex inopia, studia & fortitudo, inualescunt, ad quæ sequitur gloria inde uirtutis honos: post diuitiæ: ad diuitias timor, auaritia, luxus. ex his seditiones, ex quibus factiones & contemptus publici boni. inde Reipublicæ imbecillitas, ex qua tumultus, cædes, & cum uitijs exterarũ nationum, primùm contumacia, inde rebellio, demum pugna: & tum incipiũt milite externo uti: qui uidens illorum opes, ignauiam, & improbitatem supra omnia mala audet, atq; ita dissoluitur imperium atq; potentia, patiuntur probra, spoliantur, in seruitutem ducũtur, redeuntq; ad statum deteriorem quàm antea cum saltem tum tuerentur libertatem, nec essent adeò inopes & distracti, sic de Assyrijs, post Medis, inde de Persis. Sed hoc fuit breue malum ob Monarchiæ Alexandri Magni breuitatem, post de Græcis, nunc de Romanis, de quibus potest illud Senecæ uerè dici:

—Hoc enim solum mihi nomen relictum est.

Octauum est fortuna quædam principũ, sibi succedentium, bonorum aut malorũ, sicut Gallia beata fuit sub Ludouico XI forti, sapiente, & qui etiam diu regnauit. Et si talẽ nactus fuisset filium, magnæ parti Italiæ dominaretur: nunc ægrè tuetur fines suos, quanquam nullo externo hoste. Ita ex duobus aut tribus principibus malè administrantibus regnum, aut Imperium, euertitur potentia. Et quod non potuit dissoluere tanta uis Barbarorum, clades acceptæ, et bella ciuilia, tot tyranni: dissoluerunt duo Imperatores strenui, nec tyrãni, Diocletianus, diuidendo Imperium, unde docuit reliquos qui successerunt, et Constantinus non solum relinquendo tres filios hæredes, sed transferendo Imperiũ tanto sanguine Romano partum ex Italia in Græciam. Simili ratione non solũ principes sed priuatæ cõditionis homines, insinuantes se urbibus & regionibus ac prouincijs, maleficis consuetudinibus corrumpunt mores habitantium in illis: quibus corruptis etiam forma & natura illorũ corrumpitur. Neq; enim solũ corpora & natura mores mutant, sed & uicißim mores mutant formas corporum & naturam, adeò ut etiam solus habitus uestium quandoq; sufficiat ad omnia illa uarianda.

LECTIO CVI. SVPER TEX. XVI.

NAm ubi terra pinguis est & mollis & aquosa, aquę aũt uel de sublimes, ita ut æstate calidæ sint & hyemæ frigidæ, & temporũ ratio aliâs probè conueniat, ibi & homines carnosi, articulis non apparentibus, humidi, laboris intollerantes, & ut plurimum maligni nascuntur: segnitiesq; & somnolẽtia eis inest multa: suntq; ad artes tractandas crassi non acres aut subtiles.

Cum proposuisset differentias habitationũ ex situ loci tẽporibusq;, sumit tertiam magis specialem differentiam ex natura terrarum ac locorum & ut aquis cõmista est, dicens: quod ubi terra est mollis ob aquas, quæ sunt prope superficiẽ terræ & minimè profundæ, ut Mediolani & magis alibi, neq; in omnibus partib. urbis, ita ut ex uno sequãtur tria, scilicet alia duo. Cum enim aquæ non sunt profundæ necessario superficies terræ est mollis & humida, quia madescit ab aquis, et aquæ illæ sunt expositæ ualde aeri, & ideò æstate calidæ, hyemæ frigidæ. & præsupponit quod ad aerem benè se habeant, dico sequetur tum quartũ necessario, ut aer prope terram sit turbulentus noctu æstate, in die in hyeme, & ob id etiam habebunt noctes suffocantes in æstate, hyeme omnino gelidas. Ex his omnibus sequetur quòd huiusmodi incolæ habebũt tres cõditiones ratione corporis, totidẽ cõmunes animo & corpori & duas animo proprias. Erunt igitur humidi, quoniã aer circũfluus humectabit tam externas partes q̃ internas. Primũ enim madefaciendo cutim, et totũ quod est sub cute. Dicebat enim Galen. in 1. de Elem. (ca. 9.) Et in lib. de Constit. Art. Med. (ca. 9.) primæ qualitates permeant tota corpora. Secũdo humectat per fines arteriarum, qui sunt in cute. Vnde exugitur intus in illas atque ita humectat totum

corpus

corpus. Et hic modus differt à primo, quia trahitur non solum qualitas, sed etiam substantia uaporis. Tertio trahuntur uapores: & cum dico uapores, intelligo etiam qualitatem quamuis non contertatur per poros, & meatus cutis, & ita humectantur maximè musculi & præcipui subcutanei. Et facile deueniunt ad stuporem & similia. Quarto humectatur cerebrum, & fiunt grauedines & destillationes, tusses & huiusmodi, & cor, & per cor iecur, & uentriculus per iecur, qui etiã aere perfunditur, ut etiam pulmo, et ideò his quatuor membris nocet aer frigidus, humidus, uaporosus & corruptus. Vnde refrigerato primo principio aut humectato, per totũ corpus diffunditur hæc qualitas, et uitiantur coctiones in membris, & fit segnities. Et ut dixi in hyeme retunditur calor, in æstate fiunt multæ putredines, non tamen adeò magnæ, quoniam præsupponitur aer liber & bene dispositus.

Dicit quod euadũt carnosi, intelligit communi sermone, ut uisum est, Vt in secundo de Temperamentis (cap. 5.) cũ humido multo calor tẽperatus generat carnem, in imbecillis pinguedinem, ut in mulieribus ociosis, senibus crapulosis, infantibus: in ualidis autem erunt carnosi uerè. Et ideò tales erunt satis boni habitus. Et in his parũ articuli apparebunt. Poteratq; tertium sub hoc contineri de articulis absconsis. Sed est alia causa etiam longè potentior, ob quam articuli non apparent in his. nam si solum ratione carnis absconderẽtur. solum in pinguibus ualde hoc acideret, sed, ut dixi, est alia causa: & est propria, quia ubi humidũ abundat in generatione, membra ficca, ut ossa & cartilagines minora proueniunt, ut de aphisidibus nihil fermè adsit: & ideò in talibus etiam mediocriter pinguibus abscondũtur articuli. Dicebat Hippocrates in lib. de Articulis (cap. 4.) Qui carnosi sunt habent firmiores articulos, quia carne ipsa continentur, macilentis autẽ facile excidunt, et maximè cum nõ natura tales sunt, sed casu facti, tum quia dilatantur articuli, tum quia mucor influit, & dabat exemplũ de bobus tempore ueris ex Homero. Et articuli euidentes cũ proportione, ostendunt robur et fortitudinem ratione finis. Natura enim non deficit in opere intento: et hoc apparet comparando masculos fœminis, adultos pueris, feras truces mansuetis. Alemanus etiã reddit aliam causam pinguedinis in hac regione, abundantiam & suauitatem ciborum & potuum, unde gula & ociũ. Quæ uerò pertinent ad corpus & animam, sunt, nõ posse ferre labores ignauia & somnolentia. hæc tria enim nõ solum ad corpus sed etiã ad animum referri debent. qui enim molles sunt animo, minime ferunt labores, uelut uidemus de mulieribus nõ consuetis ad ferendum labores. Quatuor maximè exiguntur, corpus solidum, quia minus resoluitur ex eo, & etiã quia minus laxantur musculi, nam laxitas membrorum impedit, ut nõ possint cõtinuare labores, & propterea pueri & mulieres non possunt perferre labores, tam facile, ut uiri, propter corporis mollitiem: Secunda est multitudo caloris, quoniã necesse est ut multum incalescat qui laborat, & homine calefacto fit resolutio humidi, & ideò multum resoluitur de humido, & maximè in humido corpore, et ob id senes & longè magis decrepiti debent abstinere à laboribus, quoniam sunt ualde sicci. Vnde Valeat Plinianus (lib. 3. Epist. 1.) ille Spurinna qui ambulabat tria millia passuũ, deinde tria alia in Essedo, deinde aliud miliare, quia parum satis uidebatur, nec satis hoc exercetur etiam in sole antequã balneum ingrediatur. at quanto melius Galenus quinto de Tuenda sanitate (cap. 3. in prin. & ca. ult. in fine.) dum de senum regimine agit.

Vt lauit sumpsitq; cibum det membra sopori.
Namq; hæc iusta seni.

Præter id enim quod siccatur corpus cum deberet humefieri, si non detur cibus tabescit, & declinant uires, si detur multus cibus aut multi alimenti, fieri non potest ut benè concoquatur: Vnde lerna malorum, tusses, grauedines, destillationes, surditates, cæcitates, paralixes, dolores laterũ, asthmata, calculi, coli dolores & uoluuli, hydropes, mali habitus, arquati, podagræ, meiendi impedimenta, fieri enim omnino nõ potest, tametsi secus uideatur multis, ut uel multus cibus uel etiam mediocris & infra mediocrẽ multo, sed copiosè nutriens concoquatur in sene: primũ non benè mandunt ob dentes qui non oẽs adsunt, et si adsint nõ benè acuti, neq; si benè acuti benè firmi, neq; etiã si benè firmi inferior mandibula ualida est, quæ omnia necessaria sunt, ut benè posit atterere cibũ. Salicia etiã plerunq; est humor aquosus et crudus potius q̃ saluia, deinde etiã ubi rectè mansus descendat, uentriculus imbecillior est, quia prima facultas quæ debilitatur in sene, est uentriculi concoctrix, tum quia membrũ est tenue, amplũ, cauũ, exangue, mille iniurijs expositi. & labori, nõ pro ratione membri, deinde quia si uel iecur uel cor imbecille fiat, cum adiuuetur ab his duobus caloribus, uel si omentũ macrescat & abdomen, quod plerunq; fit in senibus, uel si flatus abundet ut maximè

ximè in errorijs, neceſſe eſt ipſum debilitari. At contra ipſe poterit debilitari ſine his. Tertia cauſa eſt, paucitas ſomni quæ familiaris eſt ſenibus, et ideo nihil poteſt fieri deterius à ſene quàm ut aſſumat multum cibi. Quartum detrimentum eſt, quoniam ſi multum ſumat alimenti quomodolibet, fieri non poteſt cum omnia membra corporis nutriantur, ut quod imbecille eſt non lædatur uehementer, & ita apparent morbi inſanabiles. » Dicebat enim Hippocrates (2. Aphoriſ. 39.) » Qui uerò ipſi accidunt morbi longi plerunq; eos » comitantur ad mortem. Valeat ergo exercitatio ualida in ſenibus quæ non ſolum eſt mala, ut crapula, ſed longè deterior, quia ipſa tegit aut ſaltem incitat ad cibi multitudinem, & ita ad eadem mala exhibet qua crapula & incontinentia. Sed etiam nocet per ſe inſanabili detrimento, quia inducit cæcitatem, morbum prorſus & detrimentum quod reſtitui non poteſt, cum detrimenta crapulæ poßint plerunq; ſanari. Et ideò Hippocrates cenſuit famem eſſe ſecurius auxilium quàm exercitationem aut laborem. Vnde inquit (7. Aphor. 52.) corporibus humidas carnes habentibus famem adhibere conuenit. fames enim corpora ſiccat.

Tertium detrimentum eſt in inſuetis, ab his enim multum læduntur, & præterea dicebat (2. Aphor. 49.) Hippocrates: Qui conſueti conſuetos labores ferre, & ſi fuerint imbecilles & ſenes facilius ferunt, quàm qui fortes & iuuenes ſi ſint inſueti. Et ideò exigitur corpus exercitatum, quoniam & maiorem peritiam habent qui ſunt aſſueti, & quoniam plus caloris eo ſolita eſt dirigere natura, & ideò membrum minus patitur.

Quartum eſt, animus uirilis quoniam multa quæ leuia ſunt ſatis aut ſaltem mediocria animus effæminatus efficit intollerabilia, adeò ut ſuccumbant ex his omnibus tamen læſio maior eſt labore fit ex paucitate caloris, quando fuerit coniuncta cum ſiccitate, cum reſtitui non poteſt, qua tria maximè ſunt in ſenibus. Et ideò in ſenibus labor eſt maximè noxius inter omnia. & hæc cauſa fuit quòd ego utor carpento, nihil enim melius eſt inter exercitationes nauigatione, ſed quia hac non poteſt fieri niſi Venetijs per urbem, propterea ego elegi carpentum, & hæc eſt una ex cauſis principalibus quod Veneti nobiles diu uiuunt. Prima eſt ergo nauigatio, ſecunda carpentum, tertia eſt leuis deambulatio, non cita, non longa, non grauis pannis. Quartum eſt, in mula gradaria, melior longè quàm in equo. Quintum eſſet in cunna, ſed hoc quibuſdam forſitan uidebitur abſurdum aut ridiculum. reliquæ omnes exercitationes ſunt inutiles leni, & quanto longiores, uehementiores, celeriores, et maximè poſt uigiliam aut longam inædiã eo deteriores. Sunt etiam exercitationes bonæ pro ſenibus dolore tabulas & leuigare chartam. Ariſtoteles quærit quinto Problematum, (22.) cur qui natura humidi ſunt ex labore ſtrangulantur, dicit quia humidum efferueſcit. Ignauia uerò magis pertinet ad animũ quam ad corpus, ſicut ſomnolentia ad corpus magis quàm ad animum. Et ideò ſomnolẽtia eſt duplex, una eſt inclinatio ad ſomnum, longitudo eius & profunditas, & hæc magis pendet à corpore: alia eſt quædam pigrities in agendo, & iſta plus ab animo pendet quàm à corpore. Et ſomnus etiam originem ducit à corpore, ſed effectus eius magis tendit ad animam, namq; tempore ſomni corpus nutritur, trahit, expellit, mouetur. at uſus ſenſuũ exteriorum ſaltem, & motus uoluntarij ueri ceſſant. Et ideò cum in his abundet humidum ualde, opera corporis quæ ad uoluntatem pertinẽt ceſſant, maiore ex parte, & animi ſuccedit torpor & ignauia. Philoſophus in libro de Somno & uigilia (cap. 2. & 3.) docuit obundi ſomnum fieri ex copia humidi quòd nutrit, & ideo duo circa hoc obſeruare oportet unum quòd humidum duplex eſt, & eſt quòd eſt ab ætate, ſexu, temperatura & alimento, tum balneo ac lætitia, & hoc eſt cauſa ſomni: aliud uitioſum ut ex cruditate in hydropicis, & hoc parit uigilias. aeris enim uapor ex ciborum cruditate tantum abeſt ut ſomnũ conciliet, ut etiam prohibeat. Alterum eſt maioris momenti, (prima 3. Trac. 4. cap. 4.) & eſt quòd nõ ſolum ex alimento primæ coctionis, quòd tamen minus eſt cenſendum alimentum quàm ſecũdæ aut tertiæ: ſed ex alimento ſecundæ & tertiæ coctionis fit ſomnus, & ideò & ieiuni dormiunt. maior tamen pars fit ex prima & ſecunda coctione: ex tertia autem eum fit illa ſeparatio, de qua loquitur Philoſophus, fit ſomnus quam leuiſſimus, & maximè humectat cor & cerebrum & iecur, & eſt inditium ſanitatis illorũ membrorum. Et ideò etiam illa pars ſomni eſt utilis ad longitudinem uitæ præ cæteris, quoniam iactura aliorum temporum & coctionum poteſt reparari, hæc eſt irreparabilis.

Demum dicit, quod huiuſmodi homines ad artes parum ſunt idonei & rudes. hoc accidit, primum natura, ſunt enim hebetes ingenij, ut dicebat Galenus (Com. 39.) primo de Natura humana, Sunt enim pituitoſi, tum quia minimè exercentur,

tur, exercitatio autem acuit ingenium, & est causa inuentionum. Tertio, quia non adijciunt mentem cum laborent inuiti: & ubi intendens ingenium ualet. & ita hoc magis etiam intelligitur de disciplinis, ut Medicina, Philosophia, Iurisprudentia, Mathematicis, & alijs omnibus, & minime etiam rei iusticæ ob laborem, & militari ob difficultates, præterea fortitudinem & promptitudinem quibus omnino carent. Et quod sunt maligni. Alemanus reducit ad humorum prauitatem. Sed rei ueritas est, quod fugientes labores & ignaui sunt peßimi, & coguntur tales esse etiam si nolent: quia cum neque ingenio præsint: neque labore sibi uolent comparare quo uiuant, primum coguntur odisse omnes bonos, & ab hac regula, cum ab omni alio uitio aliquos excipere liceat, neminem excipere licet. Vnde fiunt inuidi & maledici. postmodum fiunt mendaces, uoluntq; eis ualere blanditias & bona uerba pro rebus acceptis, pro opera præstita, pro officio, pro beneficio, ut nihil poßit esse iniquius hoc genere hominum.

LECTIO CVII. SVPER TEX. XVII. ET XVIII.

VBi autem regio est nuda, natura munita, & aspera, quæq; & à frigore hyberno prematur, & à Sole æstiuo exuratur, ibi duros & robustos, & articulis probè disiunctis, uegetosq; & hirsutos reperias homines, & in quibus à natura laboris tollerantia & uigilantia insit, quíque mores habeant pertinaces, ad iram procliues & contumaces, magisque feritate participantes quam mansuetudine. insuper ad artes etiam acutiores, & plus solertes, & ad res bellicas gerendas magis aptiores.

Proponit quinque conditiones terræ, singulas singulis oppositas. Cum enim in priore dixisset, pinguem, id est plantis bonis abundantem, hic dicit nudam. Cum dixisset mollem, hic proponit asperam, cum uerò dixisset aquosa, hic dicit ἀνυδρον, id est non munita, scilicet ab aquis, sed arida ac sicca, ut dixi de Cardani agro, qui est planus, totus editus, aridus ac siccus, calori ac frigori pariter expositus. ut esset Veronensis, de quo supra. quanquam is etiam sit totus saxosus. Aquis ualde sublimibus opposuit profundas. Dices id de calore æstiuo & frigore hyberno cui opponitur. dico quod opponitur ratione subiectæ rei. nam hic loquitur de terra, ibi dixerat de aqua. Ex his proponit tredecim conditiones, quinque scilicet à corpore, duas communes corpori & animæ: sex ad animam solam. Diximus ergo de articulis, quòd significant corpus firmius atque robustius, cum fuerint conspicui. Dicebat in secundo de Vsu partium (capite decimoseptimo) Natura ubi opus habet ualidis & grauibus functionibus, ibi non solum magna facit, sed etiam dura ligamenta. Vbi autem leuibus imbecillia ac tenuia. Et in tertio idem (capite decimosexto) dum disserit de articulis. Et ut generaliter dicam, natura tria hæc seruauit fermè semper, ut magnis actionibus grandia ac firma ossa accommodaret, grandibus ossibus grandia uincula & musculos, tum firma adnecteret. Et ut firmis & magnis ossibus etiam appendices robusti adnecterentur. Denique quòd in genere obseruauit, ut etiam in singulis pro cuiusque fabrica obseruaret, ita fœminas, ut dixi, latentibus articulis ac modicis, & urbanos uiros, contra masculos & aggrestes.

Erunt præterea duri ob siccitatem, & etiam ob magnas mutationes caloris ac frigoris. Erunt etiam tenues ac graciles, quia sicci & pauci cibi, & minimè pinguis ob aridam terram. Manifestum est enim, quòd huiusmodi ager ubi aquæ sunt profundæ, est sterilis: quia quòd est siccum non potest esse fœcundum. Agri enim fœcundi sunt, uel quia aqua sublimis est, & ita hi sunt optimi pro copia omnium generaliter, alij ob aquas fluminum & canales: hi sunt meliores pro pratis. & ob id etiam pro pascuis, & ideò pro bobus, equis, ouibus: alij ab aquis cœlestibus, & isti sunt optimi pro tritico & uino. res enim ualde utiles gaudent aqua cœlesti, quia illa est melior omnibus: sed deest illi quod modo nimio plus abundat, modo minus cadit quam sit necesse. Niues autem bifariam efficiunt fœcunditatem, & occidendo uermes qui depopulantur segetum radices. & calefaciendo solum unde terra fit fœcundior, quia humidum illud concoquitur, quod est sub terra, & madefaciendo. hoc quidem substantia ipsa, illud per antiparistasim, reliquum prima sui actione refrigerando. Itaque calor & frigus fœcunditatem iuuare possunt multis modis, at siccitas obest, nisi sit ad moderandum

derandum humidi copiam. at nunc non potest appellari siccitas. Vegetos etiam facit hac regio, id est ad omnia promptos, quoniam corpus non oneratur superfluo humido, cuius oppositum accidit in infantibus. neque enim secundum naturam accidere potest, modo nec regio affligatur fame, nec corpus ipsum incommodo, ut tantum extenuentur ut fiant imbeciles. Vbi enim paterentur aliquid huiusmodi generaliter, aut speciatim non essent uegeti.

Sunt etiam hirsuti atque pilosi. Hic dubitari posset, quoniam cum humidum sit paucum, Galenus etiam in siccis corporibus abundantiam pilorum esse uoluit? Dico quod causa huius est, ut alias diximus ex primo de Tuenda sanitate (capite duodecimo.) pilus fit ex terrea substantia deducta extra cum insensili excremento tertiæ coctionis: hac substantia deesse non potest, neque in sensile excrementum cum sint necessaria, sed generatio pilorum tamen prohiberi potest, uel ob meatus occlusos, uelut in pueris. Dicebat Galenus secundo de Temperamentis (capite quinto.) & dabat exemplum de caseo, uel quoniam terreum excrementum illud ob humidum nimis copiosum non posit concrescere, & tunc diffluit & spargitur antequam fiat pilus. Et ideò cum sermo sit de uiris ubi adsit siccitas non potest deesse pilus: nisi siccitas foret tanta, ut materia pili fieret uelut cinis, & ita non posset uerti ac cogi in pilum. Causæ ergo caluitiei possunt esse nimia apertio meatuum, ut non consistant, nimia durities cutis ut in cicatricibus, napor nimis arefactus & nimium siccatus. Caliditas autem non est causa generationis pilorum, nisi uel multitudinis plus uaporum secernendo & eleuando, aut per accidens humidum exsiccando. Hi ergo erunt undequaque & ualde pilosi & hirsuti. Ex his ergo declaratur temperamentum cordis, cerebri & iecoris & testiculorum, quia erunt maximè pilosi circa has partes, in capite, in pectore, hypochondrio dextro, & esse pubis. Sed cur in barba etiam & ano? (nam de uenere illud accidit propter loci caliditatem) dico quòd iuxta anum terminatur radix membri uirilis, ideò natura ibi etiam generauit pilos, & etiam ad decorem. De barba autem qui dicunt ad decorem conformatam, rectè dicunt, sed causam propter quid ostendent, non autem à quo. Et manifestum est quod non à cerebro, esset enim etiam in mulieribus. Habent autem testes etiam mulieres & semen ut uiri, sed & menses. oportet ergo causam generationis barbæ in uiris esse in eo, in quæ differunt uiri à mulieribus, & quòd hoc in quo differunt inuicem habeat consensum cum mento. Differunt ergo in calore testium, & situ masculi à fœminis, quia masculi sunt calidiorum testium, & quod extra prominent. Et fœminæ habent menses, à quibus quod terreum est, per circuitus, & sæpius in anno expurgatur, & ita sunt minus pilosæ toto corpore. iam habes causam generalem. Mulieres præterea sunt magis pilosæ in capite, quoniam futuræ earum sunt magis densæ: ideo sunt magis uolubilis ingenij, impurioris cogitationis & magis stolidæ uiris. & minus aptæ ad consilium, habent longiores capillos & etiam densiores, crescunt enim magis in eis, & magis subijciuntur doloribus capitis. iam ergo habemus secundum. Tertij uerò causa est, quod calor testium ascendens supra, ut in pube generat barbam, & hunc consensum docuit in secundo de Articulis (Tex. 13.) adeò euidenter, ut dicat gibbosos infra septum transuersum lædi in generatione pilorum in pectine & barba. Et in fœminis omnia ossa sunt densiora, & futuræ earum sunt magis laxæ. etiam si oculis hoc non deprehendatur, nam ratio id manifestè ostendit, quia sunt frigidiores. & hoc uoluit Philosophus (tertio de Historia animal. cap. 7. Et secundo de Par. cap. 7.) potius quam quod spectauerit numerum qui non debet uariare in masculis & fœminis. ideò Vesalius (libro primo capite 6.) nimis intentè Aristotelem prosequitur. Mandibula igitur inferior, & omnia ossa faciei, & futuræ rariores sunt in uiris. Os autem mandibulæ inferioris latum, & latius quàm in fœminis ob hanc causam, seu sit unum ut Vesalius (libro primo capite decimo.) censet, seu duo quæ in mento per harmoniam coëant, cum superior duodecim ex ossibus constituatur. Enarrat autem Hippocrates in sexto Epidemiorum (Sec. 8. in fine.) de Phartusa uxore Pytheæ in Abdera, & Namysia uxore Gergippi in Thaso, quòd ex suppressione mensium laborauerint arthritide, inde factæ sint uiriles, hirsutæ & cum barba, inde sint mortuæ. atque utinam haberemus de hoc Galeni sententiam: nam quæ uulgata sunt, sub eius nomine, illius loci commentaria, tam ipsum imitantur, quantum, ut dici solet pica syrenem. Ergo in uniuersum pilorum ortus à siccitate fit, quæ cum plurima sit in uiris mulierum comparatione tum puerorũ nil mirum est. nisi quod minus mirari soleamus: scilicet cur mulieribus in

capite

capite, capilli, ut dixi, magis crescant. Vt quamuis Nazarenis olim mos esset capillos nutriendi, nec unquam secandi, nihilominus ad muliebrium capillorum longitudinem peruenire soleant.

Quòd uerò sint uigilantes & laboris patientes, hoc rationi consentaneum est, cum explicatam habeant uim animæ & corporis, non impediti ab humido.

Erunt etiam pertinaces, contumaces, ad iram procliues ac feri, omnia enim hæc, à duobus humoribus, qui abundabunt in eis, bile flaua & nigra, accidere consueuerunt. flaua facit iram, nigra contumaciam & pertinaciam: declarauimus autem supra (Com. 9.) quòd sæuitia nihil aliud est quàm pertinax ira: Et quod nihil aliud est esse sæuum quam in ira persistere: ideò omnes iracundi pertinaces, sunt etiam sæui, & contra sæui sunt iracundi & pertinaces. Iidem sunt ad bellicas res gerendas apti. habent enim omnia quæ debet habere bonus miles: sunt enim fortes, robusti, agiles, patientes laborum & famis & uigiliarum, nec læduntur ab humido, & minus patiuntur à frigore & caloribus: & ob id etiam minus ægrotant, & etiam sunt prompti & astuti, & acres & uafri & sæui. Qui uerò ex his animo sunt quietiore, suntq; ditiores, nec militandi occasio contingit eis, hi ad artium studia, & ad tractanda opera sunt meliores, cum ingenioſi sint & patientes laborum: non tamen in disciplinis multum ualent: nam molles carne in hoc prætulit Philosophus, secundo de Anima (Tex. 94.) at bi sunt duri carne. Et quamuis uideatur trigesima Problematum (1.) asserere sine discrimine, quòd sapientes uiri fuerint melancholici. Intelligit de omnibus qui ingenio ualuerunt, in quibus arte seu bellica seu etiam manuum: & in disciplinis etiam plus potest perseuerantia, quam acumen ingenij, ut de Cleanthe etiam constat. tum uerò ibi loquitur de habitu aquisito potius quam de eo per quem disciplinas & artes aquisiuerunt. Vnde idem in Politicis (lib. 2. cap. 7.) præfert Græcos Asianis & incolentibus Boream, quod licet uincantur fortitudine ab his, & ab illis ingenio, pariter tamen iunctis conditionibus Græci sunt omnibus præferendi. Cum ergo sint satis ingenioſi quia temperati in calore & frigore, & laborum patientes, ob siccitatem regionis & mutationem temporum commodam, ideò ad artes maximè manuarias erunt apti.

TEX. XVIII.

QVin & omnia quę è terra prouenſunt, terræ ipſius naturam reſipiunt & ſequuntur.

Postquàm declarauit quinque causas diuersitatis morum & habituum hominum per se: nam licet eas & colligendo facere pauciores & diuidendo plures, & nos, par est, tanquam coronidem explanationi imposituros, eas breuiter commemorare, situm ad regiones cœli ac uentorum: situm in orbe, uarietates temporum, terrarum conditionem, aquas. hic docet sextum, scilicet alimenta, quæ ex alijs generantur, quæq; dicit fore similia terræ, id est cum aqua mistæ. etenim secundo de Generatione & Corruptione (Tex. 49. & 50.) docet quòd plantæ ex his elementis fiunt. Intelligere autem oportet per terras non solùm earum naturam & situm. Vnde & in his comprehenduntur, & situs regionis & orbis & tempora & uenti, & omnia quæ dicta sunt. quæ enim in montibus oriuntur acriora sunt & ualidiora: quæ in pinguibus agris plus alunt & melius, quæ iuxta aquas imbecilliora sunt, & ad alendum, & uiribus ipsis: nisi si quæ aquosæ sint plantæ, ut salix, populus, sion, & huiusmodi. Expositi etiã loci, & maximè arbores, soli, meliores longè & salubriores edunt fructus, ut ne fructum edas in umbra natum. ab his nutriuntur homines & animalia & aues: quantum interſit uel in paruis docet Hippocrates in libro de Articulis (pag. 4.) multum refert quòd animal uescatur herbis tenuioribus an adultis. nam tenera herba est longè melior adulta, & magis impinguat. Scripsit de his Theophrastus abundè, maximè in secundo de Causis plantarum (capite nono.) Vtq; rem ad pauca redigam, plantæ omnes primùm gaudent loco ut communi, ut scilicet sit pinguis, & ut non tabescant in terra, nam aliter parum & malè nutriunt: deinde ut habeant aspectum ad solem, & uentos à quibus plurimum solent iuuari ad uires & magnitudinem & bonum habitum, odorem & reliqua. Et ut sint in situ orbis bono. unde uidemus quantum interſit inter crocum & origanum orientalia, & quæ nascuntur apud nos in Italia & Gallia, adeò ut non uideantur esse eiusdem speciei. Demòm ut unaquæque planta suo loco seratur: & maximè arbores, quoniam diutius uiuunt. Sic

igitur concludendo, homines sunt diuersi, maximè ex tribus, natura, victu & legibus. Et lex diuiditur in tres, diuinam, humanam, & consuetudinem. Principes pro legibus habentur. Victus triplex ratio, quibus uescimur, & qualia, ut bona uel mala, & præparatio, nam quantitas ad consuetudinem pertinet. Natura constat his quæ dicta sunt, situ orbis regionis, mutationibus temporum, aquis & terra.

LECTIO CVIII. SVPER TEX. XIX.

ATque hactenus quidem maximè cõtrarias corporum naturas & formas diximus: è quibus coniectura facta, si quoque reliqua considerabueris, nunquam à uerò aberrabis.

Triplex est genus cognitionis de rebus mortalibus apud mortales, nam incorporea excellentiore quodammodo hæc norunt, simplicissimum, uelut cum scio quod calidum separat, attenuat, trahit, diuidit, consumit: frigidum astringit, repellit, cogit, atque eiusmodi. Compositum, uelut quod calidum & humidum ea potest quæ calidum per se & humidum per se cum coniuncta fuerint, separat enim & attenuat, trahit, diuidit, consumit, liquefacit mollia, dura emollit, ideò etiam perficit & concoquit. Sin autem extra, corrumpit & putrefacit. atque horum quædam sunt accidentia, uelut quæ omnino ex simplicibus intelliguntur, uelut emollire commune est calido, commune est & humido. quædam uerò non euidentia uelut concoctio & crascessere, alia putrefieri. crassescunt enim quoniam tenuia à calore dissipantur, reliqua coguntur tanquam gaudentia proprio calore, externo autem rarescunt, atque ideò putrescunt. quoniam humidum eo calore non gaudet. Hæc duo docuit Hippocrates admonens nos eorum quæ non adeò euidentia sunt, quoniam de huiusmodi scientia est, & neque omnino obscura. Tertium genus est mistionis contrariorum, & quæ taliter mista sunt media appellantur, uelut in calido & frigido feruentia, calida, tepida, temperata, subfrigida, frigida, frigidiora, algentia: nam extrema sunt gelu & ignis, de his ergo etiam scientia est, sed obscurior quæ in tertio de Dentibus declarauimus, attigit autem eam licet paucis exemplis Hippocrates. At uerò quæ non ordinibus constat, partim quidem, & quo ad nos, & quo ad nostram scientiam, effugit nomen ipsum scientiæ, & coniecturalis uocatur, qualis quæ in unoquoque est eorum, tamen scientia est apud meliores nobis quæ extenditur ad singulas gentes non solum, sed etiam homines singulos, & singulas operationes, & casus fortuitos. sed ista sunt comprehensa rationibus infinitis, uelut si quis comprehendat in cubito quod diuisus bifariam æquabitur sibijpsi, & trifariam dimidio, & quæ in proportionibus dicta sunt à nobis, & horum infinitorum ea scientia est apud incorporea, ex qua fatum & causæ naturalium & singulorum & tempora & modi & euentus, de quibus nobis nec coniectura est nedum scientia. Ergo de hac neque loquitur Hippocrates, sed de priore, de qua apud nos, per ordines, coniectura est. Itaque in his quatuor considerandæ præcipuè erunt. Primùm est, ut ex natura loci, corporum temperaturam, incolumitatem, formam, magnitudinem, atque læsionem deprehendamus. appello læsionem, cæcitatem, surditatem, atque eiusmodi. Hæc ergo est terrarum natura & aquarum & situ uniuersali, utpote Asianos & Scythas, & specialiad Boream, ad Austrum, & proprio, arida, niuosa, nemorosa, & uentos qui ibi regnant: deinde ad tempora, uicissitudines anni, atque huiusmodi. Secundum est, ut ex huiusmodi constitutionibus mores animi deprehendantur, fortes, timidi, magnanimi, pusillanimes, iracundi, quieti sæui, misericordes, sapientes, stulti, qui maximè affectus ex corde proueniunt, uelut etiam ex cerebro, ingenioſi, rudes, obliuioſi, memores, mutabiles & stabiles, atque eiusmodi. Lætitia uerò & tristitia etiam ad cor pertinent, atque hæc ex prædictis non prout sanguis fuerit, sed ut percellitur natura mutationibus calidi, frigidi, sicci, humidi, & uentorum. Tertium est, ut ex temperatura mores hominum deprehendantur, qui enim natura calidi sunt & sicci atque robusti, magnorumq; corporum & pulchri, magnanimi, liberales, magnifici sunt, fortes, alacres, ueridici, gaudent hospitibus, hilares. ueruntamen iracundi, sæui, duriq;. contra debiles, paruis corporibus, exangues, oblæsi, timidi sunt, nõ solum, sed suspicione pleni, dolosi, fallaces, auari, mendaces, proditores, dissides inter se: omnia enim hæc ex uno principio proueniunt, scilicet timore. Vnde etiam liberam uitam ducunt, ut contra illi beatam & lætam. Quartum est, ut ex læsio-

nibus

nibus corporis animæ deprehendas affectus, ueelut ubi multi sunt cæci & surdi, & ozenis laborantes, præterea ubi parua sunt capita, aut malè figurata, ibi necesse est etiam inueniri plures cupidos, rudes, duros, ingratos, sæuos, stultos, obliuioſos, inconstantes atque fallaces, auaros præterea, atque simul uana opinione imperitos & ineptos, appellat Philosophus (quarto Ethicorum capite secundo.) qui sumptibus immensis ad ostentationem utuntur, in necessarijs atque utilibus nimium parci: hos quoque facile cum ab initio splendidi uideantur, fatigantur sumptu quouis, & ex eo etiam deprehenduntur. ijdem nimis quibusdam offenduntur quam par est, multa negligunt quæ honestè negligi nequeunt. namque magnanimitas & magnificentia duæ sunt uirtutes exuperantes circa quas facilius peccant homines quàm circa moderata, quæ sunt, pro magnificentia liberalitas, pro magnanimitate honestas, amplectuntur autem qui cerebro prauè dispositi sunt, non solum extrema pro mediis & uitia pro uirtutibus, sed etiam exuperantiam pro moderatione, ut duplici lapsui sint obnoxij, ideò ibi etiam magnificos & magnanimos plures inuenire licebit quàm in benè constituta natura. Et qui erniam gulæ patiuntur ibidem inuenias homines stultos, rudes, fallaces, nymphaticos, superstitioſos, plenos laruis, ac lemuribus ac dæmonibus, impios, malè loquentes, & prorsus miseros, timidos quoque & auaros & sordidos. At ubi podagrosos plures uideris, guloſos, delitijs deditos, iracundos, superbos, prodigos, rapaces, iniustos, seditioſos, lætos, comes, doloſos, impudentes, proditores, gratos, ambitioſos. Vbi uerò gibbosos, ibi etiã fallaces, inuidioſos, loquaces, doloſos, perfidos, auaros, mendaces, sordidos & impuros. atque ita de omnibus adeò certam facies coniecturam, ut propè diuinus habearis ex hac Hippocratis dicta.

FINIS.

HIERONYMI CARDANI COM-
MENTARIORVM IN HIPPOCRATIS
LIB. DE AERE, AQVIS ET
LOCIS, FINIS.

HIERONYMI CAR

DANI MEDICI MEDIOLANENSIS, CI

VISQVE BONONIENSIS, MEDICINAM BONO-
niæ ſupra ordinariam profitentis, ad Illuſtriſsimum
I. Alciatum Cardinalem.

QVàm multa ſunt quæ homines partim ob imperitiam, partim à calumniatoribus perſuaſi, cum antiquiſsima ſint, noua eſſe putant: quale illud primum longis temporum interuallis uix unum haberi medicum: Rurſus illos quos uocant medicos, longè plures occidere quàm ſeruare: Præſtare ſine medicis eſſe quàm cum illis: Medicorum genus peſtiferum eſſe: medicinam tamen ueram eſſe artem: omnesq; poſſe ægros ſanare, qui uitio naturæ ſolùm laborent: Tum uerò medicinam unam è tribus quas Deus humano generi oſtendit, & non docuit: ob id etiã effeciſſe quoſdam uiros qui eam poſsiderent, ſed quaſi inuiſos ab eodem uel malè acceptos, uel prohibitos docere, uel etiam temerariæ doctrinæ pœnas luiſſe. Carnes quoque, uinum, oua, nullis in morbis non acutis modo, ſed dum morbo ipſo laborant haud cõuenire. Demum etiam ſectionem uenæ quam fermè omnibus adhibent putrida febricitantibus nulli utilem eſſe, aut adeò rarò ut è centum unum uix inuenias, cui proſit. Ob id tricipitis Geryonis aut Hecates ſeu Cerberi canis, quoniam tria habet capita, nomen oratio hæc ſortita eſt. Et primùm quidem illud aggrediar, quod etiam primo propoſui, ſcilicet longis temporum interuallis uix unum haberi medicum. Deberem in hoc ſola experientia eſſe contentus, quandoquidem neq; ullum inuenio qui uictis opem adhibere recuſet, non uictos à morbo reſtituat. quæ duo ſunt medici periti munera, libro de Arte. Quinimo & morituris manũ admouent, & ſanandos neſciunt certè an ſanari poſsint, neq; ſemper ſanant. Indicio eſt huic quòd dixi nunc (nam de primo ipſi qui uerecundiores ſunt fatentur, qui impudentiores quotidie in mendacio deprehenduntur) quod non norint morbum, aut propriam morbi ſedem, aut quantitatem, aut tempus quæ omnia noſcere oportet ſi curare debent, ut ille idem affirmat. Et quomodo morbum norunt cum ſuperuocatus medicus alium eſſe putat: & in

Pag. 4.

Pag. 6.

genere etiam de loco ipso disideant. Velut in tertiana quam notissimam esse constat, dicant materiam in musculis sparsam putrescere: ita ait Galenus, alius dicet in uenis potius esse, effundi autem in musculos rigoris tempore. quomodo ergo hoc notum fuit uel saltem in genere? Oportuit autem non solum in genere, sed speciatim quod curandum est in ægris ipsis, non aliter quàm in genere, curandum est notum fore: Velut cum tertianæ curam docemus: sufficiet enim frigida calidis, humida siccis opposuisse: leniisse aluum, prorritasse urinas, sudores, potiones refrigeratorias exhibuisse, concoxisse materiam, concoctam adduxisse, abstinuisse à cibo die accessionis, à curis, à laboribus, uino, iniunxisse frictiones, confirmasse uentriculum: at in hoc laborante eadem omnia ad metam illius, uires, temperaturam, ætatem, speciem morbi, utpotè si notha sit, aut syncera, magnitudinem, locum, tempus illius, tempus anni traduxisse. quin etiam ad ea quæ habere potest: multis auxilia multa desunt, uel quia preciosa, uel quia homo est procul ab urbe. Ergo cum medicus, teste Hippocrate, omnia hæc scire debeat qui sanari possint, aut quorum morbi magnitudo saltem retundi, atq; his manum admouere, & qui non atq; ab illis abstinere, ut etiam Galenus docet, nec ullus hac ætate id præstet, luce clarius manifestum est, & ut conuicti fateamini necesse est, hac ætate nullum legittimum esse medicum, sed solo nomine. Verùm iam audite quid dicat ille, quem uos adeò suspicere simulatis, me quòd damnem falsò insimuletis: Non minus autem hũc admirabuntur homines, quàm Hippocratem si operibus magnũ se in arte præstabit, melius quàm reliqui faciant, luxata emendans, & quæ luxationi parata sunt, in ualidiorem statum permutans, uulnera & fracturas & ulcera & quæ alij curare non poterãt ipse facile sanans, nec minus quæ ægro euentura sunt ante euentum præfatus, & quæ iam euenerint adsuntuè ita euenisse uel adesse sine percunctatione, aut relatione coràm astantibus explicet. His enim officijs Hippocrates omnium posteriorum iudicio Aesculapij gloriam adeptus est. Sed iam ad testimonia transeamus, constat enim ante Hippocratem nullum fuisse medicum nomine dignum, qui interiorum morborum curam tractaret. Nam Aesculapius ipse egregius chirurgus fuit, uelut & filij Troiano tempore Podalirius & Machaon.

Secundo in 1. de Morbis uulg. Com. 20. & lib. de ium. cap. 7.

De Arte pagina 1.

De subfig. Empir. cap. 13.

Iliad. 13.

Quos duo ducebat fratres. Phœbiq; nepotes
Pater Coronida præstantes arte medendi
Belligeriq; ambo Podalirius atq; Machaon.

Et post qualem operam præstaret Machaon docet. *Iliados 4.*
Vade ait hic propero siste Machaona cursu
Phœbigena genitum medico qui uulnus Atridæ
Inspectum fratris curet. *Et paulò post.*
Ipse Deo similis mox & de uulnere telum *Eduxit.*
Inde manu quanto telum descenderit ictu
In latus explorat: pressoq; è uulnere demum.
Sanguine sedando, medicamina blanda dolori *Applicat.*

Non est ut Ouidij uel Papinij, aut aliorum Poëtarum confirmem id quòd omnibus est notissimum. Sed & de Podalirio referunt, seruatum in Caria à Pastore Syrnio, inde curasse Syrnam filiam Regis Damæthi lapsam è tecto, misso ex utroq; brachio sanguine, cuius postmodũ matrimonium promeruerit à patre, cum Cheronensi parte in qua duas urbes, unam nomine Pastoris, alteram filiæ Regis seu uxoris, Syrnium & Syrnam condidit. Meminit Cœlius Rhodiginus. At uerò post illos nullus memoratur fuisse insignis in curandis internis morbis. cumq; tempore Hippocratis tres essent sectæ medicorum, paulo ante quatuor, Choïj, Gnidij, Itali & Rhodij, ante illum, damnet autem omnes Hippocrates. constat unum tantum ea ætate fuisse bonum medicum. Quòd etiam coniectura assequi licet. Nam Antaxerxes tantus rex in unum illum incubuit: & Pœones reges & Athenæ ad quas filium transmisit. non ergo præter unum medicum tulit tota ante ætas Hippocratem, qui floruit annis CCC XV à condita urbe. Ab hoc rursus constat neminem fuisse medicum, si Galeno credimus: nam Asclepiadem, Archigenem, Erasistratum, reliquosq; qui inter Hippocratem & ipsum floruerunt damnat. reiectis etiam prima fronte omnibus, qui uel Methodici uel Empirici fuere. A' Galeno rursus ad Oribasium, si illum tali nomine dignum censeri uelimus, nullus fuit alius medicus. Ab hoc qui Iuliani temporibus uixit ad Aëtium ac Paulum non multum fluxit temporis, sed is Empiricus fuit, quanquam nec is medici nomine dignus admittatur, tamen si placet eorum exemplo, qui taciturnitatis argumento doctrinæ opinionem assequuntur. Ita proponatur multo post inter Arabes Hasen. iam habes expletum numerum, medicorum sex, totidem millium annorum spatio atque amplius, nam si me addidero constabit æqualitas ut singulis mille annis unus medicus nec etiam prorsus absolutus habeatur. Ridebis quòd me adnumerem illis: res digna propèrisu, & præcipuè prima fronte. Etenim non prorsus falsum dixisse me conuincam, sed dimidia partem uerum, reliqua anceps & dubium. quòd enim unus sit tantum medicus singulis

Lee. Antiq. libro 14. cap. 13.
Art. cur. capite 1.

ætatibus

ætatibus si modo sit hoc ueriſsimum quiſq; exiſtimare poteſt, & nos iã id oſtendimus, oſtenſuriq; ſumus luce clarius: at quod ego ille ſim, aut me eſſe exiſtimẽ meritò tam uos uidere poteſtis quàm ego credere. neq; enim ullus eſt qui non ſe talẽ exiſtimauerit Themiſon etiam ſi ſit, aut Theſſalus, aut alius quiſpiam adhuc imperitior ac deterior. Cur ergo de me mihi id perſuadere non licebit? Sed iam ad rationem tranſeamus: proponit Galenus lib. de Conſtitut. Artis medicę, ſeptem conditiones neceſſarias ad hoc, ut bonus medicus eſſe debeat: & cũ neceſſariæ ſint, ut bonus medicus habeatur, nõ tamen cõfeſtim reciprocatur, ut qui has habuerit bonus ſit medicus, nam iudiciũ exigi & experientiã & multa alia palàm eſt, quorum ibi non meminit. quilibet ergo ſecum reputet, an illa habeat omnia quæ ſint neceſſaria? Vnde primum cõtemptus omnium, & ſolius ueritatis ardentiſsimus amor. Vel etiã ubi mathematicus exquiſitus, dialecticus optimus, utq; audiuerit optimos ſui tẽporis profeſſores? Quis eſt qui omnes qui ſanari poſſint ſanet, & in quibus morbus ſolum minui poteſt illũ retundit, in reliquis docet artem nihil poſſe, & ab illis curandis abſtinetur, nullus ſe exhibet, nemo obuiam uenit: nullus inquã eſt medicus perfectus, nec talis qualem uult Hippocrates. nõ ergo nouum eſt hoc, nullus eſt bonus medicus, atq; idipſum iam coguntur fateri omnes. reliquum rides orationis cum adieciſſem (prẽter me) tanquam nouum: ſed nõ eſt: priuilegium eſt medicorum omniũ, laudare ſemetipſos. Hippocrates ipſe teſtatur ueram inueniſſe medicinam: Medicum qui nõ omnia præſtat indignũ eſſe eo nomine, ſolamq; in illo opinionẽ non artẽ eſſe: oportere ut uagetur inter gentes: quæ omnia cum ipſe ſe feciſſe præſtitiſſeq; teſtetur palàm eſt ſe omnibus antepoſuiſſe. Quid de Galeno dicam? qui omnes alios medicos aſinos & lapides, & lapides molares, & ſtultos appellat. At Menecrates ſe Iouem, & eo habitu utebatur, duodecimque ægros ab eo ſanatos ſecum deducebat habitu duodecim nobiliorum Deorum, Apollinis, Mercurij, Mineruæ, Aeſculapij, ac reliquorum. Quid de Aſclepiade, Theſſalo, Eraſiſtrato, Themiſone, Archigene. num aliquis horum uoluit quempiam ſua ætate uocari medicum præter ſe? non Andromachus, non Antonius Muſa, non Scribonius Largus. Quin etiam Arabs ille, dum inquit de ſuo libro loquens. Quòd uerò ſuper ipſum addatur incomprehenſibile eſt. Si igitur hi uiri tum alij plures hoc de ſeipſis exiſtimarunt, inſinuarunt, cur mihi turpe ſit hoc aperte dixiſſe? niſi quòd ſim magis ingenuus. Et

Princeps in principio ſui operis.

quanquam

quanquam ratione,& experimentis illis omnibus me præferre posſem,ut qui Mathematicas longè magis calluerim, Dialecticam illam inſignem,& à nullo alio mortalium prorſus cognitam ediderim, & diutius artis operibus inſudauerim, ſcilicet ſupra quadraginta annos,morbo ſemel duntaxat impeditus.cumq; diligentiſsimus hac in parte fuerim,ut quem nulla negocia diſtraxerint:& ueritatis amore ſupra mortales omnes flagrauerim,contemnens opes,amicos,præſentemq; gloriam: in prædicendo etiam tum iudicio,tum exercitatione,tum uarijs artibus inſtructus, adeò ueridicus fuerim,ut dæmonem multi me habere dicerent: in curando autem feliciſsimus, ut qui fermè mortuos non tantum deploratos ſuſcitauerim,Aſclepiadi fortuna par,magnitudine librorum Galeno ſuperior: cur non mihi liceat cum tot præclaris uiris inſanire. Verùm id non dico dixiuè,ſed luſi tecum,&, ut comprimerem petulantiam illorum,hæc adieci. docens ignaros & ignauos,indignos eſſe medici nomine:ſi qui ſint paulo cæteris præſtantiores,eos adeò eſſe ambitioſos, ut amentes meritò dici poſsint. Hoc parit licentia illa horum nebulonum,nullis alijs,nec ſcio cur conceſſa. Iuriſconſulti legibus ipſis tenentur, & Cęſar ipſe,quas condiderunt: Theologi ac Pontifices ipſi qui diuina tractant & ſupra leges ſunt, legibus tamen uiuunt : Milites militumq; duces quorum inſtitutum eſt ſine legibus uiuere, & legibus ipſis aduerſari, tamen & ipſi legibus coercentur. hoc ſolum genus hominum neſcio, qua ratione omni lege ſolutum uiuit. Sed ad rem redeamus, oſtendamusq;, non ſolum quenquam non inueniri medicum uerum, ſed uix medici nomine dignum.Omitto modo quod nullus eorum ſeptem illas conditiones habeat quas neceſſe ſit habere medicum, qui ſaltem præſtans haberi uelit: quis eſt ex tanto numero qui norit tempora morbi,& circa illa obſeruet quæ obſeruanda ſint:cũ tamen nemo ſine his quenquam curare poſsit:qui non curat obeſt, qui non iuuat nocet:qui nocet neq; medicus eſt, neq; medici nomine dignus haberi poteſt,cum etiam multi plures pereant in manibus horũ q; ſi prorſus nõ curarent,nõ natura fermè indita nobis ſunt quies,lenitio alui,cũ clyſterib.lauacra,abſtinẽtia à cibo,ut contenti ſint ſola ſimplici ſorbitione: caueantq; à uini potu,utpote q̃d iucundũ ſit. Hæc ergo,quæ ſe ſpõte offerũt, ſi obſeruauerint homines,dubio procul multo plures ſanabuntur q; cum medicis.non igit medici iſti ſunt,ſed laniſtæ. Quã ſententiam cõfirmat mos tot nationum quæ à medicis perpetuò abſtinerunt,atq; inter reliquas Romani ac Turcæ,

ac Turcæ, hi quidem perpetuò, illi annis à condita urbe propè sexcentis. Forsan quis eò refugiat quòd multi in manibus clarorum medicorum & eruditorum pereant, ut contra alij, ijq; plures in imperitorum manibus seruentur: adeò ut artem nullam medicinæ esse credant, sed potius causam hanc mortis ac uitę ad fatum ipsum referunt: alij ut magis uideantur esse pij, uitam hominum in manu Dei esse aiunt. Esse rem hãc magnam & solùm in Dei arbitrio positam, non ita reliquas actiones. Hæc partim uisa sunt ab Hippocrate, partim talia sunt, ut ne in mentem quidem illius aut alterius sapientis uenire potuerint. Et sanè si quis pro medio illo singulari artem ipsam medicinæ subijciat, iam explicatam superiorum responsionem apud ipsum Hippocratem habebit, ut iam non me sed illum disputantem de hac re auditurus sis. Dico in manibus periti medici neminem esse periturum, quãto minus artis, nisi primum ęger, uel aliqui ex assistentibus, aut casus obstiterit. quot enim ægris uenenum pro medicamento miscetur, aut inuidia, aut ab inimicis, aut expectatione hæreditatis? hos nec Aesculapius quidem seruasset. Obseruant autem potissimè hæc tempora improbi, cum uomitus, dolores, animi defectiones & uentris proluuies, alioquin insueta sanis, communia sunt tam ægrotantibus, quàm his qui uenenum sumpserunt. Propterea nihil est quòd magis me angat hac cura, cum ministros pharmacopolas, & ipsorum pharmacopolarũ seruos, cauere nimis arduum sit. Iam uerò quibus uirtus ipsa deficiens, dissolutaúe compages elementorum morbus est, his nullam artem suffragari posse certum est: quemadmodum nec decrepita ætate uiris, & in aspera seruitute degentibus, qualis est triremium, & ut militiæ serui ac barbarorum. Et quamuis unum esse uideatur genus, tot tamen sunt languentium genera, quot membra in homine uitæ necessaria: alius cerebrum habet corruptum, alius eius membranas siccatas atq; distentas, alius ulcus aut scirrhos habet in pulmone uel iecore, alius uentriculum attenuatum ac putridum, alius prægrãdem in renibus lapidem, aut multo maiorem in uesica: Quidam cor habent oppressum intemperie aut humore uirulento. & talibus quidem quis opitulabitur, iam diuturnitate morbi euicta natura: In quibusdam ipsa natura aberrauit, ut falsa compositione longius uita trahi non possit. Sunt quorum morbi non dignoscuntur antequam insanabiles euaserint. sed hæc est ignauia illorum, aut error medicorum non artis peccatum. Alijs uiolentia externa obstitit: uel si multa simul iunguntur in unum, præcipuè quæ in-

uicem

uicem repugnent. His tot modis contingit falsò criminari medicos: cum non tempestiuè aduocantur. At uerò quòd in manibus Themisonum ac Thessalorum plurimi seruentur, nunc audi unde fiat. Nunquam sanè, malè mederi ægro, utile erit: aliquot tamẽ seruari etiam in manibus imperitorum non solum uerisimile est, sed etiam necessarium. sed audi quales & quomodo: in morbis enim qui circuitu nullo aguntur nec redeunt sponte: in his fieri non potest, ut quisquam sanus fiat à malo medico: uelut in ulceribus pravis, in tumoribus duris atq; intemperiebus confirmatis. alij sunt morbi qui naturæ uiolenter infliguntur, ipsa autem natura se ad solita trahente homines sponte sanantur, etiam absque medicina: uelut in parum distortis, frigore afflictis, uel quibus ob assiduum laborem, aut fructuum esum, membra uitio aliquo laborãt. in his enim, relicta consuetudine praua, restituuntur quæ ægra facta fuerant, membra, & absq; ope medici. Contingit tamen uel scientia rei quæ offendit sanari ægrum, uel etiam casu solo: sunt quidam alij morbi, qui sponte quidem sanantur, sed tamẽ leuem opem & uulgarem curam quandam exigunt: uelut uulnera recentia & suppurata, in quibus modo saniem sicces, in corporibus benè habitis, sanitas redit. Sed quoniam siccare illa non sine dolore licet, si exactè id facere uelis, propterea medicus aduocatur. putantq; artis esse magnæ quòd ab artifice quadam simulata diligentia præstatur. Demùm sunt morbi ipsi qui circuitibus suis finem accipiunt, ut febres omnes putridæ tum etiam diariæ & inflammationes ad suppurationem usq;. Hos igitur ipsos seruat natura, tum etiam quotcunq; ex his in quibus ipsa non solum morbum superat, sed etiã medici errores. at hi plurimi sunt. Finge ergo aliquem ægrotare continua febre, medicum esse, quales plericq; sunt, imperitum, stultũ, indiligentem, qui uenam frustra secat, purget ab initio, frigidam quoque det tum carnes atq; oua, ac etiam uinum & alia intempestiuè exhibeat: septima die natura, ætate adiutus, & maximè æstate media, licet multis exhausta ujjs debilitata modis oppressa erratis, insurgit uelut uir robustus & acer. Sed aliquot tamẽ cum uulneribus inter imbelles Aegyptios aut pueros protruditq; materiã multis sudoribus, sanitati hic restituetur, dicetq; nequam ille medicus seruasse quem Deus seruauit ipse, quantum in se fuit peremit: atq; huiusmodi casus tam multi singulis annis accidunt, ut uelamen aliquod imperitis medicis afferant: cum tamen neminem ipsi seruent. cumq; medicorum, ut in cæteris etiam artibus, alter altero sit imperitior, stultior, audacior ac pertina-

cior,quos etiam falsa appellatione solemus infœlices uocare,non sibi sed illis miseris quibus munus admouẽt,palàm est etiam plures effugere mortem in manibus unius eorum quàm alterius, nõ ut ille melior sit,sed quòd cæteri sint deteriores,& qui Deum nil curant nec sperant aliquid nobis mortuis supereſſe præter cineres.In omnibus tamen his,si quis diligenter obseruet, tria hæc euenire necesse est:primùm,ut manifesto se periculo mortis exponat qui ab eis curatur, siue enim morbus sit magnus, seu è pestilentium genere,seu in uisceribus lateat,uel minima inflammatio, seu,ut dixi,laborans sit confectus ætate longa,aut antea cõflictatus diuturno morbo:aut perpetuum habeat quendã sensum doloris,uelut qui uesica laborant aut uigilia uel si exhaustus laboribus aut nimia uenere aut largo sanguinis profluuio, omnino nõ euadet:sed ut omnino nil horum adsit in periculum, aliud incidit ne in morbum aliquem insanabilem deducatur. hi autem propemodum sunt infiniti,sed sufficiat quosdam notissimos,& qui frequentius superueniant ex mala cura commemorasse, talem morbum regium,cachexiam,dolores renum,flatum uentriculi imbecillitatem,melancholiam,alui astrictionem, ueneris impotẽtiam, uigilias, tum dolores pedum & læsionem uisus aut auditus aut memoriæ debilitatem,à quibus nunquam tota uita se explicent. Sed fac,ut si fieri potest,hæc omnia effugerint,nunquam demum effugient quin corpus ita parauerint,ut si uel sponte uel ui uel casu aliquo morbus alius intra biennium maximè superueniat, ut effugere possint.tũcq; querunt̃ de sorte,aut ægrum ipsum frustra calumniant̃,tanquam qui uoluerit nimiũ uoluptatibus indulgere, præteritis mandatis medicorũ cum mortis causa in promptu sit,præsentis morbi atq; præteriti mala curatio. At dices omnes ergo medicos improbos & imperitos, & humano generi perniciosos appellas? caue quid dicas? Primùm quidẽ hoc nimis acerbum est,deinde etiam periculosum. & quibúsnam tot & tanta illa scripsisti,si nemo dignus est qui ea legat? Demùm si aliquid perfectũ est in natura, necesse est multa esse in eodẽ genere bona, cum unum altero magis illi perfecto appropinquet.Si ergo,gratia exempli,Hippocrates medicus ille perfectus est (nam uideo te de hoc solo sentire licet alios admisceas) nónne plures quos etiam Galenus ipse recenset illi similes, bonos medicos esse fateberis. Cuiusmodi Philistion,Pausanias,Diocles,Polybus,Praxagoras, Philotinus,Euriphon,multiq; alij:Insanum enim hoc & inhumanum uidetur,negare quenquam esse bonum medicum,quia non

sint

sint nisi rarissimi perfecti, idq; & nos fatemur: illud tamen ut neminem bonum esse fateamur nūquam admissuri sumus. quod & in gemmis & in lignis & in artificijs cæterisq; apertè uideamus, multa uideri bona, pauca præclara fateor esse, sed neminē ex istis quos uulgus suspicit, aut qui tota urbe discurrunt, qui se iactant, plures habere ægros, qui ex arte ditati sunt. omnes enim hos praeuos fuisse necesse est, quòd ars ipsa difficilis sit, ipsi uerò cum plures suscipiant curandos, necesse est & ut sine ratione, sed usu quodam illos curent, & ut in pluribus aberrent, unum ex scriptis probo. Iachinum, si modo uita & exercitatio scriptis respondet. Sic & in Gallia, Germania, Hispanijs ac tota Italia boni medici erunt, non tamen medici nomine digni. Et ut uno uerbo complectar, plures boni esse possunt, nulli esse uolunt, nec forsan ego ipse. Nam cuiuscunq; qui perit sub conditione & ignoratione eorum quæ inter summam eruditionem, & hanc in qua nunc uersantur cognitionem, nónne necis rei sunt? Quid ergo illis prodest quod Cęsaris aut Pontificis aut Regis medici sint, cum ob ambitionem & contentionem homo perit qui seruari posset legibus obnoxij? Quid prodest eruditio & ornata oratio cum in altero nullus sit, in reliquo quòd ignoratis ægri pereant, & uos periclitamini? Iam uerò quis fuit ætate nostra insignis medicus, qui principem suum constanti ualitudine frui docuerit, aut demum nō occiderit? Causantur eorum contumaciam: sed quid illos detinet apud eos qui parere nolunt præceptis artis, præsertim tanto cum periculo infamiæ atque dedecoris? Auaritia inexplebilis & ambitio improba. Possemus credere culpa propria principes perijsse, si non tam frequens esset hoc exemplum, ut si in aliorum cura feliciores essetis quàm dominorum. Omnia alia norunt nostrę ætatis medici pręter id quòd conduceret, eloquentiam, Græcas literas, architecturam, plantas. alius aulicus perfectus est: sed nil melius quàm dolos maledicentium & aliorum contemptum. At dicent, nonnulli pauperes sumus, uictum quęrere cogimur? concedo uobis ut exerceatis artem eodum, sed ita ut semper studijs animum intendatis: curetis ne quicquam utilium ad illam lateat, quotidie proficiatis in melius, memētote uos esse homines, uos esse Philosophos, uos esse Christianos, quantum debeatis arti, quantum fidei uestræ, quantum humanitati. Relinquatis uoluptates inanes, studium ambitionis, iniquæ opum uirulentarum, facundiæ superfluæ: sint uobis studia philosophiæ charissima medicinæ debita mathematicarum pro delitijs ad capescendam ueritatem. Neque

enim me latebat per hos quos bonos merito appellare possumus (nam & quidam nunc etiam uiuunt non indigni eo nomine) medicinam adhuc licet iaceat nõ omnino explodendam esse. Sed redeamus ad propositum. dicitis fatum, dicitis Deum esse causam pereuntium? cur ergo in arcis fabrum bonum quæritis, in domo Architectum, aduocatũ ut causam uincatis? at nónne sufficiebat fatũ aut Deus? at si relicta ratione his nugis operã dederitis, neq; unquam causa eritis superiores: neq; ædificiũ ullum pulchrũ erit: neq; arca bellè fabricata. Ocioſorũ sunt hęc deliramenta, & nimis Dei patientia abutentium: curat ille uitas humanas, curat & reliqua. Sed nónne ab æterno ita singula potuit disponere, ut quę cõ sequerentur proportione responderẽt suis causis? Cur hæc in chirurgis non somniatis: an Deus ipse medicus est, physicus, nõ uulnerarius? Quid oportuit condere medicinam si ipse eam tantum exercere uoluit? & qua ratione ergo uos pecunias exigitis, inambulatis distenti si nulla est medicina quam profitemini, & Deus ipse ægros sanat? si Deus solus nulla ope uestra omnes sanat? O insania & amentia plusquàm asinina? Ob hæc ergo medicos dixi plerũq; malos, ideò etiã fermè omnes pestiferos esse humano ge-

3. Art. med. cap. 2. neri fateri oportet. nos tamẽ decuit illa tot scribere, ut si respiscãt usui illis esse possint, idem fecit Galenus, eodẽq; modo cõquestus

» est dicens: Itaq; & uos præterea me, quanquã à principio recusan
» tem, orando tamen impulistis ut omne hoc opus tractandũ susci-
» perem, quòd, Deos precor, alijs quoq; hominibus, alicui sit usui.
» Certè minimã spem habeo propter eum qui nũc regnat, bonarũ
» artium cõtemptum, diuitiarum uerò, existimationis & ciuilis po-
» tentiæ admirationem. Ad quæ quisquis se conuertit is nulla in re
» ueritatẽ inuenire poterit. Verũ hæc prout Deo placebit ita finien
tur. Cum ergo hoc totum in uolũtate consistat, qui scit aliquando an territi aliqua Dei manifesta uindicta, uel consensu aliquot bonorum, aut lege quæ prohibeat quenquam accipere præmiũ nisi pro sanatis ægris, uel imperio optimi alicuius Principis, aut alio casu seu necessitate, uel quia omnia commutentur, discant etiã me dici uelle esse meliores. Interim decet nos nõ esse ignauos, & subministrare nõ solum stimulos ad tam præclaram prouinciam, sed etiam segetem studiorum & exercitationum. Et quanquam unus ego sim ac minimus & senex & imbellis, contra autẽ tot potentes & uulgus tumultuosum, & imperiti Principes, cũ tamẽ ad diuina respicio, ad illas substantias æternas, ad incorporeũ illum mundũ atq; refulgentẽ, ad spacium immensum circumcirca nos ambiens,

seu

seu aerem seu æthera, minorem sanè omnem humanum conatum esse uideo, illorum comparatione quàm mecum cum aduersarijs: præsertim quòd aduersarij ipsi, quanquam numero longè plures sint, imperiti tamen sunt, & congressum hoc ipso uel nomine refugient ne imperiti habeantur. Eam ergo tradere artem, quæ omnium sit diuinissima, atq; adiuuare, cum alijs multis præsertim Hippocrate, in quo naturę, & Galeno in quo antiquorum inuenta relucent, operæ pretium esse duxeram.

Porrò quod tres disciplinas Deus ipse mortalibus degustandas solùm, nõ habendas aut possidẽdas reliquerit, quodq; ex his una sit medicina, nunc dicere tempestiuum est. Dico autẽ has esse Astrologiam, Iurisprudentiã ac Medicinam. nam cũ tria sint quæ hominem beatum efficere possint, seu ad hoc ut beatus sit, sint necessaria diuturna & incolumis uita, hoc obscurũ non est præstare medicinã: per se uiuere cõmodè hoc præstat Astrologia: neq; em̃ si futuris prospiceremus calamitas ulla nos posset opprimere, nõ paupertas, ex usu enim temporũ, ex nauigationibus, ex aeris salubritate, omnia incõmoda licet effugere. omitto modo insidias, furta, filios malos. Vnde antiquo tẽpore exposuisse Laium fingunt filium ab oraculo monitũ: & de Agathocle fermè eadem ferunt. Viuere etiã cum alijs rectè: nam homo cum animal sit gregale per se sufficere sibi non potest: hoc præstant leges. Hęc omnia igit̃ uoluit Deus degustasse mortales, non tamen illis frui. Et de Astrologia quidem cum uideant magnitudinem illorum corporum & actiones Solis & Lunæ adeò manifestas, dubiũ non est, quin mortalibus corporibus præsit: sed quanto certior est ipsa ars, tanto minus nota nobis, & qui eam profitentur cæteris etiã ad rem minus idonei prudentesq; habentur. Ita medicinam scimus esse uerã, & illius manifesta edunt̃ experimenta, sed, ut dixi, uix unus aut alter medicus, pluribus labentibus seculis, inuenitur. Referũtq; fabulę, occisum ab Ioue Aesculapium, quod Hyppolitũ à morte suscitauerit: quem equi cõtumaces & pauidi è curru ob diras preces patris excusserant. sed quàm pulchra inuentio, Auus nepotẽ ex filio occidit indicta causa? Eundẽ Deum effecit? ille mortuũ suscitauit? sed uerisimile est casu fulmine percussum, argumentũ fabulę prętulisse. Quid dicam de legibus? Minos crudeles, Carthaginienses scelestas, Lacedæmonij sæuas, Athenienses improbas, Romani tyrãnicas, Thebani duras, Persę atroces, tota Gręcia fœdas. in hoc enim solo conuenere. Plures impias, alij sordidas, stultas, lasciuiæ

plenas: ita optima re pessimè quiq; abusi sunt. Haud decuit ergo homines esse felices qui Diis (dicebat Democritus) sint infensi: quapropter nullo istorũ beneficiorũ frui nos uoluit. Ob id ergo neq; medicos bonos esse, & si essent internosci, inter tot monstra scelerũ expedire non putat: ut neq; leges quas & si Iustinianus in unũ coëgit. Vide tamẽ quam ei uiro fidem habituri sumus, qui in earũ initio bellicos sudores prę ferat cum nunquã in castris fuerit. Et uix retentus à muliere ne imperio renunciauerit ob ciuilis sedi tionis timorem. Quid de Iustitia dicã? Sergiũ iniustissimũ & ne quissimũ hominẽ tam pertinaciter in Africa prę fectũ prouinciæ. Quamuis admonitus de illius atrocibus sceleribus inexplebiliq; auaritia retinuit, ut penè eam amiserit, & tota desolata habitatoribus sit, nec nisi ab alijs per proditionem etiam recuperata: ob id solùm quod Sergius Salomonis ex fratre Bacco nepos esset, Salomon autem ei gratus, sed ut bonę essent: sunt enim sanè plura bona quàm mala, ita tamẽ sunt exposita ut nulla ansa maior inquis iudicibus concedi potuerit, una quoque eo trahente sensum legis quo improbus animus deflectit. nunc adeò excreuit numerus interpretũ ut par sit nullas leges esse, & tot interpretes, ut nec uita nostra si decuplo longior esset legi possent. Itaq; uides nos in quibusuis optimis ac necessarijs delusos esse. Quid, queror de Deo? absit: sed improbitas nostra in causa est. Inopes malis iurisconsultis premuntur, potentes imperitis medicis pœnas dant quasi exæquata lance. Vtriq; futurorum ignorantiæ plectuntur: nec sinit diuina uulgo profanari, ergo non casu hæc contingere uidentur. Sed dices quid proderunt ergo libri si præstat ad punicndos prauos nesciri quòd docere polliceris? equidem nemini Deus quicquam aufert, neq; enim inuidus est, uelut calumniatur Simonides: neque causa malorum, sed omnibus ut iustus dispensator ex æquo omnia diuidit. Velut etiam Sol omnibus radiorum suorum beneficium impertitur: nostrum autẽ est illi potiri aut repudiare, non mutata illius benignitate aut uoluntate. Igitur si homines aliquando futuri sint boni præstat etiam medicos bonos esse & medicinam. Etenim ea scripsimus alijs ut naturæ potius quàm ciuilis consuetudinis morem sequeremur. nam quot lapides etiam gignit ipsa natura in terrę uisceribus quot pisces in medio mari, quot plantas in desertis quę nunquam hominum usibus profuturæ sunt.

Nunc iam secũdum caput totius rei tangamus. Diximus enim non

nõ legittimè artem tractari, neq; oua neq; carnes, nec uinum in febribus (etiam nõ acutis modo febris maneat) cõuenire. Non hũc attigimus tanquàm unum errorem, aut è duobus unũ, sed ex infinitis propemodum ut euidentissimũ & maioris noxę. Namq; & de ignorantia temporum morbi, & prędictionũ imperitia, & medicamentis quæ perperam ab initio exhibentur, de cõuersa ratione uictus, multa referre possem, aliisq; innumeris quæ dicere supersedeo: hoc unũ atq; aliud duntaxat caput, de quo ab initio dixi attingere propositum est, quòd in his duobus fermè tota ratio uitæ & necis reposita est. Non expectetis ut hæc ostendam rationibus, non est hic locus iugulare mortuos, causam toties coniunctam in dubium uel disputationem reuocare nolo. Satis notũ est si scitis, si sapitis: si nescitis, si dissimulatis, si eodum imperitia uos obruit, non est ut retrahã uiolenter eos qui mergi uolunt, qui pecare consulto studeant, nõ est hic locus disputandi in arte medica, satis quisq; nouit quod in ephemeris non tuto licet, imo omnino dare prohibemur oua carnesq;, quamuis mitissimæ sint omniũ febrium. Qui maximè nos oppugnat, qui de hoc aliquot conscripsit libros, sua confessione uos damnat: sua uenia declarat Hippocratis Galenicq; mentem Brudus Lusitanus, dum ob consuetudinem petit suis Anglis concedi iura pinguia, & multis herbis refrigerata & munita, ut sibi uidetur aduersus putredinẽ, aduersus inflammationem: nil aliud petit pro tanto labore, nil aliud quęrit quàm ut illud sibi concedatur: nec scio an persuaserit rectè, quanquam dũ ius petit, iuri omni quòd in oua, quod in carnes uinũq; habet renunciat. Cogitate qualis causa sit uestra in quo qui illam defensurus est aduocatus ex principali & possessorio decedit sine contentione: solum exorat sibi ueniam dari cuiusdam partis, quæ etiam extra causam est. Dicitis in tertiana simplici concedi carnes colliquatas. Primo ad Glauconem, huic argumento adeò stupidi inhæretis non uidentes quod eo ipso conficimini. nam primum consulit ut si quis rectè curare uelit, sola ptisana usque ad statum morbi, Hippocratis more, contentus sit. Deinde quod cibũ præsupponit dari solum in die quietis, edoctus in prima Aphorismorum illis uerbis: In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare noxium est. Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. Idem ipse ad unguem declarauit in undecimo Methodi iuxta finem, ex illius propriaq; sententia, an putatis illum fuisse adeò immemorem præceptorum suo-

8. Meth. cap. 2.

Lib. de Vict. in acut.

Cap. 9.

Cap. 21.

rum aut generalia artis neglexisse? Sed Glauconi non ignaro medicinæ hæc præscribit præsupponens illum generalia mandata tenere. Quinimo Thessalici etiam isti nostri medici hoc unum uel ipsi obseruant ex tot præceptis, ut in die accessionis abstineant à cibo, licet conniueant in tot alijs: an ergo Galenum concessisse quod prorsus ægris inimicissimum est, & imperiti etiam non audent prætermittere cum in minoribus se exhibuerit adeo diligentem censorem? Si igitur urgente febre nil prorsus dare uelit ea die, eo tempore, quamuis intermittens, quid in continuis censendum est? in quibus periculum longe maius est, & iactura adeò euidens, quod etiam patet in exemplo iuuenis quem coactus est ob symptoma pernitiosum cibare, & quasi ostentationis causa, quamuis sola tertiana laboraret, non tamen ausus est præter ptisanæ cremorem cumque ex duobus cyatis, id est uncijs tribus & offam panis ex uino exhibere: antea autem alijs in accessionibus, quoniam syncopis illum nondum occupauerat, sed præoccupasset ipse cibare, dedit alicam ex aqua pura sine alia conditura cum granis mali punici. Vbi tam extremo casu oua carnesq; ? Sed iam causam suam in morbis acutis prorsus desperatam uident, cum in illis Auenzoar, non solum per totum febris decursum & inclinationem ipsam adhuc extincta febre, prohibeat uinum, carnes & oua. Sed biduo tantum post luteum oui concedat, rationem reddens uerisimilem imo euidentem: scilicet quod membra calefacta corrumpunt & accendunt cibum illum pinguem, & redit febris persæpe. Sed neque quicquam melius in ipso morbo laterali habent, ubi minus facultas naturalis impedita est (qui scopus primus est ut cibus exhiberi possit) & uitalis atque animalis magis deficiunt, quæ ambæ sunt ualde necessariæ ad expuitionem una, ad respirationem altera. cum Hippocrates iudeat post iudicationem quiescere duobus diebus antequam ad frumentacea uenias. Sic enim exponit Galenus ibi. non ergo de ouis aut carne intelligit unquam. Quinetiam in ea febre quæ syncopam ex humoribus crudis adducit, tantum abest ut uinum, oua carnesue exhibeat, ut nihil prorsus, sed ad quartum diem usque sola mulsa cruda, si uires ualidiores fuerint, cocta si imbecilliores, contentus eris. sed dices, post dat uinum cum pane: fateor, ubi enim syncopis periculum imminet solum transit ad offam panis cum uino, nunquam ad carnes neque oua: nec ad hoc ipsum nisi in periculo præsenti. In uniuersum hæc tria

10. Meth. cap. 3.

1. de Victu in acutis Tex. 25. 12. Art. cur. cap. 3.

sunt

sunt explosa, uinum, caro, oua à uictu febricitantium, quandiu febricitauerint, seu intermittentes, seu continuæ, seu acutæ, seu diuturnæ, seu ardentes aut continentes, aut alterius generis. Verũ dices, in syncopali febre quæ ex humoribus tenuibus fit, Galenus dat, quouis etiam febris tempore, panem cum alica & ouorũ uitello, & testes gallinaceos, & suillum cerebrum, uinum quoq; album tenueq;. Sed si omnia ex uoto successerint, carnei etiã aliquid, potissimũ post tres dies, & cum humores concoqui cœperint. uelut feci, inquit, in iuuene illo qui ab initio accessionis animo linquebatur. At uero huiusmodi casus rarò in uita accidunt homini, unde regulam sumere uelis ad mactandos ęgros? constat enim nulli febricitanti febris ratione, sed naturę humoris tẽporis proprietate huiusmodi curã conuenire. quòd si medicus fortuito fiat princeps, an ob id statuendũ erit de principibus quòd de medicis uniuersis? Et si Agathocles ex figulo & Lycastus ex pastore, & S. Tullius ex seruili conditione facti sint reges: & nostri ætate alij principes qui rustici crãt, an ob id præferre debemus figulos, pastores, rusticos & seruos Iurisconsultis, Philosophis, senatoribus atq; patritijs? Ex exceptione ualde tenui generalẽ regulam efficere, quid stultius dici potest aut excogitari insolentius? Veniamus ad Principem quandoquidem apud Græcos optimos illis nullũ est refugium. Dicent hi Principem Arabum cõcessisse carnes & oua atq; huiusmodi: tum in curatione propria expresse, uelut cũ dixit in cura quotidianę intermittẽtis, quòd iuuat dare pullos in patella coctos. Sed ibi manifestè loquitur de febre iuncta cum fluxu uẽtris, ideò symptoma uocat ad securã non febris exigit cibum? Verùm antea cõcedit pullos & Althebugi & Alchibugi: sed hoc est post declinationem, & est, ut dixi, intermittens. Et maior difficultas est in his quæ dixit in sermonibus generalibus, cũ inter cibos febricitantium numerauit gallinas pullosq; earũ & coturnices Cyprias, quas Veneti uocant coturnos rubro rostro pedibusq; perdicibus magnitudine similes: & ipsas perdices etiam. Verùm uidetur totum hoc sumpsisse à Galeno primo de Victu in acutis, cum dixit: Quod neq; alteri cuipiam inest eorum quę medici languentibus dare consueuerunt, ouis, gallorum testiculis, alis, piscibus, columbis iuuenibus. Vnde totalis orta est quasi hoc dicat de febricitantibus: aut si de illis tanquam de continuis? & si de illis quasi eorum consuetudinem approbauerit? Verùm quòd ad Principem attinet, satis constat illum in tribus maximè esse deceptum, quæ omnia licet perpendenti ea quæ de cibatione febricitantium

12. Art. cur. cap. 6.

Prima 4. Trac. 2. cap. 58. ante finem.

Cap. 8.

Com. 2.

tantium in generali dixit, clarè conſpicientur. Primùm quòd exiſtimauerit coctionem materiæ fieri à facultate eadem quæ cibum
Com. 44. exigit, ſcilicet uitali, primo de Victu in acutis, cum fiat coctio materiæ peccantis à naturali quæ cibum non adeò exigit, ut quarto
Cap. 12. de Præſagio ex pulſibus. Hac igitur ratione non eſt exhibendus cibus, ut facultas naturalis cõcoquere poſsit materiam: hoc enim ſine cibo poſſet fieri per multos dies, ſcilicet ad quatuordecim uſ-
Tex. 49. que ſaltem. Tertio de Fracturis, nam ſunt qui legant quadraginta pro quatuordecim, quod uix ueriſimile uidetur. Secundum eſt, quoniam confundit calorem naturalem cum facultate ſeu uiribus, ideò eò deductus eſt ut cogeretur cibum in omnibus exhibere. nam magnitudo caloris certè cibum uberiorem exigit, aliter calor depaſcitur ſanguinem, inflammãs ipſum, extinguens uires cum ſpiritu, & obnoxia putredini putrefacit, aut omnino exurit ſolida & tabefacit: idem ſi exiguus eſt cum eundem eſſe putet cum uiribus, & uires exiguæ cibum requirant rurſus oportebit cibum exhibere: at ſic nuſquam locus relinquetur inediæ, ſaltem illi exactiſsimæ quę ad uictum tenuem pertinet. nam non eſt dicendum medio calori poſſe deberi: medium enim non poteſt eſſe immune ab eo quod conuenit extremis eodem modo. Sed, ut dixi, hic eſt ſecũdus error, ſcilicet quòd facultas & calor idem ſint, cum ſint diuerſa, poteſt enim eſſe calor exiguus (licet non in extremo uelut in decrepitis, ſed uelut in cruda ſenectute, ſeu potius uiridi) & robuſtæ uires: quia membra denſa, & benè temperata, & ſanguis itidem, ac quantum ſatis eſt, & tunc duplici ratione parum conuenient cibi & ratione caloris & ratione uirium. Tertium eſt, quoniam non animaduertit Hippocratem non loqui de quantitate ciborum propriè, cum in illa conſuetudinem ſeruandam eſſe cenſeat, ſed de qualitate, ut uitemus pinguia & uinum. & quamuis omnes hi errores obſtarent, & dubiè loquutus ſit in hac cauſa, & perplexè, ut quaſi contraria dicere uiſus ſit, & nos neq; quantitatem proximam conſuetę in ſanis, nec numerum niſi obſtet acceſsio prohibeamus, ſed qualitatem tantum, ſcilicet oua, carnes, uinum, & etiam panem, nihilominus (quòd ſanè mirabile eſt) ipſe Princeps utitur uictu magis attenuante in febribus quam Hippocrates aut Galenus. Cum enim Galenus in cura tertianæ puræ concedat carnem colliquatam, & oua, ut ſupra docuimus,
Cap. 38. Princeps dat betam & lactucam tantum coctans, non aliud & pti-
1. ad Glauc. cap. 10. ſanam, quam uocat Riſch hordei. Et cum in notha Galenus uelit,
Cap. 39. ut aliquanto plenius quàm in exquiſita alaẽ: Princeps dicit: Oportet ut

tet ut cibetur uno die, alio non. In quartana cum Galenus ægros tantum à porcinis carnibus & craſsis uelut bouum & uaccarum prohibeat, dicit Princeps. Et rectius eſt ut abſtineant à carne & alzumet, id eſt iure pingui, quod nos propriè conſumptū dicimus. imò antea non concedit in ea febre niſi olera humida & pepones, & huiuſmodi. Et ſubiungit de quartana continua loquens, Et in hac febre cauere magis etiam oportet à carnibus quàm in intermittente. Et dum curat febrem continentem, palàm eſt, quòd exhibet lentes, olera, fructus, & ſimilia, ut nec audeat ſuper ptiſanam nedum ſuper alicam, cum Galenus nō ſolùm ptiſanam & alicam, ſed etiam panem concedat. Et loco carneorum & carnis quæ concedit Galenus in ſyncopali febre ex humoribus tenuibus, Princeps ſolùm concedit iura pinguia, ſeu conſumpta, & præparata cum aceto, omphacio, oleribus frigidis, & præcipuè coriandro, ut nihil ſit quòd obijcere poſsint de hoc homine, ſed exquiſitiſsima uictus ratione, ſi quis alius utatur in febribus, non ſolùm acutis ſed etiam longis.

1. ad Glauc. cap. 11. Cap. 65. Cap. 63. Cap. 66. Cap. 45. Cap. 13. p. ad Glauc.

Hactenus uideri poteram explicuiſſe quod propoſueram, hic ſi longè latius pateret propoſitum noſtrū, quod etiam apud pleroſq; difficultatem maximam habet: adeò ut cum qui litteras nouerunt, licet factis id non præſtent, erubeſcant, tamen mihi de hoc contradicere in acutis, tam in diuturnis, neq; aſſentiri uelint, nec diſputare de hoc illos pudeat. tametſi uelut Hebræi olim contra Romanos plus animo quàm uiribus pugnent, inermes contra armatos. Igitur Hippocrates cenſet tertio Epidemiorum, Apollonium perijſſe in x x x 1111 die quòd lac ouillum & caprillum biſſet crudum ac multum. Oportet igitur à cibis etiam multo ante temperare ſiquidem id ille egerat circa quartam diem, propterea ſubiungit, & uictu malo uſus eſt, & omnium errorum læſiones magnæ ſubſecutæ ſunt. At de Lario rurſus qui obijt die centeſima uigeſima non ſolum tempore febris, ſed etiam cum interim in quadrageſima alleuatus fuiſſet, & eſſet abſq; febre, inquit, cibis multis ac uitioſis utebatur. Iam ergo dubium non eſt cum præſcripſiſſet normam in ægris, ptiſanam hordeaceam, malos cibos uocare & carnes & oua, quæ nec dignatur inter cibos ſanorum numerare: cum dicat ſecundo de Diæta: Oua uolucrum roburtum quid habent, alunt & inflant. Quid in libro de Veteri medicina? nónne declarat mentem ſuam, dicens: ſi ægro ſani cibum des multo magis lædes ipſum quam ſi ſano uictum ferarum exhibeas. Sunt enim pauci ualde quibus minimum dare licet cibi

13. æger. 2. ord. Lang. 1. ibidem. Pag. 7. Pag. 3.

ſanorum,

sanorũ,sed omnibus fermè expedit sorbitiones loco ciborũ dare & paucas,multis etiã ex his,neq; illas,sed solùm potus,dare oportet:quoniã natura ægrorũ quæcunq; fortia edulia aspernantˉ,non quia mala per se,quinimo & à pane &à mazza dicit,lęduntur grauius decuplo ægri q̃ à sorbitionibus. Vult ergo sorbitionibus tantum utendum,atque his ex pane: cum antiquo tempore usus carnium cõtusarum esset ignotus, quinimo cum nosceret triticũ, elegit tamen hordeum pro ptisana,quòd sit minus robustum alimentum,intelligit robustum quod cum difficultate subigitur, & cum hoc etiam plurimum nutrit,quæ duo mala sunt in carnibus contusis:tum multa alia etiam utpote quòd facillimè putrescant, facile accendantur,& ob lentorem obstruant: eædem in ouis,sed non sunt difficilis coctionis:ergo nihil horum conuenit febrientibus.Iterum forsan confugies ad id quòd multi febricitãtes cum sumant contusa,& oua,tamen sanantur.Idem responsum: eadem cõfutatio:multi moriuntur,non seruantur nisi quibus uires sunt robustiores morbo simul atq; errore:& nõ seruantur perfectè: & si modo tandem perfectè non nisi longo post tempore: & remanẽt imbecilles,exhausti & cum malo habitu.Propterea uide quid dicat Hippocrates de huiusmodi curatione in eodẽ libro. Quare plericq; medici,eadem quæ mali gubernatores,in se admittere mihi uidentur:etenim illi cũ tranquillitate gubernantes delinquunt non fiunt manifesti:quum uero deprehenderit ipsos uentus magnus & tempestas, palàm iam conspicui sunt omnibus hominibus,quod ignorantia & culpa erroris sui nauem perdiderunt. sic sanè etiam mali & plurimi medici.quum curãt homines nihil graue patientes,in quos etiam si quis maximè delinquat, nihil graue faciat, sunt autem multi tales morbi, & multo sæpius quàm graues hominibus accidunt.In talibus sanè delinquentes non fiunt manifesti idiotis hominibus. Vbi uerò obtigerit magnus & fortis & periculosus morbus,tunc ipsorum delicta & ars omnibus in conspicuo sunt.Neq; enim longè absunt singulorum pœnæ ac cruces,sed breui adsunt. Itaq; mira est impudentia istorum, maior socordia eorum ad quos hæc pertinerent: sed

——Nimium uobis Romana propago
Visa potens superi propria hæc si dona fuissent.
Nimis fuissent mortales ipsi felices, Si medici boni essent & leges.

Ad aliud caput procedamus, sanguinem mittunt in febribus putridis ex uena: & tam illud benè ac rectè facere uidentur,ut si contradicam,non parum superiori causæ,quam uel ex ipsis iudi-

cibus

cibus ſuperiorem eſſe intelligunt, detraham. Quid magis mirum dicent hi? inſanit, ſenex eſt, omnia euertere conatur, gloriam inanem quærit: putat nos nullos eſſe, ſeu confidat in ſua illa Dialectica, ſeu in dæmone aliquo, quem perſæpe habere illum diximus, ſed credere nolunt homines. Si ſectio uenæ tollatur è medio, omnes ægri perituri ſunt. O mirā rem! certè id nos diximus, finem tandem huius altæ ſapientiæ amentiam eſſe & inſaniam: eosq; qui dæmonibus aures præbent, finem ſortiri miſerum & infelicem. Hæ ſunt exclamationes iſtorum prædarorum onocephalorum, Coſconiorum Calidianorumq; ſiue malis eos Philonides appellare, qui de ceruicibus ueſtris diſputant non ex lege, aut legis interpretatione, ſed arbitrio, mala conſuetudine, furore, nulla certa ratione. Affirmāt Hippocratem hoc uoluiſſe, noluiſſe Galenum: neminem eſſe qui non mittat in putridis febribus ſanguinem. Eſt illud præclarum elogium ex undecimo Artis curandi, SALVBERRIMVM EST IN FEBRIBVS VENAM INCIDERE NON CONTINENTIBVS MODO, VERVM ETIAM ALIIS OMNIBVS QVAS PVTRESCENS HVMOR CONCITAT. Sed ſi oſtendero neq; Hippocratem huius fuiſſe ſententiæ, neq; conducere homini febre putrida laboranti ſanguinem mittere, nec antiquos huius fuiſſe ſententiæ, pernicioſamq; eſſe uenæ ſectionem, nec Galenum omnino tam coluiſſe ut credunt, ſed & ipſum declinaſſe quantum potuerit, adeò ut etiam ex illius ſententia, uix uni aut alteri, ex quadraginta ægris mittere cōueniat ſanguinem, quid poſtmodum de antiquo hoc ueterno dicturi ſunt? aut quicquam remiſſuri de hac conſuetudine adeò exitiali? ſeparabo hic inquam phlegmonū cauſam, in quibus tam in ſecādo uenam aberrant fermè ſemper quam in febribus, quod omnino ſecent, ubicunque ſecuerint. Iam tot annis litigant de uenæ ſectione in phlegmonibus, & concordiam habent ante oculos, nec eam uident, quodq; nos una charta comprehendimus clarè, dilucidè & ex omnium cōſenſu, ipſi plusq; mille chartis conſumptis, indiſcuſſum & magis dubium relinquere quàm antea, ſed de hoc in ſecundo de Dentibus. Sectionē uenæ in phlegmonibus internis conuenire plerunq; fateor, ſed errare omnes medicos de loco cōtendo. Si rectè illā adminiſtrarint reliquis fortuna & caſu contingit, ut pleraq; alia. Sed de febre contentio nūc eſt, nec omni, ſed putrida tantum, nam ut neq; in hectica, neque in ephemera ſecare uenam quiſquam eorum uelit, ita nec nos, ſi quis febre ex ſanguine antequam putruerit laborauerit, omittendam omnino cenſemus. Dubitatio eſt de ardentibus & cōtinentibus Cap. 15.

cum putredine,acutis,hœmitritæis,ſudorificis,frigorificis, ſqualidis,lentis,tertianis, quartanis,quotidianis,ſyncopalibus, peſtilentibus,erraticis,lipyriſs,niſi ex inflammatione interna ſint epialis diurnis nocturnisq́,quarum nulli uenæ ſectionem utilem eſſe dico,neq; eam eſſe ex mente Hippocratis, nec fuiſſe olim in conſuetudine antiquorum. Parum etiam probari à Galeno hanc actionem quam uis adeò addictus illi eſſe uideatur dum Eraſiſtratum perſequitur.Hoc enim in hoc uiro,quod ſępius dixi,mali eſt, ut dum conuellere nimis antiquorum opinionem cupit, in quædam abſurda & periculoſa incidat.ſed mittamus hæc,rem aggrediamur:ſi ſanguinem mittimus,ex uena materiam totam quæ in uenis putruit, loco dimouemus, unde nō parua mala contingūt: ſpargitur enim primum & ſanguis ipſe ſemine corruptionis concipit,& mota ex loco non concoquitur,& in interiores partes truditur,& ſuper membra principalia tranſit,& anguſta obſtruitq́e ea.Secundum eſt quod uires ſemper plus debilitantur quàm materia peccans minuatur.Tertiū eſt quòd tot ſunt exceptiones quę prohibent uenæ ſectionem, ut etiam ſi id poſtulet febris,non tamen conueniat,etiam ex Galeni ipſius ſententia.capita ſolum adduxiſſe ſufficiat,locos alibi enarratos omittam: neque ergo ſummis ardoribus, neque ſummis frigoribus, nec in ætate puerili ad quartumdecimum annum uſque,neque ualde ſenili, nec ubi materia turgens fuerit, purgari enim debet,non uenæ ſectione euacuari,nec ubi morbus proceſſerit, nec ſi inedia magna præceſſerit aut purgatio naturalis diarrhœæ, dyſenteriæ, hæmorrhoidarum uel natura motum alium inchoauerit, nam ſi faſtiditus aut nauſeabūdus,nec cruditatibus repletus uentriculus, aut cum uomitu,neque ſi peſtilens fuerit febris aut aer pernicioſus,nam tutela nulla relinquitur, uel ſi ex ueneno aſſumpto febris inuaſerit. Non ſi bilis aeris uincat,aut humores crudi,frigidi,pituitaúe multa aut melancholia. Et ſi uirtus ualde ſit imbecillis, ſi corpus admodum ſiccum, præſertim ex uigilia. Sed nec ubi iam ſanguis computruerit,aut in ſyncopali,aut ſi uenus multa præceſſerit,nec ſi morbus ſit leuis aut febris intermittens quatenus eiuſmodi eſt. Nec ſi lenta fuerit,aut eidem iuncta hectica, aut patiens habeat lapidem in ueſica: & ſunt qui id genus auxilij naturaliter nimis ægrè ferunt.Omitto luſcioſos,neruorum debilitate, tremore præſertim,laborantes,obliuioſos,corde facilè & ſæpè palpitantes: omnesq́ imbecilli iecore. Quid uerò cum hos omnes exceperis quos excipere oportet reliquum tibi erit in quos hanc ſectionem

exerceas;

exerceas? Quarta ratio, uel uires sunt robustiores his quæ sunt contra naturam aut inferiores, si inferiores non sunt infamanda auxilia in morituris, quæ in sanandis possent esse auxilio: non igitur mittendus sanguis: si uires detracto sanguine erunt superiores, igitur natura ipsa emittet sanguinem, si emittere expediat, opportunius, moderatius, & tutius quàm uenę sectione. neq; enim desunt loca, hęmorrhoides, nasus & præter id in mulieribus menses. Sed fac ut natura negligat, uel tu uis mittere sanguinem ratione qualitatis hoc non conuenit febri: febris siccat, uires debilitat, opus est inedia, ubi fame laborandum non est: nullo modo conuenit: uel etiam ratione sui, est thesaurus naturæ, non potest esse utile uel ratione quantitatis quot modis in hoc aberrabis? si minus educas mouebis sanguinem, & hoc est semper malum, & nõ educes neque iuuabis: aut minus iuuabis quàm nocebis: aut plus educes, & ita debilitabis uires. adde quot incommoda, quot pericula: Tonsor unus uulnerat hominem, & sanguinem non educit: alius secat unam uenam pro alia, ut heri quidam, cui iusseram, ut mitteret sanguinem ex pede sinistro, cum bis frustra sauciasset ægrum, misit ex brachio dextro magno ægri periculo, licet euaserit, iactura tamen certa, alius pungit neruum & conuellitur æger & moritur, ut trapezita Io. Marini: alijs sanguis ex uulnere fluit, per somnum, ut patritio cuidam ex familia Tortorum Ticinensium. obijtq; hac causa sola ex leui morbo hoc, & quàm multa alia intercedere possunt. At quod non fuerit sententia neq; mos Hippocratis aut æqualium eius est considerandum: quoniam Erasistratus id negat fieri debere. Hippocrates floruit anno conditæ Vrbis cccxv, cũ adhuc regnaret Artaxerxes Longimanus, qui bellum Gręciæ intulit. Aristoteles anno urbis ccccxxv, centum & decem annis post ex descendentibus. Erasistratus autem ex Pythiade nepos Aristotelis coniunxit Theophrasto, quomodo igitur Erasistratus in tritauum suum Hippocratem adeò etiam celebrem apud omnes tam fœdè inuectus esset, cuius uerba per urbes decantare solitus erat? Equidem addere aliquid in aliorum sententijs citra uituperationẽ licet: seu declarandi causa seu quod ille breuius dixerit, seu quod nondum ars ea fuerit planè inuenta. at abolere quæ mandarit, negare quæ prius ille dixerit, citra contumeliam id fieri non potest. Quòd si etiam uoluisset, cur non Galenus ex Hippocratis uerbis illum confutat: at cum nullibi id faciat quanquam duobus peculiaribus libris ad hoc dicatis qui supersunt integri, in phlegmone autẽ & doloribus & sputo sanguinis

An sang. in oratijs contineatur. cap. 7.

guinis id agat, palàm est Hippocratem nunquam præcepisse sectionem uenæ in febribus. Hæc igitur ostendunt planè sectionem uenæ parum esse opportunam febrientibus, iam febre putrida, non solum ex sententia Erasistrati & Hippocratis, sed etiam ratione. Verùm in sanguineis febribus nondum corrupto sanguine, in phlegmonibus, aut iam factis, aut initium facientibus, in corporibus iam alioquin repletis, non ob febrem, sed ob repletionis periculum, urgente febre, in uasis ruptis, in doloribus uehementibus, in omnibus his quibus extrema opus esset inedia, nec famem tamen perferre possunt, eam non solum admiserim, sed suaserim etiam. Cęterum aliud est ratione febris, cui nullo modo conuenit, neque enim hęcticè debilitat nec siccat corpora: nec nisi raro materiæ febris ratione, quæ cruda est inobediens & furens, aut sicca: sed ratione coniunctarum occasionum sectio uenæ conuenire potest. Quòd uerò pleroſque medicos fallit, est, quod cum antequam incipiat esse putrida, si administretur persæpe iuuat: tum illi putant putridæ febri ob id conuenire.

Hæc igitur dicta sint de his tribus capitibus quæ proposuimus, nō quòd in his solum peccent medici aut maximè, sed quod facillimè. Ostendam autem exemplo quod nuper mihi contigit quantum aberrent illi, dum in huiusmodi curationis genere uersantur, & quòd maximè mirum est, quomodo sub optima medendi specie ægri periclitentur. Laborat Vincentius Balzanus uir haud plebeiæ sortis erysipelate in crure dextro cum dolore & febre, à diuturno morbo conualescens, curatus more isto uulgari, quem appellant honestiore nomine practicam, ueriore empiricē: iubeo è talo sinistro sanguinem mitti, tonsor alijs medicis assuetus, qui non curant qua ex parte, nedum qua ex uena sanguis mittatur, postquàm bis pertusa uena pedis sanguinem educere non potuit, iecorariam dextri brachij secuit. Adueniens ego uesperi, leuiter damnaui factum, ne terrerem ęgrum adhuc febre non leui laborantem, sed ad L. Nonium Fauentinum iuuenem medicū conuersus dixi, uno errore multa damna attulisse: non eduxit peccantis materiæ quicquàm, non auertit à iecore, sed ad illud attraxit: & bonum fudit atque inculpatum sanguinem. Curaui ergo ut non leuiter crus sinistrum totum deorsum trahendo fricaretur: emplastrum acopum & frigefaciens tepidum parti patienti adhibui: carnes, uinum, ouaq; inhibui, exactis duobus diebus, cum res satis ex uoto cederent (nam inæqualitas pulsus quæ secunda à sectione uenę die apparuerat cessauit) dolor est imminutus, crus

ipsum

ipsum cum sura intumuit satis, sed molle & rubrũ absq; uehemen ti calore: dixi hic uides Noni, & quàm pernicioſe peccent medici, & quam facile sit perdere hominem per ignorantiam: & quomodo nil tam probetur à populo in arte quam quod pessimè fit: tum ille arrexit aures dixitq; quomodo? Quoniam (dixi ego) si quis medicamentum ualidum nunc exhibeat, uideatur sanasse ægrum & tñ perimet, aut in maximum saltẽ discrimen adducet: namq; eo exhibito strenuum aliquid facere uidebitur, & maximè cum purgauerit egregiè, & materiam reuocabit à loco unde dolor & rubor cessabit: materia enim in uenis dum fuerit dolorem non excitat, cum uenæ sensus sint expertes, cessante dolore, totum quicquid est ephimeræ cessabit, febrisq; ob id alleuiata, adeò uidebitur ut uix quisq; febrire illum percipiat. An non ergo sibi ipsi & astantibus longe melius se habere ex hoc pharmaco uidebitur? tum Nonius imò planè sanatus multis qui non intelligunt. sed unde discrimen illud uitæ tam magnum? cui ego, imò non discrimen sed iactura certa: namq; materia quæ erysipelas facit, cum nõ amplius crus patiatur, si non educta est pharmaco in corpore adhuc erit: secus fieri non potest, inquit ille: at eductam esse uel minimam guttam eius ostendam planè esse impossibile: primum tam multa ut pluribus indigeret euacuationibus, & tã procul ut quasi totum corpus permeare cogeretur, & maximè in tam breui tempore: post adeò cruda & minimè naturæ ægrotantis subiecta: demum fac ut nil horum adsit, quomodo ex gibba iecoris tam crassa cum sit permeabit in cauam, ubi uenæ tam angustæ sint, ut dubiũ sit an penetrent et inuicem conueniant: adeò ut cũ hęc omnia in hoc ægro adsint, dubiũ non sit ne guttã quidem euacuari. Sed unde tanta tamen, inquit ille, materia in purgationibus eiusmodi prodit, et unde alleuiatio illa adeò manifesta? dixit Nonius. Euacuantur materiæ crudæ, quæ in mesarẽo undiq; sunt, et colliquantur sana, ut inquit Hippocrates. At alleuiatio illa erysipelatis in in crure fit, tota materia, per consequentiã attractionis, reuocata ex uenis magnis ad paruas, ita ut relicto membro iam læso, et nõ dũ traducta ad iecur, quod tempus quatuor uix dies implere potest, ubi adsit febris: ubi latuerit per multos. Per totum igitur id tempus quasi quiescit morbus, & ęger melius se habere uidetur. Relinquuntur tamẽ urinæ crudę, sitis, uigilia, & appetitus, non integer, quędam molestia, & pulsus, si quis eũ rectè tãgere norit, inęqualis. Deinde superueniẽte febre, medici causãtur ęgrũ edisse pomũ, aut iratũ esse, aut surrexisse nimis tẽpestiuè. Video, inquit Nonius

4. de Vict. in Acutis Tex. 22.

nius ſtatum ægri, ſed quomodo tanto ſit in diſcrimine non intelligo, cui ego oſtendam: reuocata ea materia ad iecur, ibi excipitur multa cruda facta maligna exitu illo ad cutim ne potens permeare uenulas illas capillares iecoris, & retenta, ibi totum corrumpit ſanguinem, coctionem & nutritionem impedit, inflammat iecur, febrem accendit, perſæpe etiam phlegmonem in ipſo iecore excitat: aut reſoluta parte tenuiore ſcirrhum in eo facit, aut etiam putrefacit illius ſubſtantiam. Hi ſunt fines illius glorioſæ alleuiationis, ex quibus plerique intereunt: aliqui quorum materia tenuior & paucior, uenæ latiores, ætas florida, plurimum conflictati, tandem euadunt, exhauſti omnibus bonis, animæ, corporis & fortunæ. Atque hic modus eſt non mortis unius, ſed infinitorũ, cum omnes qui phlegmone in aliqua parte uiſcerum laborant, qui totidem fermè ſunt, quot qui febrem habent continuam, acutam, aut ſi diuturna ſit cum tumore duro, aut molli eidem periculo atque alia ſubijciantur.

Ergo receptui canamus, & nobis quid agendum ſit conſulamus, ne uel cum illis ſentiamus, neque deſpecti inter homines, aut mendici uitam trahere cogamur. Cæterum quinam in errore maiore ſint, an beati iſti iuuenes, potentes, opulenti, quorum uita eiuſmodi eſt, ut nil boni ſperare ab obitu poſsint: aut quibus nil ſperare ſummum ſit bonum, qui hoc ipſum in quo omnia expoſita ſunt, tam oſcitanter curent, & in eo tam apertè fallantur, an ego qui iam LXVI prætergredior annum laudis in poſterum aliquantulũ ſpei ab obitu plus longe adeptus, & in eo, quòd maximum illi putant, rectè ſentiens, in alijs minoribus etiam ſi deciperer tibi dijudicandum reliquo. mihi ſanè uidetur, ſi illi, quanto maiores fuerint, cum magis delinquant, ſapientes exiſtimantur, me hac in parte ſtultum haud iure dici poſſe. Verùm de his tuipſe uideris.

FINIS.

IO. BAPTI.

IOANNIS BAPTISTÆ CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, EX COLLEGIO DOMINORVM MEdicorum, filij D. Hieronymi, De fulgure liber unus.

CVM templum D. Mariæ Annuntiationis fulmine ictum esset, atq; ex eo ictu diruta turris templi, in qua nola erat decisa una aut duabus sacris uirginibus, quæsiuit à me egregius Medicus Prosper de ponte I. Iuliani, & qui etiam ipse medicus chirurgus erat, totiq; ciuitati nostræ notissimus, quemq; ego honoris causa nomino, an ea ruina quicquam mali urbi aut religioni minaretur. Ego noua interrogatione perculsus, nihil habebã quod responderẽ, ne tamen omnino mutus esse uiderer, dixi, urbi nostræ posse aliquid minari, religioni minime, tum quod urbs nostra principatum non obtinet in religione, nec templum ipsum in urbe nostra, tum etiam quod frustra obseruantur hæc à Christianis. Inde in alios sermones transiuimus. Verum ubi domum me contulissem, Plinium à patre accommodatò dari postulaui, quem cum uidissem aliqua selegi tum ex eo tum ex Aristotele, inde etiam alijs autoribus quæ in unum redegi, ô Gaspar Vicecomes, ut tuo nomini si per lara licuerit, dedicarẽ, qualiacũq; erunt, in boni æquiq; cõsules à iuuene inexperto, imperito, infelici, in materia ardua, quam nec pater meus ausus est aggredi. Cupiebam, etenim interrogationi Prosperi amici mei statim satisfacere, quod (ut dici solet) multa inter os & offam intercidere possunt, propterea & libros patris de Subtilitate, & de Rerum uarietate, qs ille mihi dono dederat reuolui, sed nihilominus magis intactũ. Propterea existimaui rẽ esse difficilẽ, nihil eo animo rem hanc sum aggressus, ut quicquid possem simul cõgererem, quòd si qua defutura essent, scio autem plurima, exoratum patrem uelim, ut si quid mihi siniſtra fortuna cõtigerit, ne absoluere possim, aut omnino nesciam perficere, uelit ac nomini meo, ut qui saltem argumenti, quod & amicissimus iuuenis & fortuna, quasi ætateq; par & casus quidam obtulit, ad utriusq; forsan memoriam excolendam autor fuerim. Extant Lucani carmina generosissima, tametsi mors uiolenta iuuenem oppresserit, studendum est celeriter reparare ea quæ celerrime nobis à tempore rapiuntur. Ita iuue

nis hic ſocius meus animũ induxit, ut lib. Hip. de capit. uulnerib. exponeret, q̃d affirmare nec à quoquam expoſitũ, multoq; minus illius p̃cepta obſeruari, q̃ fit ut multi ſuperfuturi alioqui ex Hip. diſciplina neglecta ex capite uulnerati q̃tidie intereant, connumerabatq; plurimos, è quib. nõ ſolũ quoſdã ego cognoui, ſed etiã curationi interfui. Itaq; hęc egregius iuuenis ſecũ q̃tidie uolutat. neſcio an p̨ficere poterit. Ea em̃ uident̃ eſſe tẽpora in quib. optimis quibusq; cœptis, fortuna ſe trãſuerſa obij̨cit. Sed omittamus hæc, cuperẽ ſaltẽ hoc ſolũ, tibi eũ eſſe notũ, eſt em̃ iuuenis fidus, p̨bus, ſtudioſus, quẽ ſi fata ſeruauerint, ſpero futurũ toti urbi, nõ minus q̃ pater ipſe ſuus, utilis. Sin inuiderint, ut bona quæq;, ego integerrimi tñ amici officio fũctus fuero. ergo ne oĩno tot tantaq; in unũ ſine ordine ullo cõgererẽ ſecutus Io. Chous, I. Gulielmi p̃fecti montiũ Gallię, quã Prouẽtã uocamus, quẽ pater meus ut iuuenẽ ingenioſiſs. nõ ſolũ admiratus, ſed etiã p̃dicat. ita totã hãc tractationẽ diuidemus. Primũ agã de interp̃tatione horũ nominũ, fulmẽ, fulgur, fulgetrũ, & antiqua eorũ origine. Deinde diſtinguã ſignificata. hęc oĩa iuxta antiquorũ opinionẽ. Poſt p̃ſupponã q̃dã experimenta caſusq; qui ex ictibus horũ cõtigerũt. Tranſibo p̨ hęc ad opinionẽ antiquorũ, & etiã præſentiũ de cauſis huiuſmodi admirabilis effectus. Inde dicã de tonitru q̃d fulmẽ cõſequi ſolet, nec nõ de illuminatione ipſa. Accedã ex his ad tractationẽ cauſarũ uniuſ cuiuſq; ſpeciei fulminis. Inde docebo etiã cauſas admirandorum effectuũ antea narratorũ, Poſtmodũ dicã quantã uim tribuerint antiqui huiuſmodi caſib. & exempla admirãda q̃ ſignificauerint. Agam deinceps de ratione horũ, & quomodo ad p̃dictionẽ naturali uia ex eis peruenire liceat. Inde ſubiũgã antiq̃rũ p̃cepta de illis. Quærã etiã an Chriſtiano homini his uel alij̨s diuinationũ generib. fas ſit fidẽ adhibere. Tũ an abrogata fide his quę uim p̨rędicendi habẽt tollat̃ p̨rędictio, et p̨ſtita his q̃ fide digna non ſunt liceat diuinare. Poſt loquar de tonitru et effectib. eius ſecundũ naturã. Ex his deueniã ad p̃dictionem ex icto ſumptã. Procedã etiã ad ſingularia quæ in eiuſmodi generatione fuerint, & maxime cũ hyeme cõtigerint. Diſſerã etiã cur cũ grãdine ſemp̨ cũ niue nunq; fiãt fulgura. Dicã etiã de dãnis horũ, & q̃dã p̨blemata conabor ſoluere. Narrabo etiã q̃ſnã fulmẽ interemerit ac ſimul fabulã Dionyſij ult. derelicta apponã & p̨orationẽ addã.

De interpretatione horum nominum, fulgur, fulmen, fulgetrum, & eorum origine. Cap. I.

FVlguris & fulminis ſignificata ſæpe cõfundunt̃ quod fulgur cũ generaliter capitur, idem ſit quod fulmen, ſed proprie fulgur eſt cũ ſolus ſplẽdor apparet, nec tonitru ſequitur, fulmẽ cũ ſplendorem tonitru & ignea uis ſequitur. Sed fulgetrum cum diu uis illius ſæuit permiſto terreo fomento, non dicam ea per quæ fata ſignificant̃ aut felicitates ingentes, & an aliquid ſignificare poſſint. nec diuidam in

Plin. lib. 2.

fortuita

fortuita atq; diuina,nec antea disputare de illis decreui,quam constiterit quid sint, illud enim uelle multa loqui cum de dubia re sermonem habeas,imperiti est. Quamuis dicere ausim,aut horũ aut omnium aut nullius rei significationem esse:nam si hoc significant,aut ordo est aliquis,aut Deorũ cura nos regit,si nulla,quid est ut quęramus in hoc solo? Sed & si naturale sit,non tamen est necessarium semper significare, quando nec omnis grauida mulier peperit. Quamobrem cum tot essent quęrenda necessaria,cur his neglectis statim ad maiora transitur? quasi uel hæc comperta forent,uel negligenda,aut quod facile fit,illa sine his haberi possent.Dico nullam esse naturę rem magis admirandam,& magis à ueteribus intactam, seu de pluuiarum ratione sermo habeatur, sedenim tota ea ratio obscura est, ac perdifficilis, ut uidimus percussam domum,in qua multa hinc inde foramina apparuere minora plenaque stylo scriptorio, quo in libris seu tabulis ficulneis scribere solemus.Sed redeamus ad nominis etymon: à fulgeo omnia descendunt fulgetra , & est lux illa luminis quæ tonitru precedit teste eodem Plinio.Fulgores etiam dicuntur (ut Cicero uocat)splendorem illum,qui nunquam descẽdere uidetur, sed sola luce emicat,modo in nubibus solus,modo cum strepitu.Est autem fulgur idem quod fulgetrum, sed ita ut nomine fulguris,etiam fulmen intelligi possit.Vnde Cicero uim fulgurum dicere potuit,fulgoris,aut fulgetri nõ potuit.Fulgur ergo ad fulmen,& fulgetrum genus est, sed sæpius pro mari accipitur corruscatione uelut animal pro bellua magis quam pro homine. Inde fulguralis,quod ad fulgur pertinet,ut doctrina liber sacrum, & fulguritas antiquum tamen licentia carminis id permittente splendor fulguris,& fulguro uerbum,& fulguritus,id est, fulgure percussus, & fulgurio uerbum aliud:ĩjcio fulgur & fulgurator, cum ad homines refertur,non nisi de his qui fulgura obseruant intelligi potest.Fulmen autem dicimus ignem à nubibus excitatum, unde fulminans à fulmino uerbo,& ab eodem fulminatus , inde etiam fulmineus,uelut apri dentes fulminei appellantur,quod ui maxima sæuiant, & dum aper accenditur in iram exæstuat,hinc origo nominis.

De his quæ supponere oportet. Cap. II.

CVm omnis doctrina nostra à sensibus ortum habeat,necesse est scire quæ sensus doceãt,quęq; recepta sint ab hominibus tãquam uera. Primũ illud est, apparere splẽdores ex summo aere, nonnunquã absq; strepitu , ut in ęstate summo aere cũ nubeculis noctuq;

noctuq; maxime aliquando cum strepitu, nec descendere uideri, quandoq; etiam descenderet: eorum aũt qui descendunt, cũ tonitru fulgurum quidam euertunt, & percutiunt, & inflammant, alij inflãmant, quod memini me uidisse aliquando, dum essem pene infans, alij percutiunt, alij euertunt, alij duo ex his tãtum faciunt, ut sint multiplices iam distinctiones. Constat etiam sereno cœlo intonuisse, non solũ Maximilio Cuostilio, Manatio Prẹnesti, consulibus, sed etiam Q. Metello Iulio Didio, Romę ludis in theatro exhibitis. At uero Ap. Claudio, M. Verpemia Cos. Terracinę naues uelum sereno excussum, atq; in aquam deiectũ ignibusq; consumptũ est. Vargunteius quoq; Pompeius fulmine exanimatus in cœlo sereno, M. Casone, C. Antonio Cos. Et inter magna prodigia habitum est fulmine tangi, nec interiore, ut nos uidimus in Io. Mana Cardano, Brẹsma cognomine, qui à supercilio ictus usque ad pollicem, cum iacuisset ternis horis, ut mortuus, & reuixit, & superuixit, id accidisse in agro Trebullano, uxori Romani ciuis Pharrano & C. Attilio Cos. inter prodigia relatum, à Iulio obsequente, uelut & illud quod Aricia Iouis ædes clausa icta sit C. Mario, Q. Luctatio Cos. cum id non declaret, an muro disrupto, an integro. Recipit & Seneca non solum tonare cœlum sereno, sed etiam absq; fulgure tanquam experimentis cõperta, uultq; fulmen esse, cũ splendor, & uis ignea colligitur, fulgurationẽ uocat, cũ dissipatur, & dispersa diffunditur. Vnde inquit fulminatio emittit ignẽ fulguratio ostendit. Eorũ rursus quæ urunt fulminũ quædã leuiter afflant, & duntaxat denigrant: quędã etiam urunt, sed flammã non excitant: alia excitant, & quandoq; perennẽ, ut uidimus in templis D. Laurentij, & antea Ambrosij nõ multis ante diebus. Idem refert loculis integris liquari pecuniã, & aliqua esse fulmina, quæ ex terra erumpãt. uinũ quoq; cogere in unũ uelut ex fumo, dum nouum est in cadis aliquãdo coquit. Aliter Plinius ut uideo interpretatur. Dolia inquit ille intactis operimentis exhauriuntur, ac ne quidem ullo uestigio relicto. Quodq; Manc. principi Romanæ filius occisus sit à fulmine ea illæsa, id minime mirum uideri potest cum metu extingui potuerit abruptis uinculis matris aut aliter. Quod autem dixit ille de Vargunteio Pompeio Plinius in Pompeiano Municipio accidisse, ait M. Herenniena uterque fatetur accidisse hoc ante Catelinæ coniurationem idq; eodem anno. At quod aliquid significent, sufficiat adduxisse tua exẽpla illud Suetonij cũ fulgur decidẽs in Augusti statuã C ademisset ex nomine adoptiuo Cæsaris, pnũciarũt Augures

2. Naturæ.

Capta.

Lib. 2. cap. 51.

Augures centum diebus ſuperfuturum, Baptiſta uero Fulgoſius cum genus dominationē per factiones adeptus eſſet, teſtatur, urbis Turrini iſtam ubi eorū inſignia erāt, tribus foraminibus percuſſam, ea illæſa declaraſſe dominationis totidē annos. Ictam etiā ędem D. Ambroſij Genuę, excuſa Pietatis ſtatua, declaraſſe illum populum à Mediolanenſium patrocinio alienandum, quod mox euenit liberalitate nimia Philippi Vicecomitis eorū principalis, ut fulgurum uideantur fuiſſe non irrita præſagia, ſed & inter mira referūt, Mithridatem illum, qui tot bella cum Romanis geſsit, bis ſenſiſſe uim fulminis citra iniuriam, primùm cum infans eſſet cunis exuſtis, ipſo etiam leuiter in fronte læſo, ita ut cicatricem tegerent capilli, poſt dormientis ingreſſum cubile pendentem perforaſſe ſagittā. Sed & illud, partim ab ipſo partim ab alijs receptum eſt, non tangere ex plantis, neq; fici, neq; lauri arborē, quaſi Apollini ſacram, nec ex animalibus byenam, inter horena uitulum, ut inter piſces, aut aquilā inter aues, quòd Ioui dicata eſſe credatur. Sed neq; ex lapidibus ullū hyacinthi genus, nec eos qui illud geſtauerint, nec qui illius imaginē ſecum tulerint, idq; magno experimento uerum eſſe affirmat Serapio, magni nominis inter medicos. Sed & ictos fulmine homines diu ſeruari, ac cadauera illorū minime putreſcere idem refert, hominem qui lumen eius uiderit ictum fulmine affirmat. Sed quomodo id deprehenſum iam mortuis, aut attonitis ſaltem, niſi forſan aliquis integer, ſuperuixerit, ſed de omnibus non referre poteſt. Dicunt etiam prius afflari & quaſi quæ tanguntur ab eo antequam tanganturillud ſane pro conſtanti, habetur, quod ſi in terram penetrauerit, nō ultra pedes quinq; deſcendat, eſt autem cubitus, ut etiam recte ex Vitruuio annotauit, ſexquipes & palmorum ſex, digitorum uero XXIIII. quos uocant uncias, paſſus aūt quatuor continet cubitos, id eſt, quātum eſt à flexura brachij in cubito, ad medij digiti extremum quater uncias ſiquidem XCVI. ut millies ſumpta hæc menſura milliare impleat, non ergo ultra CXX. digitos. Atque hoc ipſo uidetur Plinius atteſtari, in fulmine adeſſe lapidem, quamuis nullibi dicat, neq; enim ueriſimile eſt flammā aut fulgorem cōſequenter deſcēdere niſi forſan ceraunias illas uocari uelint, illæ quas uidi patris mei auxilio binæ, ac binæ fuere ſimiles inter ſe, ut cenſeantur duorum generum, quarum formam hic cum magnitudine depinxi tota ſuberoſa criſtalli colore, prima duritie ſingulari falſa, & quaſi media inter opacam & perſpicuā, parum excedit eā magnitudinē: altera leuis coloriſq; uiridis fuſci ac quaſi chlori

In 1. Decad. con. quæſt. Lib. 5. cap. 9.

In 3. lib.

duritię

duritie & ipſa eximia qua poliunt enſes, atq; in hoc tamẽ nomine cõmunicãt, in reliquis omnibus ualde diuerſa natura ac forma: hęc eñ prorſus opaca eſt, & linguę forma ſed & craſsitie pollice maior prioris paulò maioris quã lentis hæc in montibus inuenit̃, & frequẽs eſt admodũ; illa ſolet in campis, & tamen inter alios lapides inueniri, eſtq; rariſsima & in precio apud principes. Quod autem dicit Plinius de ſtrepitu dum cadit, ſeu uera dicat & ego non intelligam, ſeu in comperta narret, declarare decreui. Dico quod ubi ceciderit, maximum ſtrepitũ edit, qui cũ tonitru miſcetur, eãq; qui ſemel cecidiſſe audierit facile cognoſcet, an prope deciderit quocũq; eñ dederit, ſeu procul ſeu prope, ſtrepitus cum tonitru miſcet̃ exauditurq; in fine tonitru quaſi ruinæ cuiuſpiam. Quin etiam referunt fulmine ictos contraria ratione circa oculos ſe habere, dormientes quidem oculis patentibus, uigilantes autem clauſis idq; obſeruantes. Referunt etiam in Tagis Thuſci, rem prope miraculum libris inuentam, eos quos fulmen percuſsit multo antea adeo obſtupeſcere toto corpore, ut inutiles uideantur, nec tonitrua uel fragores ſentiant, quod accidiſſe ferunt Seuero equitum Iuliani Imperatoris magiſtro, uiro bellaciſsimo. Diſtinguere præterea ſolent fulmina, in ageres catebatas & pſoloentas. Argera dicitur fulmen clarum, pſoloenta autẽ quod denſum eſt & urit, ac plurimũ flammæ inuehit, catebata uero quæ impetu diruunt quaſi dimiſſa à Ioue, hæc & ſi ignea ſint magis tamen diruunt quam inflammant, quæ autẽ percuſſa ſunt fulmine non obrigent, quinimo facile concipiunt putredinem & uermes generant, ob id Seneca fulmen uenena extinguere credidit, quod ueneno euicta uermes non generant.

Cœl. Rhod. lib. 3. cap. 27.

De cauſis fulminum & fulgurum & tonitui iuxta aliorum ſententiam. Cap. III.

ANaximãder à flatu hæc fieri omnia tradit. Quũ eñ obducta nube craſſa uiolentus enixus natura ſubtilitate atq; leuitate erumpit, ruptura quidem ſonitum, diſtractio uero effulgentiam propter nigritantiam nubis efficit. Metrodorus, quum in nubem ſpiſsitudine cõcretam adigitur flatus, fractura quidem fragorem efficit, hiatu uero ſciſſuraq́ue diffulget, quod ſi pernici impetu à ſole feruorem rapuerit, fulmẽ intorquet, languidum uerò fulmen

in

in turbinem uertit, Anaxagoras, quum actus in rigorem impegit, id est, ætherea pars in aerem sonitu quidem tonitru, nigricãtis autem nubis colore fulgentiam efficit: Porrò idem multitudine magnitudineq; luminis colligit fulmen, corpulentior uero igne conficit uorticem, ut nubilo turbine, tonitru nubium collisionem, fulgur accensionem ex earum attritu, fulmen uegetiorem effulgentiam, ut turbinem lãguidiorem. Aristoteles, ex arida etiamnum uaporatione hæc fieri, qua ipsa cum in uuidam incidit exitumq; eluctata est, attritu quidem atq; effractura tonitru fragorẽ edit, aridi aũt calefactione fulgetrã, turbines uero ac uortices materiæ redundantia, quam uterq; secũ arripit, feruidiorem quidem turbo, crassiorẽ uerò uortex. Hæc Plutarchus. Aristotelis autem sentẽtia ut obscurior esse solet hoc habet, quod fulmina sunt mixta ex aere & igne, & ideo descendunt in aere, quia aer in suo loco magis tendit infra quam supra. Aliam causam docet in Metheoris, & est quod uapor ille expellitur, & ideò expressus cum impetu proijcitur, sicut ex digitis nucleus, & quoniam motus ille est cõpositus ex naturali ascensu ac uiolento descensu, ideo fit plerunq; inquit in latus. Sed forsan huius est alia ratio, adhuc euidentior, quoniam ubi ascensus & descensus essent per renu relidere-tur etiã per rectum: probat enim hoc, quod si simul sit per rectum ascendendo & descendendo, quod non potest esse, neq; solũ uiolentus neq; naturalis, quod relidatur ab inæquali corpore, & concauo non plano, ubi fit inclinatio inęqualis à recto, & ad rectum, licet uideatur æqualis comparatione speculi concaui. Et hoc potest cognosci inflectendo speculum concauũ, ut dixi. Et ideò proponit quatuor causas fulminis, uaporem, motum illius sursum, cõ crescentem coagulationem, unde ignitur, & ab expresione uiolenta. Et similiter post docet, quod fulgura fiunt propter frigorem pronum, quoniã nubes coguntur à frigore, & nubibus congregatis segregatur corruscatio, uapor enim ille calidus, aut à cõtrario coactus, aut à motu accenditur, aut ab utroq;. Et solet tribui Auerroi quod dixerit, uelitq;, quod fulmen fit uentus accensus, & ex nubibus, & quod diuersa sint fulmina ratione uentorũ. Sed utcunq; sit, opinio Aristotelis & Auerrois, est quod exhalatio sicca & retenta in terræ uisceribus terræmotum excitat, mora uero in aere uentum, in nubibus autem per uentos in aquam currentibus transmutata in ignem, dum excernitur tonitrua, & corruscationes. Et ideò dixit Auerroes in commento, quod fulmen est ex exhalatione accensa, & confirmat uulgarem illam opi-

Lib. 3.

Auer. 4. Coeli.

Lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 6. & ult.

Cap. 4.

nionem quod aliquid eius est generis, ut dissoluat dura æs & ferrum, & non exurat mollia, quia hoc est proprium æri, ut mollia & perosa sine læsione penetret, dura autem liquefaciat, & ideo interficiat homines & animalia absque uulneris uestigio, & tale fulmen est aer accensus. Sed si quod accensum sit terreum, ac quasi uiris ardent omnia in quæ impegerit, & de contentis narrat ex auctoritate Auicennę, quod in regione Casaam in qua cadunt fulmina multa inueniuntur corpora similia ferro & æri, & ipse conatus est liquefacere illa, sed non potuit, accendebantur & consumebantur, sed hoc est ueri simile, non tamen cõcordat cum eo quod dictum est de duplici specie lapidis fulminei superius exposita, & adiicit quod aliquando cecidit in urbe Corduba, & fuit patria Auerrois, lapis magnus die sereno, & quod habuit naturã quasi Ammoniaci, id est, salis non lachrimę, & odorem sulphuris, & q̃d Auicenna uidit illud, & quod fuit ueri simile. Sed mirum est quod narret de alio quæ contigerint in patria propria, cum Auicenna fuerit Arabs, & forsan est error in nomine Cordubæ. Et uult quod fulmen nonnunquam descendat per lineam rectam, & dicit quod fulgura præcedit uentus ualidus, & hoc uidetur in mari, quoniam ante casum fulminis uehemẽter solet agitari. Et quod sicut ex uento ignito fit fulmen, ita ex terræ motu uentus, & quod ex rupta aera post motum illius oritur planta nota, quæ appellatur planta terrę motus, & uentus succedunt illi. Sed redeo ad Aristotelem, ille enim in tertio eiusdem uult, quod fulmen fiat exhalatione dispersa, tenui & repetita, ac multa ex nube: Si autem densior & conuenta, procella: at si aer solum accendatur, aut exhalatio modica sit, turbo accensus aerem ignitione colorans. Ideo si rara sit substantia non adurit, sed transit per mollia ac rara, dura autem adurit ut non denigret, quia moram non trahit sed solum liquefacit, quod autem fumidum est, & humidum, hęret, ut in templo Dianæ Ephesiæ cum secundo arsit à fulmine, cum enim ligno constaret nobili, pluribus in locis flammam concepit, unde adapertis quæ intus continebant ignem, partibus, erumpebat flamma, & ardebant circumiacentes domus, sed & spiritus exibat cum flamma, quoniam fulmina sociant plurimos spiritus, qui & illa antecedũt, & qui sequũtur. Et hæc sunt quæ de fulmine colligere potui iuxta sententiam Aristotelis & Auerrois, nunc ad principales dubitationes transibo.

Cap. 1.

De prin-

De principalibus dubitationibus circa prædicta.

Cap. IIII.

ERgo quatuor circa hæc dubitatione digna sunt, ex quibus duo an sint quærendum est, duo quomodo: nam quod sint ex sensu perspicuū est. An lapis in fulmine sit, & an semper, id est, in eo qui infra descendit, dubium est, & an rectà feratur fulmẽ ad terram, an obliquè, an per plures rectas, uelut per a b c d e. Quomodo uerò ignis descendat, descendit enim saltem aliquando semper enim pars secūdi quęsiti est, & cum tãto impetu. Dicemus ergo ad primam, quod in fulmine, quod urit, necesse est esse aliquã materiam terream, aliter non posset immorari, sicut in lignis domus Io. Cremonensis, qui occisus est cum accẽsa flamma est, nam accensio tempore indiget. Quinimo malè intelligi Aristotelem reor, quod in metallis quæ liquantur solus aer ignitus sit, si portio flammę exigua sit, quod enim accendit, aut urit, aut liquat, moram ut



contrahat necesse est: id uerò fit ✶ partis causa, aut quia aer inflammatus moram trahit, idq; ob latitudinem contingit. An uero aer sit ignis, ut uelle uidetur Aristoteles, aut solùm incalescat, ut credit pater meus, nõ est necessarium, ut à me hic diffiniatur, tueatur ipse partes suas, seu ergo flamma, seu aer inflammatus retentus à metallo, liquefacit illud propter latitudinem. Est autem tanta uis ob tenuitatem ut penetret, & ob motum ex quo ignis ille calidior factus est, est enim ignis igne calidior (de igne isto dico artificiali) sicut glacies glacie frigidior, solidior & durior, quare motus facit, ut sit calidior, & ut magis penetret, & ut magis agat, & ideò liquescit in momento, quod tamen est tẽpus. Et ideò cùm percussi sint à fulgure muri, non potest hoc cõtingere à flamma, quia uel lata uel tenui: flamma autem non pertundit nec terebrat, sed potius aer. Quomodo ergo poterũt fieri foramina longitudine palmi adeo angusta, nam non ab igne, quoniam non erat materia quæ uri posset, nec à uento, euertisset partem aliquam muri, quia uentus latus est, nec ab impetu flammę, quia ille est ab impetu aeris, igitur fuit à scintillis terreis uelut arena. Cũ ergo Aristoteles & Auerroes fateantur, cecidisse lapides magnos, delatos per aera & ignitos, & confiteantur arenã immiscri fulmini, ubi extrema sunt, necesse est etiam adesse media, igitur cum fulminibus cadunt aliquando lapides. Et ad hoc facit authoritas Auicennę & Auerrois supra dicta. Dicemus ergo quod sunt tria genera ful-

minum,unum quod est ex aere accenso, quod euertit & quatit, nec accendit mollia,sed illa à quibus retinet colliquat,& est splendens,& uocatur argetes,& est fulmẽ quod solã deducit arenã,& lapides minutos ualde,& ubicũq; hęserit,accendit ignẽ,& multũ profert fumũ:& si hęserit in lapidibus aut muris, redolet sulphur & fumum,efficit & foramina angusta,& quędã pertranseunt murum. Similiter latiora alia non pertranseũt,& uocãtur psoloenta. Et quædam sunt in quibus adest lapis,tamẽ semper exiguus,quia non posset descendere cum tanto impetu, & cuditur & atteritur illisus,& hunc uocant catebata, quia euertit turres,domos,plantas,quasi immissus à Ioue.Et quoniam emittitur cum tanto impetu,& est genitus ex fumo terreo,nõ est ratio quod sit politus. Cũ ergo illi quorum imaginem secũdo loco expressimus,sint magni satis,& multi ex eis inueniantur,& sint politi: liquet eos esse lapides sui generis,non qui deciderint è nubibus,aut fulmineos, sed neq; priores,nam ea forma est potius manufacta, quã natura aut casu,eo quod uerisimile sit,ut sint rotundi, acuti,asperi,nõ magni atq; huiusmodi parũ æquales, non liquabiles,sulphurei,nullis prędíti uiribus,cũ sint lapides ex sola concretione tum ignis tum frigoris facti,colore fusco inter ferreum & ęreum:graues,nam si leues essent,cum supponantur casu facti, essent molles,& ideo frangerentur,& ideo rarò inueniuntur,tum quia non quiescunt nisi retenti à re dura,& propter id etiam ob impetum uix unquam non frangunt,homines aũt reddentes habere aliquid singulare, uel in pulchritudine uel in forma,& inuenientes frusta radia, abijciunt inter reliqua rudera,aut cum terra ipsa, imò non potest inueniri supra terram nisi turrẽ euerteret.Et non est uerisimile quod fulmen illud quod alternas columnas terebrauit Papiæ, ut narrabat pater meus,ex auditu aui mei Facij Cardani, terebrãtur singulas, tũ quia euertisset illas,tum etiã quod non poterat sinuari in tam breui spacio toties cum tãto impetu,sed lapidis fracti frustula ignita, seu arenam diuisam descendisse,diuulsamq; penetrasse alternatim columnas illas.De secundo quęsito dico,quod experimentũ docet,quod descendat transuersim, quia sic fecit plerunq;.Et quod moueatur iuxta rationẽ initij,sicut uidemus de missis lapidibus funda,& sphærulis per canales seu fistulas, sed quia fert maximo impetu,ideò breuissimo tempore fertur,recta autem est breuissima linearũ.Ergo fulmẽ rectà fertur cum resiliat nubibus,sed quia

uentus

uentus antecedit, et consequitur illud, & est magnę molis, ideo sinuosa uia ferri uidetur, & multis lineis, præsertim quod sæpe resiliat, ut ab initio dictum est.

De fulgetris. Cap. V.

VErum fulgetra sine tonitru sunt, non tamen sine nubibus, æstateq; sub noctẽ apparẽt, quasi cœlo sereno, eaq; lampades appellantur, quasi splendẽtes ab aliquibus, uerisimile est, cũ reflectantur, densum aliquid habere, ueluti nubẽ à qua resiliant, ueluti stellę cadentes intelligit, licet nõ dixerit accendi uapores, uelut in stellis cadentibus, sed in fulgetris resilire splendorem, in stellis cadentibus non, sed fiunt ueluti cœlo sereno, quoniam exiguo tempore, imò quasi momento solo durant. Accenduntur aũt ob uentos, aut quia ferunt in frigidũ aerem, uel ob humorẽ, sicut contingit in calce, cui aqua frigida superfundit, quę accẽditur, & exeunt quãtò facilius in uapore tãto certè, ut tenuior est uapor calce. Sed de his hactenus, cum excedant ꝓpositi nostri intentũ. Non fit aũt tonitru, uel quia ꝓcul, atq; hæc ex his sunt, id est, quæ ad hãc pertinent cõtemplationem, uel quia cum nubes peruia est, nudè tonitrua & fulgura maximè gignit in nubibus. Non igit unum eorũ genus, quanquã uideatur, sed alia fulmina, alia fulgura: ex his alia fulgetra & priorum uentuũ. longius enim splendor cernitur ut è cœlo, quàm fragor audit. Maximi fragores ac strepitus quãdoq; ad C.M. passuum audiuntur, quod in machinis bellicis experimur, rarò autẽ nisi omnia sileant, uel secundus uentus flet: id est, à loco strepitus ad nos, ultra XL. M. P.— auditur, lux autem è cœlo multò altius spectatur. Differt ergo fulgetrum à fulgure, quòd in fulgure flãma defertur infra à nubibus relisa: in fulgetro solus reper cussus: quemadmodum ex remis, sed in fulgetris flamma est, sed non ascendit ad nubes, ideoq; nec descẽdit, & breuior ob id est uisio, in tremis nulla est flamma: atq; hæc fulgetra sunt æstiua, quæ, ut dixi, breuiora sunt fulguribus, tametsi utraq; momentanea: uerum & in his diserimen est, licet exiguum. Non apparent autem prope, quoniã ipsa prima lux uidetur: namq; maior uidetur procul & in nocte, uult dicere, quod prope lumen non reddit maius, & si uidet magis, uidet ignis, qui est illius causa, & est difficilis locus. Sed, ut dixi, hęc propositi nostri rationẽ excedunt, neq; eũ uident esse stellę cadentes, cũ & illas lõgius sine his ferri uideamus.

De uiris egregijs qui fulmine extincti sunt. Cap. VI.

CHore filius Isaac Mosis sanguine cõiunctus, & ex Leuitarũ tribu, dum contenderet cũ Aarone fratre Mosis de sacerdo-

Leuit. 10. dotio, igne cœlesti absumptus est, sed & Dathan & Abiron Aaronis filios igne superno exusit. Et de Aesculapio minime fabulosum est, cum Hippocrates exti, descendentibus id affirmat percussum à fulmine, sed & Zoroastrem Oromasdi filium Bactrianorum regem, artisq; magicæ inuentorem, & Oilëum Aiacem referunt sic periisse. Sed hoc testimonio Poëtarum. Dacer autem tradit naufragio ad scopulos Chæradicos Eubœam, nõ procul obiit. Verius est de Antelemo, cuius Macullus pulchrè mortem describit, ut apud Io. Rauisium, à quo ista accepimus.

De mor. potius quam Hippoc.

Dixerat Antelemo flammas consultus aruspex.
Die cauendas postero:
Credidit, & rerum dubius de mane sub Arni
Delituit Etrusci uadis.
Sed neq; sic fatum effugit. Nam dum innatat Arno
Ictus crematur fulmine.

De Salmoneo non habeo quod dicam, fuerit ne fabula an historia: ex principibus sanè constat Tullum Hostilium III. Aurelium Carum XXXVI. Anastasium LIII. omnes Romanorum domi nos occidit: quanquam de Caro dubitat Vopiscus, ex epistola Iu. Calphurnij: num morbo inter assidua fulmina interierit, an ex fulmine iam æger: sed & rex Africæ in oppugnatione Cosentiæ eodem modo periit, temporibus Io. noni Pont. Max.

De his qui fulminis uim iusto plus timuerunt. Cap. VII.

CAligula alioquin Deorum contemptor, ad fulminum uisionem sub lecto condere se solitus erat: sed magis mirũ de Augusto, qui terror orbis cum fuisset & flagellũ, adeò expauescebat fulmina, ut secum semper deferret uituli marini pellẽ, quod, ut diximus, feratur tutos reddere à fulminibus: sed, si arida tempestas sæuiret, condebat se in abdita & concamerata cubicula. credo, ob flagitiorum magnitudinem, se inuisum Ioui sentiens, aut nullã de mortalibus curam illi esse existimaret, cum se fœlicem inter tot scelera uideret. Quinetiam Cantabrico bello lectica dum fertur, fermè exanimatus est fulmine: eidem, ut dictum est, fulmẽ C. literam adoptiui nominis excusit. Et sane soni notum somnia, & Ciceronis & Q. Catulli declararũt, fulmen uero Ioui tributum. Et fulgur & tonitruum etiam si nihil lædant, tamen quosdam adeo terrent, ut extra mentem excutiantur, unde mors aut stupor sequitur perennis, prægnãtibus abortum efficiant, & qui nascuntur lunatici euadunt, uinum in dolijs perturbat, teste Philosopho, oua fo corrumpit, strauit arbores & cacumina ædificiorum, etiam solum absque fulgure tonitruum, ob motum uehementem aeris, quidam

Alexander Probl. 88.

quidam in posterum stupidi euadunt. Fertur sonus ille quasi per confractum, et orbẽ, ut inquit Bartholomeus Anglicus in libro undecimo de Proprietatibus rerum, & est similis rotæ uersatæ in loco inæquali: quia plurimum stridet, ob cauitatẽ nubium & earũ inæqualitatem, in crassitie, forma, & densitate. Idẽ refert, quòd si ad tonitruum nõ sequatur, nocet floribus nuper natis, & etiam arboribus. Plinius refert, oppidum Volsenij in Tuscia ex fulminis casu totum conflagrasse. Parua res est, cum uel casu simile fortuito similia acciderint in oppidis, quæ tota constat materia lignea. Sed neq; sepulchris nobilium uirorum, fulminis uis pepercit: referunt enim Lycurgi Spartæ legislatoris, & Euripidis poëtæ, tum Iuliæ C. Cæsaris filiæ sepulchra, ac Entini Horatij coectis Probi Imperatoris, tum Taciti ac Floriani statuas ab eo tactas, forsan præsagio claritatis nominis eorũ. Constat etiam quosdam rusticos sedentes ad mensam sub arbore, uno ictu fulminis exanimatos: post tempestatem, tanquam uiuerent, iuuentos in mensa eodem ordine discumbentes, ut solùm quia tacerent nec moverentur, deprehensum sit mortuos esse. Cap. 13. Cap. 15.

De præcipuis prodigijs fulminum. Cap. VIII.

VIres eorum in publica damna aut fortunam non ultra xxx. annum nisi in dedicatione ceciderint, in priuata, nõ ultra decem nisi die natali orta aut confirmata, uel nuptiarum, tunc enim perpetua promissa esse solent. Diuiso orbis ambitu à septentrione donec ad eandem partem redierit circinus: in partes sexdecim: quæ ad dextrã prima est, si in eam decidit fulmen, ac rursus redeat felicissimum augurium existimarũt Etrusci aruspices, eiusmodiq; accidisse Syllę Dictatori referunt. Fulmina quæ quassant & euertunt omnia, prodigiosa, quæ flammam letam & perennem accendũt, gloriam & honores præsagiunt. Fulmina, ubi prope & in loca publica, & tua deciderint, ad te pertinẽt, aut pertinere possunt, & ad tuos. Meliora sunt, quæ inchoantibus nobis aliquid decidunt, quasi numine cœlesti fauente, & si mediantibus, non autem agentibus, impedire uidentur cogitata. Hæc quidem naturali ratione, non ut quicquã ex obseruatione sit multo minus, ut ad Demonte referatur. Cum uero ante deciderint, stultum fuerit tentare fortunam, cum fulmẽ progredi uetet, sed & post infaustum uidet, quod mala multa prę stare possit, iuuare non possit. A' latere faustius censetur, quidam à læua, quidam à dextra. Si feriat plantam, etiã infaustum habet, unde illud Vergilianũ, rusticũ introducẽtis:

Sæpe malum hoc nobis si mens non læua fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Et ſi arborem utilem & lętã lędat, deterius eſt, ut oleam, uitem, oliuã, ſimiliter ſi odioſam, ut toxicũ, nucem, ſambucum, rubũ, buxũ, cupreſſum, hæc em̃ funebris eſt. Sed in ędificia priuata aut publica, niſi lætam excitet flammã ſecus malorum prænuntiatiuum eſt. Fulmen lętum cum in irritum cadit, aut in plantam nõ utilem, ſed ſolũ iucundam, ut in ſalicẽ, & populum, malorum etiã prędnuntiatiua habeatur, quæ animalia occideret, præſertim manſueta & utilia, uelut equum aut bouem. Si fulmẽ abſq; tonitru decidat, aut tonitru audiatur, nec fulmen apparet ominoſum eſt. Sed hoc ſem per malũ illud perſæpe glorioſum, & boni operis indiciũ. Quid enim boni, ſtrepitus ille per ſe afferre poteſt, obſtupeſcere homines ante fulminis ictum, & multo ante, contingere ob id poteſt, quod ab ortu una & eadẽ cauſa utriuſq; fuerit, uelut ſydus quoddam maleficum cum luna iunctum, non potui hoc obſeruare ſæpius, ſed illi Io. Cremonenſi præfecto olim peſtiferi, licet per multos ante annos hebetudo illa & inertia ad omnia inerat.

Cur fulmen deſcendat cum ſit igneum, & cum tanto impetu.
Cap. IX.

POrrò propoſitis quatuor quęſtionibus cum duabus ſatisfecerimus reliquum eſt, ut alijs etiam reſpõdeamus, cum enim ignis qualiſcunq; natura ſit, ſurſum ferri: cur hoc ipſum deorſum ferẽ? Videtur aũt triplex ratio, aut una, aut duæ è tribus, uel quoniam aſcendens & reliſus à nubibus, uelut cõtraria ratione & aduerſus naturalem impetum, pila à ſolo ad ſuperna feratur, nec leui impetu, alia concepto primo impetu, uel quia pars aerea ſit, aut etiam terrea, inde cõtinuato motu: uel quoniam ab aerea ipſo, qui ſecum defertur, impetus originem habeat. Illud autem cõſtat, ob multitudinem & magnitudinẽ denſatis nubibus relidi, quod ueriſimilius eſt: tum quia ubi dẽſiores ac nigriores ſunt nebulę, tum decidunt fulmina uehementiora, & quæ ædificijs & arboribus magis infeſta ſunt: tum quia idem exemplum in machinis igneis uidemus, ſphęrula enim illa quandoque ponderis centum quinquaginta librarum, aliæ autem multo maiores & grauiores, quas mortaria uocant, quæ quingentas pondere excedunt, ſupra uibrantur ob ceptum impetum. Si quid uero graue ineſt, delatum infra impetum acquirit, ignis autem cum re graui iunctus, non ſurſum trahit, ſed deorſum rapitur: nam neq; pruna, neq; corpulentorũ aliquod ignitũ ſurſum aſcendit, ſed omnia deſcendũt. Quid igitur mirũ eſt, ſi fulmen deſcendat, quod concreuit ex ter-

reo

reo,& reliſum eſt à ſuperiore parte, & quod uentorum impetus deſcendentiũ & preit,& ſociatur & impellit. Apparet enim experimento uentos cũ diu ſupra ſæuierint,poſt deſcendere,ſeu quod aeris natura hoc poſtulet,ſeu motus illius ratio tanquam circuli, eſt enim uelut elice linea,ſeu ſpiralis, per quam fertur, ſeu ob uapores qui ab aeris impetu,primum dum uenti flant,ſuſtinentur: inde eo langueſcente deſcendunt,ſed cur cum nõ anguſto ſpacio contineatur fulmen,ſed adeò amplo,nec ualde procul deſcendat: referũt enim taliũ rerum periti, nunquã altius duobus M.P. deſcendere talium impetus aquirat,ut nihil obuiam uim eius ſuſtineat. Et mihi ſane uidetur id contingere poſſe,quod latera & ſupremũ nubium, nõ poſſunt adeo cogi celeriter ut cedant: ideò fertur infra tanquam à duriſsimo corpore reliſa flamma,quoniã nihil durius naturæ legibus & ui: cogebatur enim corpus penetrare corpus. Id ergo ne fieret, relidit maximo impetu,alia cauſa impetus eſt uentus potens, qui partim ant ecedit, partim comitatur & ſequitur. Tertia eſt lapidis aut arenę deſcenſus,per tam lõgum ſpacium unius ſaltem miliaris,& eſt non paruum. His omnibus cauſis ſimul iunctis,impetus ille meo iuditio fit.

Vide 3. de ciſ. aquis & locis, Com. 19. he. 46.

De naturali ſignificato fulminum. Cap. X.

FVlminũ duo naturalia præſagia,trium ſunt generum aut cauſarum,unde etiam effectus & cauſarũ ſimpliciter & effectuũ: & cauſarum quidem, ueluti quod ab aſtris fiunt,utpote à tranſitu uel cõiunctione,uel eclipſibus,uel cometis. Hæc aũt calida, ſicca, mutabilia, potẽtia, agitant elemẽta,& uiuentia,& inter cætera homines,ex quib. cõſtant leges,urbes,prouincię, regna. Vnde perturbatis uehementer his omnibus aut plurib. ſterilitates,peſtilentię,terræmotus,inundationes,ſeditiones,clades,euerſionẽ regnorũ & urbiũ contingunt. Et ideò perſæpe contingunt,& non uno modo,& magnę,& mediocres & maximę,& diuerſæ,& quãdoq; nullę,& tũc putãt uates eſſe deceptos, cũ hoc ſit ex natura ipſa rerũ. Ex cauſis aũt, quia eſt exhalatio ipſa praua,& nonnunq; maligna,et quãdoq; pernicioſa. Et ideò ualde noxia ſi pluuia nõ ſuccedat,& quantò maior eò tutior eſt. Et ideò animũ aduertere decet quanto plura,& maiora, & longiora fuerint tonitrua & fulgura, & quantò pluuię minores fuerint, eò maiores erunt effectus & morbi acuti. Et quando fuerint extra tempus, ut in profunda hyeme, cauſa enim maior erit, & talia ſignificant hæreſes, & ſeditiones populorum & calamitates,ſed ex effectu, quoniam aduenientia fulmina debilitant mentem hominum,& ſtuporem,ut dixi,indu-

xi,inducunt.Et conijcere etiam licet ex his tempestates in mari,& grandines & euersiones arborum & urbes,in quas decidunt fulmina frequenter,& euertunt ędificia,graues patiuntur dominos aut seditionem, aut utrunq;.

De antiquorum præceptis circa hæc. Cap. XI.

ANtiqui solebant fulmina expiare,hoc profanum est,sed licet supplicare Deo ubi noxia sint,atque cauere ab improbis factis,aut enim auertet,aut pensabit bonam operam, nihil enim in irritum cedit, quod ob pietatem fit.Fulmine ictos cremari in funere Romani prohibuerũt,seu ut semel igne tactos,seu quod diuino igne digniores uiderentur,seu quod tanquam malefici à Ioue percussi,indigni regio honore existimarentur,nam cremari apud Romanos in rogo pro honore habebatur: nec is aduenis aut inquilinis,aut seruis exhibebatur.Loca uero fulmine icta sacra & religiosa habebantur,nec ullius erant in posterum, sed confestim publici iuris,quod ea sibi Dij uindicasse uiderentur. Existimabant etiam ueteres euocari posse fulmina & auerruncari,& errore in sacrificio admisso periclitari sacrificantes, illa uero Ioui tanquam Deorum potentissimo dedicarunt.Constat quoque fama ea fabricari à Vulcano per ministros,Brontem tonitru, Astrapen,id est,fulgur,ac Pyracmon,id est,ignem multum,quod impurus sit à Ioue,id est,cœlo repellatur ad terras, fuliginosa enim illa materia magno impetu descendere ab Aethere, id est,Ioue dicitur:unde illud Horatianum:

Iam satis terris niuis atq; diræ
Grandinis misit pater,& rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit urbem.

An fas sit hominiu Christiano huiusmodi fidem præstare. Cap. XII.

IN omnibus causis spectare oportet finem,& mandata,quæ naturalia sunt,& utilia sunt, his uti conuenit, quæ autem ad dæmones pertinent,aut mala aut fabulosa.Quæ ad Deũ his uti syncerè conuenit,quæ uero ad malos usus,omnia mala etiam. Ergo diuinatio de morte alterius,ut principum,aut si hæreditatem expectes,etiam per concessam artem,non licet huiusmodi quærere, sed obseruanda sunt quæ ad naturam, & ad securitatem sunt sui suorumq;,& ut in uniuersum dicam,quæcunque superstitiosa curiosa, aut ad malum finem spectant,uitanda sunt.Cum enim fidem adhibueris quibus non debes, quibus debes detrahis, & uanitatis consuetudinem amplecteris, qua nihil potest esse deterius . Ergo fulgurum rationem & tonitruorum expendere

dere oportet,ut naturalium euentuum,uel si homo in talibus hallucinetur,uel etiam ut morbi sunt. At quatuor fulminum & tonitruorum rationem considerare oportet, & etiam aliorum cum non naturalia uidentur,aut modum naturę excedunt,uelut si sine fulgure tonuerit, si sine tonitru fulgur feriat aliquam partem, si percusserit nec occiderit,si cumnas infantis eroserit, nec occiderit,si ensem consumpserit alicuius,nec uaginam attigerit,si turrim funditus euerterit: hęc enim quanquam naturalia sint,sunt tamen immodica,uereri oportet,& obseruare non ut dæmonum præstigias,nihil enim fit absq; Dei uoluntate,sed ut naturę arcana, neq; enim natura nos omnia scire uoluit,nec quæcunq; nesciuntur ob id non sunt,aut natura efficere non potest,uanum est cogitare naturæ maiestatem humano arbitrio esse subiectam, & metiri illius uires Deum iuxta nostram æstimationem, cum turris arcis urbis nostræ fulmine percussa est, adeò ut conuellerentur omnia & diruta fuerit propemodum tota arx & lapides per duo M.P. excussi,ui pulueris illius. Pyrij auxilio, Galli, qui tum regnabant, tum depulsi sunt à dominatione, nec in posterum ut uideo spes est ulla recuperandi,& nunquam, quam nūc minorē uideo. Agrestem coruum qui mihi lancinat uestes, & uerebor non dubitare, sed uitam meam æstimabo,sanctis sancta omnia, iniquis iniqua, & illusiones: hæc est de homine Christiano mea in huiusmodi sententia,quam tamen melius pensitari uolo ab his qui sanctam Romanam Ecclesiam gubernant, nam de illa uerè dici illud potest:

Scire tuum nihil est,nisi te scire,hoc sciat alter. Imo melius:

Scire meum nihil est,nisi scire hoc comprobet alma Ecclesia

Quot modis hecaria aberrare. *Cap.* XIII.

TRifariam autem cum contingat aberrare,aut omnibus fidem adhibendo,aut nullis,aut quibus oportet ne adhibendo,adhibendo uero quibus non oportet, quod est omnium pernitiosissimum,reliquorum duorum periculosius est, & non solum magis impium præstare cunctis fidem. Sed omittamus pro nūc pietatem,& quæramus nunc euentus. Duorum fortunatissimorū uirorum, patrui magni ac nepotis similiter,C. Cæsaris & Octauij (namq; Octauius fuit nepos Iulię Cęs.sororis,nam de adoptione qua factus est filius eius,nunc sermonē non habeo) patruus cuncta spreuit,nepos omnia obseruauit,uisusq; est felicior longe Octauius longa dominatione,& quoniā posteris suis Imperiū reliquit. Sed & Tiberius,cum nihil horum sperneret felicissimus fuit, adeo ut per eam felicitatem miserrimus uitijs euaserit,sed aliud est

fortuna

fortuna quàm uirtus. Vespasianus quoq; talium diligens obser-
uator Imperator ex priuata fortuna, & haud dubiè ex hac obser-
uatione euasit reliquitq; Imperium duobus filijs, quos post se
imperaturos palam prædicabat. Multi quoq; alij ad magnas res
peragendas & consequendas his sententijs euecti sunt, uerum
antequam nascerer audiui à patre meo Ludouicum Sfortiã his fi
dem plusquàm expediret dantem, unum fermè Italiæ Principem
regno spoliatum pro ridiculo habitũ, in carcere apud hostes post
septem annos diem obijsse. Quid ergo, an dicam melius esse, his
quæ uideris tu fidem præstare quæq; uidentur missæ à Deo, sed
non his quæ ab adulatoribus suggeruntur, ut nõ sit crimen artis
sed eorũ, qui artem sine arte profitẽtur, ob id si uanitatis omnem
suspitionem effugias, & naturalibus rationibus fidem adhibue-
ris, melius est obseruare quod caueas non quod poteris, sed ubi
in periculum uanitatis incideris, uide in quot mala incurras. Pri-
mum quidem impietatis, quod & maximum est, Deum legemq;
illius & præcepta saniora relinquendo. Deinde deceptus uana
spe, plurima & maxima subibis detrimenta, dum naturalibus &
humanis rationibus præsidijsq; relictis in stultis & ineptis expe-
ctationibus confides. Sed & maximam ansam fallendi tuis præ-
bebis hac illis præstita occasione, tum uerò ad omnia momenta
plenus spe ac timoribus cuncta subuertes, manante autem cuius-
modi fama in cõtemptum omnium deuenies, amittesq; omne ro
bur potentiæ in quacunq; conditione uixeris.

De tonitru & causis eius atq; effectibus.
Cap. XIIII.

SOnitus quidam est tonitru quod in longum producitur non
solum ea causa quæ omnibus nota est lacerata nube per lon-
gum spacium, cum enim aer & nebula cedere loco non tempesti-
ue possint, partes quę densatę sunt duri locum habent, neq; enim
strepitus magnus fieri potest, si liber pateat exitus, & etiam quia
acutus redditur sonus: at magnus & grauis fit ex amplo aere cum
in rem duram inciderit, & eliditur, uel cũ è loco amplo simul exit,
ut in machinis bellicis igneis experimentum docet, sed quia aeris
transitus lentior est quam lucis, soni autem quam aeris. Videtur
enim sonus alius esse cum aeris motu, alius specie quadam multi-
plicari, nam ex cubiculis diuersis uox non solũ auditur, sed etiam
uerba intelliguntur quamuis intercedente muro. Nec ueri simile
est eundem aere deferri, quando quis per longum arundinem al-
teri in aurem insusurrat, ex ore simul cum uoce in aurem, sed po-
tius

potius commoueri continuitate ſtatim totũ uelut in baculo cum percurrit murum b k in i non a fertur in l, ſed in b, tamen b in c, & c in d, & d in e, & e per f, g, in l, ita per ſucceſsionẽ fit motus omnium partium, non quod a perueniat ad l, ita de aqua fluminis & aere fieri reor. Cum ergo hic productio ſoni tardior ſit quam luminis, ideo ſonus tonitrui longior eſt uiſione fulminis, quæ momẽtanea eſt. Et tertia cauſa eſt, quod cum recipitur in auditu, recipitur ſucceſsione quadam, & tardius, quam feratur per aerem, adeò ut quod momentaneum eſt longum reddatur. Et etiam quoniam ſoni impreſsio remanet ceſſante percuſsione, non autem lumẽ, nec quicquam eius ceſſante luce, quamuis ſonus ſe habeat ad percuſsionem & ictum, uelut lumẽ ad lucem. Et ſonus ipſe eſt aliquid præter ictum & motum aeris, ut dixi, & etiam præter id quod ab aure ſentitur, quia lana non ſonat, & ſi moueatur aer ex illius percuſsione. Et motum percipiunt ſurda, non ſonum, ut apes & uermes. Tonitru ergo cum ſcindat etiam dura corpora, ut ait Ariſtoteles, dubium eſt an illud agat abſq; motu aeris, & an tonitru moueat aerem, ut ſit triplex quæſtio: ſcilicet an tonitru ſcindat uitrea uaſa & marmora, propter motum aeris ex quo fit: Et an ipſum tonitru dum ſonus diffunditur pariat motum in aere, quo talia findantur: Tertio an ipſe ſonus hoc poſsit facere per ſe, cum enim non ſentiamus aerem uiolenter moueri, & hæc etiam in cubiculis clauſis accidãt, & repente contingant, neque fient à motu aeris, nec ab alia qualitate. Nam quod homines ob tonitru obſurdeſcant, clarum eſt, & quod in pecoribus ſint cauſa abortus ob timorem, hæc enim cauſam habent non obſcuram. Verùm quomodo durâ frangantur, aut tubera naſcantur, non eſt adeò manifeſtum. Plinius exiſtimat tonitrua matutina uẽtos, meridiana imbres denuntiare. Refert Plinius contractum ſic labyrinthum Aegyptium, ut aperientibus quaſdam portas tonitrua terribilia intus excitarentur, quod minime mirum eſt, mole magna & in obſcuro nexibus ac rotis arcte, ut reor, impactis. At ut ad rem redeã, eiuſmodi dura ſcinduntur ſympathia quadam, ſeu antipathia, potius quam aeris motu, ut in ſignis & ſtatuis ſaltantibus.



2. Cœli. Tex. 53.

Lib. 3 8. cap. 136

Vana esse quæ de quibusdam feruntur, quod à fulmine non tangantur. Cap. XV.

Cap. 2. DIximus supra, quædã esse quæ à fulmine non tangantur, uitulum marinũ ex aquaticis animalibus, ex auibus aquilam, credo ob id quod dicata sit Ioui, nam altissimè uolat, uel quia nõ tangatur à fulmine, uel quoniam superet, aut omnes quas Dñs assimilaret, ob id Ioui dicatam. Sed & laurũ inter arbores, quod Apollini sacra censeatur, aut ob id quod perpetua fronde uireat, uel quod odore pestilentiam arceat, uel quod puluinaribus supposita uera reddat somnia, seu quod ignibus imposita crepitet, ac quasi responsa reddat, diuelletq; flammam in partes augurio futurorũ, aut quod calida sit plãta & Soli amica. Cõstat sane uates Apollini sacros & sacerdotes, & duces etiã in triũpho apud Romanos lauro coronari solitos, sed neq; ficus arborem, & ut diximus, nec hyenam inter quadrupedia, neq; ex lapidibus hyacinthũ, imo nec ipsum fulguris lapidem, adeo ut sint in uniuersum septem. Primum ergo à uitulo marino auspicemur, quem dico absurdè eximi ab hoc periculo, absurdius uero pellem, quæ res est inanimata, cui nulle sunt uires, ut pater meus me pluribus rationibus docuit, sed agamus de ipsa belua, quam referũt in mari degere, aliquãdo extra dormire profundius in scopulis, cuius pellis uersicolor est. Quæro igitur primũ, quo argumẽto deprehendi potuerit, ipsam non tangi à fulmine, id enim uel ratione, uel autoritate, uel experimẽto cognitum esse debet. At primum experimento nullo id potest probari quod satisfaciat, nisi ad quædam coarctetur. Dicere enim uitulum nullum marinum fulmine percussum, quis uerè potest? quis uidit omnes uitulos marinos? quis obseruauit omnes tempestates, omnia fulmina quæ à condita orbe in mare in scopulos ceciderunt? sed fac, quod esse non potest, ut obseruatũ esset in Italia, in Græcia, quis in Asia, in Indico pelago obseruauit? Sed fac ut obseruauerint, quod nondum accidit, quid prohibet ut in futurum accidere non possit? alea nõ terna puncta tota hac die protulit, ergo securus sum quod non dabit? Sed nemo uidit ictũ uitulũ marinũ fulmine: quot alia sunt quę nemo uidit percussa à fulmine, an ideò dicemus immunia? tot plantæ, animalia, lapides, si quę nunquam tetigit fulmen, ideò tuta dicenda sunt à fulminibus? in utraq; urbe decem millia erunt ædium aut conclauium à fulminibus tuta. Idem de herbis & animalibus, si quod animal sit marinum, quot pisces, quot piscium species, quot genera erunt non solum tuta, sed longè tutiora uitulis quæ in terram prodeunt, cũ illa

toto

toto ſuo genere, imo, pfundi maris inhabitent, illa ſane merito tutiora dici poterũt. Excipere decebat omne piſciũ genus ſic dicenti. Si inter quadrupedia illud enumerare uelis, & quæ inhabitant terram, & ranas & teſtudines, eo iure teneri dicam. Reliquum eſt igitur ut dicãt è tribus unum, uel quod ictos fulmine uitulos marinos affirment, ſed haud interĩſſe: at hoc neq; ipſi dicũt, nec ſi dicerent, ueriſimile eſſet: nec ſi concedatur, adhuc ſatisfaceret quæſito, neq; prohiberet homines quin fulmine tangerẽtur, nec eadem eſſet fortuna hominibus ictis, ut ſuperuiuerent, quæ uitulis marinis. Aut ut dicant multos inter uitulos cecidiſſe fulmina, nec ullũ ex illis attactum eo, cum accidere rarò, accidiſſeq;, ſit neceſſarium. Quo argumento id aſtruere poſſumus, nunquã contigiſſe? nam inter armenta aliorum generum perſpici facilius potuit, quæ in terra perpetuo degũt, cum uituli ſolùm, dum dormiunt, aut dum pariunt, idq; tempus fermè non ultra duodecim dies extenditur, in terra maneant: nec credendum eſt, dum ſequit tempeſtas degere illos in terra, aut dormire: tametſi ſoleant alioquin profundo dormire ſomno, quod pluuiam, aquam nõ ut marinã ſalſam, & ob frigidiorem & poteſtate & actu oderint. Id etiam accedit quod difficile ſit perſpicere, quo loco fulmen deciderit, nam ſæpe flamma uno loco uiſitur, in alio decidit fallẽte ſenſu. Tot igitur cauſis obſtantibus, haud ueriſimile eſt ob hoc natam eſſe huiuſmodi opinionem. Tertiam coniecturę rationẽ obĩcere poſſunt, quod multis fulminibus cadentibus non tactus ſit uitulus aliquis in littore dormiens. at ex hoc quis ſanus mente id conĩcere poſsit, non tangi fulminibus uitulos? nam, ut diximus, & Octauio in itinere fulmen prope decidit, occiditq; itineris ducẽ, & auum meum (ut aliquando à patre audiui) proſtrauit, dum eſſet puer: nõ tamen tetigit, cum in arborem prope decidiſſet. Nec tamen dicendũ eſt fulmen homines aut pueros, aut hos uel illos non poſſe attingere. Neq; id ratio ulla ſuadere poteſt cum fulminum ratio & caſus, ut Plinius inquit, fortuitus ſit. Tum uerò ualde abſonum eſt, ut hoc animal inter cætera delegerit. Vulgata fama fuit de hoc, ſed nullo tamen præcipue authore. nam Ariſtoteles adeo diligẽs in huiuſmodi inuentionibus hoc non dicit, cum tamen obſeruauerit, & quod in terra degat, dũ parit, ſolùm duodecim diebus, & quod, præter morem aliorum animalium brutorum, nullũ tempus, aut cõceptus, aut partus, prę cipuum habeat, ſed omni tempore anni uelut homo pariat, & quod linguam biſidam habeat, & anteriora aura ſimilia humanis humeris, & multa alia eiuſmodi. Quare per

absurdum est hoc commentum, & fabulę simile. At de lauro falsum etiam esse constat, nam ut audiui dum puer essem, sub Paulo tertio Pontifice max. lauri icti sunt, in uiridiario quodam Romæ. sed et aliàs audiui. nec qui adeo expauerũt fulmina, uelut Octauiũ aut Caligulam legimus imminente tẽpestate lauro coronari solitos. Minus etiam de aquila crediderim haberi huiusmodi experimentum, quis enim hoc potuit obseruare? Quod si uerum sit, id contingere posset, ut illa naturali quodam instinctu & prępeti uolatu, dum imminẽt tempestates, effugiat. De hyęna etiam admirabilius est, cum penè ignotũ sit animal nostris tẽporibus, quod solum inter quadrupedia referũt imitari uocem humanam, quanquam Apollonius libro secundo de Singularibus, referat animal quoddã pro hyæna longè aliud ab eo q̃d ueteres depinxere. Vtcunq; sit, tam hoc incertũ est, c̃ꝫ ullum aliud, cũ uix uidere eam nobis cõtingat, nedũ talia obseruare licuerit. Sed si ideſt q̃d in Aegypto ostenditur frequens, minime id illi priuilegium esse prædicãt Aegyptij, adeò ut utcũq; te uerteris in foueã decidas. Sed neq; de ficu uerum est, cõstat enim plures ex hoc genere plantas fulmine ictas, sed cum humilis sit arbor & latis foliis, raro præterc̃ꝫ in foliis ipsis lædítur, ideoq; latet plerũq; ictus, qui et rarus est, ut etiã in lauro, quæ & ipsa humilis planta est, & pręter id utraq; ad meridiem seri solet aut plantari. De lapidibus illis alter quidem, cũ neq; sit fulminis mera fabula est, hyacinthi, si uerũ etiam sit, nulla ratio reddi potest. Cum ergo nullius eorũ uerisimilis sit historia nisi forsan de aquila, cuius si uerũ est (quod dicitur) uolatus adeò celer causa esse potest, cum hac uia effugere fulmen homini non liceat: totam hanc narrationem fabulę parum absimilẽ esse reor, certe parum utilem, nisi ut securitate mentita uanos timores euitemur, ut certioribus auxilijs fidendum suadeam, qualia sunt concamerata sub terra: nam hæc sit probe profunda fuerint, & prope duplam hominis altitudinem multa terra contecta, omnino tuta sunt, ut solum in uita sepultis hoc auxilium pateat.

De fulminum, & fulgurum, & tonitruorum propria generatione. Cap. XVI.

NOndum autem constat, quomodo istiusmodi fiant, & prędi puè quomodo ascendant uapores hora generationis fulminum, tum quia eo tempore solis uis minime uiget, sed frigidus est totus aer, etiam ęstatis tempore, & nullus sentitur odor uriginosę exhalationis, neq; omnes ob id ægrotant, neque perspicuum est, quando lapides descendant, aut non, & an plures an unus, & cur sæpius fulmen decidat in eisdem tempestatibus, & non semel, & cur

cur uno tẽpore magis quàm alio, & in una regione magis quam in alia. Ergo pluribus diebus triplici exhalatione ſuperius attracta ob calorem ſolis, & propterea maximè in æſtate fiunt, atq; in ea ardentiſsimis temporibus, cum quod aſcendit tribus ex partibus conſtet aquea, tenui terrea, & terrea craſſa. Statim partes hę ſe parantur, & quod craſſum eſt remiſſo calore, uelut per noctem, & circa crepuſcula deſcendit: reliquę partes duæ tamen à ſolis calore reliquo, tũ à uentis & aeris motu, a quo uidemus plumas ſuſtineri, & floces, retinentur. A' calore, aut ſolis feruente horis meridianis excoquuntur plurimis, ac dixi, diebus. Neq; em̃ ut ad longum tempus huiuſmodi fieri poſſunt, ſed ſi continuè fiant pluuię aut ſiue fulminibus, & fulguribus, & tonitruis decidunt, ſicut ſæpe contingit in ęſtate, dum pluuię nubes perſeuerant: aut aliunde per uentos collectæ deferunt in alias regiones, & ne ulterius procedant ab aduerſis uentis retinentur & decidunt. Multorũ ergo dierum cõcoctione facta in aqua, quod craſsius & humilius perrorẽ aſcendit in noctem, reliquum magis attenuatur atque concoquit, & ob id aqua pluuia ſaluberrima, ut dicebat Hippocrates. Quod uero calidius erat & ſiccius exuritur, & pars quidem quæ uſq; ad frigidam regionem attingit, à frigore ignita præſertim & noctis tempore deſcendit, ſpeciem referens cadentis ſyderis: reliquum totũ, ſuperuenientibus uentis ualidiſsimis, cogitur quaſi per lineas & trabes, & humidum quidem, quia magis cohæret in unum corticem, uero in plures partes diuiſum, dũ humidum refugit, & ipſum cogitur in inæquales formas, atque figuras trabis, atq; molium, & retundarum, & aliarum formarum inæqualium. Signum eſt autem humidum nõ coire ſicco, quod aqua ſparſa ſuper terram, quæ in tabula ſit arida ualde, aut cinerem, glomeratur in guttas, ut ſiccum refugiat, atq; eo magis ſi ignearum uirium ſit, ut de cinere & calce, quoniam humidum cõcretum, ſicco præſertim in tenuiori non committatur, ſed ſolum, ſi uel diuidatur, uel humidi aliquid ſicco prius in exiſtat, uel ipſum ſiccũ grauius fit, & in puluere redactum. At horum trium cum nullum ſit in exhalatione, iam exacta neceſſe eſt concurrentibus uentis. Nam niſi cõcurrant ultrà deferũt nubes magna uelocitate, nec concreſcũt, nec denigrantur, nec deſcendunt, nec fiunt fulgura, neq; tonitrua, ſed manifeſte uolant, ſicut perſæpe uidemus in ęſtate atq; in primis manifeſte: tum uero retentę ab alijs uentis, quorum impetũ ſi quis non uideat, aut non intelligatur, nec etiã his quæ hic ſubijciuntur credere poterit. Atq; ob id nec intelligere, ſed fabulas eſſe

existimabit. Audiui em̃ à patre meo olim dicente, dū puer essem, quod cum uenti essent in Apennini iugo, nec dum ualidi, ut referebant incolæ, pileum quidem illius uelut sagittam ex arcu emissam longius transtulerūt recta linea, ipsum uero cum equo eleuarūt, ut nunquam maiore in timore aut periculo se fuisse meminerit. Horum igitur impetu & frigore immenso accensæ portiones exhalationum, si puluis non adsit, descendunt, & lacerant nubem maximo cum impetu, tonitruq; efficiunt & fulgur, & ob id rectè inquit Aristoteles, resilire fulgur ex nubibus, quia altius non potest procedere, sed à nebula densa retunditur. Negauit etiã recte, causam impetus fulguris esse, quod resiliat à nubibus, id est, quoniam non ascendit à terra tum uapor ille, neq; ab inferioribus partibus, sed est in ipsis nubibus immixtus per ampla spacia, ut dixi, & fertur per lineas æquidistantes, quasi ipsis nubibus & terra à uentis: cum uero causis adeo uehemẽtibus accensus, & hinc inde concussus nitat in nubibus, & statim descendere incipit, & tonitru excitat. Incipit autẽ tonitru ante descensum, dum ignis ipse in nube diffundit, & ipsam lacerat, hicq; primus sonus. Secundus dum inter nubes descendit & emittitur. Tertius, dum fulmen per aera fertur descendendo, atq; hic stridulus est, uelut & lapidis, qui funda cum magno impetu fertur, secundus uerò est bombus, uelut cum sphæra metallica, uel lapidea exit è machina ignita. Tertia est asper & inæqualis, & est è genere crepitus, uelut cũ frangun tur tabulæ, atq; omnes bisoni, quoniam perdurant in aere ueniũt ad nos simul missi cum magna inæqualitate, qualis apparet in tonitruis, ipsum uero fulgur sine lapide aut arena. Et ideo fulgura eueniunt in locis planis, fulmina uero in locis mõtuosis: nam flantibus uentis, præsertim adeo potentibus, eleuatur puluis ex montium cacuminibus & lapilli & tegularum partes, & lignorum simulq; hinc atq; illinc, & propter uehementiã uentorum, & partes humidas, per quas transeunt, coguntur in lapides diuersos, neq; eiusdem formæ, neq; magnitudinis, neq; similes, imò magna pars sub arenę specie manet, descenditq; totum simul amplum occupans spaciũ, feritq; diuersa loca: & ideo in uno fulmine plures cadunt lapides, & spargit multa arena, & si qui lapides sint magni, & impingant in loca dura, uelut montes, rupes, saxa, turres, franguntur omnino, & dissipantur, aliter enim fieri non potest in tanto impetu. Sed si in ędificia & muros simplices, & non per longũ, sed transuersim: tũc qui duriores sunt integri manent, aut parum atteruntur: qui molles etiam comminuuntur. Ex his uerò qui cadunt

dunt in terram, & in arbores, plericq manent integri, aut solum di uiduntur. Similiter et in una tempestate seu pluuia, plura decidũt fulmina aut fulgura, quia, ut dictum est, plures sunt exhalationes, & una post aliam accenditur, & aliquando duæ simul, & descendunt. Cum ergo in una pluuia puta quatuor horarum multa descendant fulgura aut fulmina, & in uno fulmine aut fulgure multi lapides, & lapidum partes, & multa arena: ideò in una pluuia, seu, ut ita dicam, grandinatione multi effectus contingere solent diuersis in locis. Hic soluam duo, restat unum ut admoneam, maxima fieri fulmina aut fulgura, temporibus ualde ardentibus, & cum diuturni ardores & siccitates processerint, et cum uenti maxime sęuierint, & nubes nigræ fuerint, & iam descendere incipiunt, tunc enim magis relidunt fulmen aut fulgur, ob duplicem motum descensus nubium & concursus uentorum. Alterum quod nebula à uapore separatur antea longo tempore & spacijs manifestis, ob adustionem quæ illam exsiccat exhalationem.

Cur fulmina cum grandine semper, cum pruina nunquam fiant, tametsi aliquando per hyemem coũtigerint. Cap. XVII.

EX his igitur patet, cur neq; nubilosis temporibus, neq; ualde siccis, cadit ros, in his enim absumitur aut dissipatur & sursum trahitur, in illis autem non cogitur, neq; concrescit, aut iam attractus uapor concreuit in nebulam: similiter cum grandinat necesse est, uehementẽ fuisse motum uentorum & attractionem uaporis ad superiora, ut grãdo cogeretur. Quare & fulmina aut fulgura fieri, quando cum agens causa tum adsit, materia nunquam uapor scilicet exustus deesse non possit. Nam si dicas non adesse uaporẽ, quod pridie & nudius tertius multum pluerit, neq; uenti adsint, qui aliunde eleuatum eò detulerint: & ego tum dicã neq; grandinare posse, quia tam breui temporis spacio sine uentorum auxilio concrescere non possit humor cum nec altius ferri. Dum uero ningit, nõ ex alto nix uenit, neq; cõcreta: ideo absq; ualidioribus uentis est, quare neq; tonare neq; tum fulminare potest, uel etiã fulgurare. At si hyeme aliqua media humili loco uenti exorti cogãt niuẽ ad superiora, his uerò superiores alij successerint, atq; ualidiores: cogẽt nix, & fient fulgura atq; tonitrua, sed tũ necesse est niuem coactam transire in aquam, ideoq́e pluet non ninget. Indicio horum est, quod concreta nix cum descendit, in pluuiam uerti solet his de causis. Et quod causa lati sunt flocci niuis, longam niuem & hyemen ualde frigidam nuntiant. Dum enim crassior est aer ob uehemens frigus, inhibet uentos, ut nõ possint cogere nubes, propterea nubes niuium non sunt adeo nigræ.

De proprijs significatis fulminum & consequentium.
Cap. XVIII.

ERgo fulmina quędam significant, tanquã præcedentia, quædam ut præsentia, quædam ut futura: & prędcedentia quidem cum plurima fuerint, & quassauerint multa, siccitates & ardores solis immodicos nuntiant. Et ideo etiam permutationem ad morbos æstiuos, non solum ob solis calores, sed etiam ob uaporem iam genitum, & bella & mortes principum ratione qua cometę, & ut prędsentia uentos ualidiores, unde seditiones & uastitates & hæreses, & populorum inconstantiam, & aliqua in regione cum omnino immodica fuerint. Terrędmotus, eadem est materia, ut inquit Aristoteles. At de fulgetris, cum purgent aerem, si morbi uel in hominibus uel in animalibus, aut marcores præfuerint, soluentur: similiter innoxia etiam erunt, si uel breui cessauerint aut successerint uenti frigidi: sed si antea neq; morbi fuerint, neque talia cessent longo tempore, nec uenti frigidi successerint, euenient destillationes multarum specierum, ut morbi uagentur, & forsan erunt pestilentes, ut si sint ad fauces, uel ad pectus, uel ad uentriculum, aut acres ad intestina. Tonitrua uero quæ stridentl, fulmen peragrare non procul docent: quæ autem cum fragore sunt magno, ruinam loci propinqui, incidisseq; fulmen in rem duram ostendunt: ut aduertenti facile sit hoc intelligere: quæ crepant multum, descensum fulminis ostendunt: sed quę mugiunt, & grauem sonitum edunt, uentosa magis sunt. Quę in arbores incidunt breuiorem fragorem efficiunt, quam quæ in ædificia, quæ in aquas seu in maria, aut flumina, lacusúe nam ubiq; descendunt, illa mouent, & cum fragore stridorem gignunt.

De damnis fulminum & fulgurum insignioribus, & quorundam problematum solutione. *Cap.* XIX.

FVlmina fulguraq;, tum tonitrua præcipuè diruunt ædificia, occidũt homines atq; animalia, terrentq; mortales, quod prędsentem mortem afferant, maius tamẽ malum est ex incendio, cum non solum domos, sed integra oppida fulmen ac fulgur absumpserit, & fulmen quidẽ paulatim accendit, seruatis scintillis ex arena lapillisq; in tabulis ignitis, unde postmodum erumpit. Fulgur aũt ardens corripit ligna, ut statim flamma emicet. Quædam loca mirum in modũ huic pesti obnoxia sunt, ut audierim aliquando in uillula quadam uix spacio quindecim dierum, & parum di

stantibus

ſtantibus locis nouem decidiſſe fulmina ſeu fulgura, nec tamen locus ille eminens erat. In hoc propoſito damnauit Plinius Campanię præcipue eam partem, quæ erat inter Terracinam & Zerroniæ ædem, ut contra Aegyptum & Scythiam ab hoc malo immunes eſſe pronuntiauit. Et multa quidē circa hæc dubia contingūt. Primum quidem, cur omnia animalia excepto homine ſtatim pereant, homo ſolus euadat: aliquando in cauſa eſt, quod homo uiuaciſsimus & humidiſsimus, fulminis autē ignis maximè ſiccet, uel etiam quoniam alia animalia ſi non moriantur, declarare nequeant ſe icta eſſe à fulmine, cum ſæpius ictos à fulmine, non niſi quia pereant dignoſcamus, nullum enim aliud ueſtigium relinquit, etiam in his qui obierint, plantæ autem à fulmine ictæ perſæpe non pereunt, exareſcunt tamen parte ea quæ tacta eſt, aliæ ui uenti procidunt & pereunt. Cur autem uulneris locus frigidior ſit, reliquo toto cadauere, in fulmine ictis, cauſam eſſe reor, quod calor & ſanguis ea in parte magis reſoluit̄, & exhalat ob calorem externum. Addit aliud Plinius, quod amphibologicū eſt, uerba eius ſunt: Nullum animal niſi exanimatum fulmine accenditur, hicq; primus ſenſus eſt, aliàs nullum animal niſi exanimatum fulmine accenditur. Quantum differant hi duo ſenſus, quantū ignis ab aqua: nam primo ſignificatur, quod nullū animal niſi mortuum prius fuerit, à fulmine accēditur, & in hoc ſenſu pleriq; legunt. Sententia alterius lectionis eſt, nullū animal niſi ſit extinctū à fulmine, ardet ignibus impoſitum, quē ſenſum etiam admittere poſſumus, poſtquàm uidemus nullum animal ardere, etiam ignibus circumdatū, ſed exuri atq; conſumi, ardēt tamē homines pice illiti, tum animalia, ſed pix potius & reſina & alimenta ignis quam homo ipſe. Habet tamen uterq; ſenſus difficultatē: hic quidem, quoniā & pinguedo, & adeps, & caro ubi humidū aqueum euanuerit, ardent etiam magis quam uelimus, nam neq; ligna uiridia ardent. Primus autem ſenſus hoc habet, quod animal mortuū non dicitur animal, adeò ut clarius potuiſſet exprimi, ſi illam intendebat ſententiam, hoc modo: ſola cadauera animalium ardent à fulmine, nā uiuentia fulmine icta haud cōburuntur, aut aliqua ſimili oratione. Accedit aliud quod dubitationē auget, quoniam neque animalia extincta, fulmine tacta ardent, ut nec alio quouis igne, niſi qui moram ducat. Cadauera enim frigida admodum atque humida ſunt, fulminis autem ac fulguris ictus momentaneus. Exiſtimo autem mirum uiſum fuiſſe Plinio, non admodum in philoſophia exercitato, quod à tanto igne animal occiſum,

Lib. 2. cap. 54.

cisum non excutietur, etiam tum maximè ab eo fulminis genere quod scintillas relinquit, uelut in lignis, quę postęp icta fuerint ardent ob retentum ignem. Similiter & illa uerba omnia, cõtrariae incumbant in partes, homo nisi conuertatur ui percussus non expirat, supernè icti considunt legenda esse puto, sub hoc sensu omnia contrarias incumbant in partes, homo autem & ipse dum sic considit non perit, sed ubi ui conuertatur in partem percussam tum expirat. namęp si supernè ĩjciatur considit, ut in aduersam partem decumbat, ut sit sensus fœcũdus & profundus. Quamuis fulminis uis tãta sit, animal tamẽ loco non mouet, uerũ interficit: sed hominẽ non interficit, nisi postquàm ab alĩjs conuersus fuerit super locum ictum. Causa est, quoniam tam celeriter transit, & adeò uehementi ictu terebrat, ut loco non moueat, quod tam mirabile uideri poterat, ob rarum experimentum: nostris temporibus sæpe accidit, ut hominis truncus ab equo circumferretur aliquandiu, donec pondere proprio decideret, non ictu machinæ quam bombardã uocant, præuenit enim ictus finis casum: & cum ictus non adest ob ictum cadere non potest. Eadem ratione, dormientibus oculi aperti, uigilantibus conclusi, aperiuntur, quoniam semel tantum ob interitus uelotitatem conuelli possunt: conuulsio autem in contrarium mutat, ideo in contrario situ oculorum, palpebræ, & in quo erant, tum cum percussus est reperiuntur.

De antiqua Etruscorum obseruatione.
Cap. XX.

ETrusci eam rationem regionum diuidendarum in casu fulminum atque fulgurum iniere, nec plus tradit Plinius ut pessimę optimis more rerum humanarum coniungantur. At de oppositis uerisimile est, aut bonas ualde aut malas uehementer optimis, ut cõtra pessimis, aut ualde malas aut bonas, non mediocriter opponi. Si ergo non optima pessimæ aduersa est, neque pessima optimæ, quoniam in unum coĕunt, ut effigiem imitentur serpentis reliquum est, ut & robore & natura assimilentur. Sic enim inquit: Ex his maximè dira, quæ per septentriones ob occasum attingunt optimum



optimum est in exortiuas redire partes. Ideo cum à prima parte cœli uenerint, ea est à septentrionibus ad æquinoctialem exortum, toto ambitu in quatuor partes diuiso, atq; uerum eadem ratione unaquaq; earum in quaternas, ut octo sint à dexteris, totidemq; à sinistris, & in eadem concesserint, summa felicitas portenditur. Videtur autem plane uelle, ut dextrę omnes faustę sint, sinistrę diræ. Ergo melior erit quæ octauo loco in imò collocata est, quod etiam opponatur pessimę, ut contra nona ualde mala. Quę ergò in medio quasi imbecillis, nam ibi qua mutationes maximæ & assiduę contingunt: contra in apicibus malę aut bonę, sed constantes, atq; ideo ualidę. Obseruandū ergo inde orirentur, aut deciderent, similes enim fines atq; initia portendebant. Erant igitur antiquorum præcepta his quinq; distinctionibus uniuersam fulminum, ac fulgurum prędictionem determinantia. Apicibus cōtrarijs robur, sed superioribus potentioribus lateribus imbecillissimis, & ut propinquiora ita debiliora ualidiora, ac dextris faustis, sinistris diris. ortu & casu, feci initium & finem declarantibus, nec ipsum occultantes & diffundentes specie magnum effulgebant.

De Dionysij fabula. Cap. XXI.

SEmele gerens Dionysium, à fulmine percussa perijt, infantulum extraxit pater Iupiter, eumq; Nymphis abluēdum dedit, Dirce Acheloi filię statimq; femori ipsum sibi assuit, donec perficeretur, qui formosissimus puer adoleuit, in Nisa Arabiæ regnauit, & ut numen antiquo more, cuius sacerdotes fuere Satyri, Sileni, Naiades, Nymphæ, Tityri, Bacchæ saltantes & ludentes, furentesq; Thyrsis pampinorum uitis, coronati hedera Smiræ quercusq; frondibus atq; abietis, uini usum inuenit, & in Indiam penetrauit, Libyam quoq; & Hispanias peragrauit, Mythologię namq; non fabulę sunt eiusmodi simplices, sed sensus reconditos habent, significatum est, & hirci qui ei sacrificabantur, & Phentei diserti à Bacchis. Iouis filius, quoniam uinum omnia potest, & etiam quia iuuat nos. Semeles, quoniam Armoniæ & Calmi filia fuit, Calmus autem quia à Thebanis inuento uiro uirginē duxerit, aut similes, id est, cochlea quia uiris obrepat ut cochlea, seu stupidos uinum reddat homines. Dictus Dionysius quasi Deus Nisa, uel quia mentem pungat. Bacchus à furore, Bromius à strepitu & clamore ebriorum. Liber seu Lyęus, quod liberet à curis. Incendio matris natus, ad historiam pertinet. Nam & Edoardus sextus nostra ætate, qui successit in regnum Anglorum, à mortua

matre

Valer. Max. lib. 1. de Mirac.

matre exectus est, & Gorgias Epirota uir fortis & clarus, quod magis mirum est etiam natus post matris obitum, sed & historias subscribit euentus, quia uinū igneum est. Alij dicūt Semelem matrem, quia uitis uini mater concutiat sua membra, Ioui assutus, ob ingentem potestatem & uoluptatem, numen, quia colitur à multis, Nisæ rex in Arabia, quia à calore alitur uitis, & felicem reddit hominē ob lætitiam, comites, insani, temerarij, improbi, malefici, ociosi, impudentes, ebriorum differentię, sicut & loquaces profusi, aleatores, furiosi, immanes, omnium uini potus causa est. Mulieres Bacchæ quia hic sexus magis ebrietati obnoxius Pentheū discerpserit, id est luctum, uinum enim luctum dissoluit, arbores illę ei sacrę quia uiti similes & amicæ. Diræ Nympha Acheloi filia, quia uinum aquis commodissimè temperatur. Est autē Achelous fluuius limpidissimus. Hircus ei mactatus, quoniam inimicus est uitibus, non solum depascens illius ramos & corticem, uerum naturali antipathia perimit eam. Transiuit in Indiam & Europam, quoniam uini usus ubiq; propagatus, effecit, ut passim pro Deo haberetur & coleretur.

De his qui fulmen sibi asciuere. Cap. XXII.

SAlmoneum Elidensium regem Æoli (non illius qui uentis imperare dictus est) filium, primum ferunt fabricato ponte sublimi ęneo, quo immineret urbi super eo agitasse equos per imitatum fragore tonitrua, iactasseq; faces, & quos tangeret si non interirent, à satellitibus occidi iussisse, Iouemq; ob id iratum, illum uero fulmine occidisse. De quo extant apud Virgilium hæc Carmina:

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi:
Quatuor hic inuectus equis & lampada quassans.
Per Graium populos mediæq; per Elidis urbem
Ibat ouans, diuūmq; sibi poscebat honores
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum cursu simularet equorum.

Nec miremur, aut omnino fabulam existimemus, cum Alexander ille uerè Magnus, hac in causa erubuerit, ab Apelle cum fulmine pueriliter depingi. At Lysippus hastam in eius manibus posuit, fulminis loco statuam dum fingeret. Constat etiam de eare Olympiæ eum reprehendisse, Alexander autem, ut Cyprianus refert, librum cōscripsisse misisseq; ad eum, in quo conabatur ostendere multis rationibus, expedire Regibus, præsertim qui inclytis factis

factis resplenduissent, sibi ascribere diuinitatē, non solū ad perpetuitatē nominis, sed etiā ad subditorum obedientiam regni q̄ securitatem, & suorum posterorū continuationem, tāquam ex diis genitos, id q̄ multis exemplis præcedentium Regum tum Græcorum tum Barbarorum confirmasse. Sed pudet Lysimachū ex Alexandri satellitibus unum, uix portiunculam regni adeptum, rapina non uirtute post illius mortem, iactasse se lancea cœlum tangere, impudentius etiam Clearchum Erathlię tyrannum fulmen gestasse, & ex filiis unum appellasse tonitruū, similibus uanitatibus & Clitus & Demetrius ex Alexandri hæredibus, & ipsos exigua parte regni adeptos, Iouis nomen sibi indidisse. Ergo quasi non immerito Alexandro, si cui merito talia ascribi possunt, fulmen in manibus adhibebit, qui tredecim annorum spacio Græciam parauit, patri & sibi totiens rebellem, Orientem totum minore temporis spacio domuit, quàm peragrare licuerit: Indiam penetrauit, orbes condidit, scripsit leges, tot eius acta leguntur, ut legendo fatigare possint hominem, quę uero parata reliquit ad bellum, etiam maiora sunt gestis, adeo ut Cęsar ad eius statuā ingemuerit. Quid quod duo præclara dicam solum ex Plutarcho, Persas instruxit Macedonum militia, totam Asiam Græcis literis ac moribus imbuit, adeo breui spacio temporis, ut multis seculis Romani id impetrare non potuerint.

Fabulosa de fulminibus & fulguribus, & de propriis eorum significatis. Cap. XXIII.

QVod maximum est circa fulmina fulgura q̄ ex fabulosis inuentis, nunc referam à Pierio sumptum subiicere uolo. Is enim libro xliij. hęc habet: Numa Pompilius eliciendorum fulmi- « num rationem tutam inuenit. Nam cum quondam occulta sa- « era ad fulmina expianda noscere cuperet, Egeriam consuluit, quę « respondisse fertur, ut Auentinum peteret, & fontem qui in antro « quodam erat melle & uino generosiore imbueret, quò solebant « hora certa dæmones dico sitibundo conuenire, hi erant Picus & « Faunus. Curaret uerò ille sibi latebras, in quas abditus ab adue- « nientibus illis non conspiceretur, ipse tamē fontem intueretur, di « sponeret q̄ per fontis marginem retia, pro ut opportunum sibi ui « deretur. His peractis dij uenerunt, & potus allecti suauitate mul- « tum ebiberūt, tandem sopore grauati, ibidē ubi constiterant, som « no se prostrauere, quos ita grauatos Numa implicuit in rete. Qui « uidentes se captos, in uarias se formas transformabāt, sed cum ni- « hil quicquam proficerent, ad ueras tandem effigies rediere. Nu- «

» mamq; ut retia solueret, orauerũt. Rex se non prius retia solutu-
» rum dixit, quam de placando Ioue docerent. Illi & hoc docuerũt,
» qua ratione cœlo Iupiter eliceretur, quoq; modo fulmen expia-
» retur, unde Ioui Elitio nomen datum, cuius templum in Auen-
» tino positum, ubi res hæc contigerat.

Fulgurum quoq; ac fulminum significata, ingentem gloriam, sed quæ breui desitura sit, seu significari ratione seu hominis ostenduntur: idq; etiam si uisa sint per somnum. Olympiadi inter cætera nocte quæ antecessit concubitum cum Philippo, uisum est, tonitru audire, & ex eo fulmen in uterum descendisse, ex quo maxima flamma excitata sit, quæ diffusa ingens excitauerit incendium. Quo significato atq; portento nihil uerius apparuit in Alexandri fortuna, uita, gestisq;, ardens animus, facta illustria, fortuna secunda, uita breuissima. At Syllæ facta egregia, potentia summa, uita satis lõga, sed deposita Dictatura perpetua, quam assumpserat, omnia in fumum redacta sunt, tota etiã eius stirpe extincta. Omitto nugas illas fulminũ & tonitruorum orationum, uelut de Peride prædicari solitum fuit. Illud adijciam, non tam prosperos esse fulminum casus secundos quàm præposteros timendos. Pompeio aduersus Cæsarem eunti, quam habiturus esset fortunam, declararunt fulmina & fulgura & tonitrua aduersa. Neruę redeunti ex Hispanijs ut imperaret, seu dij, ut illi tum credebant, seu casus, aut Deus omnium præscius, seu ratio quædam recõdita (nihil enim aduersus naturę decreta, sed multa nimis cõtra ea quæ nos existimamus esse fulmina, tonitrua, tempestatesq; aduersæ) declararant, non solum imperio non diu potiturum, sed potius contra etiam uitam amissurum. At diuini ignes bonam fortunam prætenderet C. Cæsari in castris contra eundem Pompeium militanti. Pila ardentia nocte in apice Seruij Tulli, caput ardens ex simili cõditione ad Regiam euexit. Similiter & L. Martio concionanti in Hispania, cum equos solum esset, flamma in capite resplendẽs effecit, ut dux militum crearetur, exercitusq; quos proconsules sustinere nõ potuerũt, fregit, inclytasq; res gesit. Velitris quoque ictus fulmine munus declarauit potentia Augusti, qui eo ex oppido oriundo seu municipio fuit, adeò ut ciues hi cum responsum aruspicũ malè interpretarentur, existimantes hoc pertinere ad totum oppidum, quasi portenderet eis orbis imperium, assidui cum Romanis, & ad internecionem usq; rebellando sæpius depugnauerint. Adeò etiam optima quæq;, si eis sinistrè utaris, aut impendenter exitium pariunt. Sed neque tamen curior

cum

uim fati tollere poteſt, talia ergo lati hominis ſępe fuere. At aniles fabulas & translationes grammaticis relinquat, ut habeant & ipſi quod rodant.

De relicta & operis peroratio.
Cap. XXIIII.

HÆc igitur de fulminibus atq; fulguribus tum tonitruis, breuiter dicta ſint, in quibus ob ſecundum quod quæ adimant aliquid integri infauſta ſunt, aut ſi perfectam rem reddant imperfectam, uelut de fulmine quod C. ſuſtulit ex Auguſti nomine, præſertim quod (ut Suetonius narrat) relinquebatur Æſar, quod Deum ſignificabat Etruſca lingua, itaq; & intra centum dies in morte habendum in numero Deorum, quod & euenit meo tempore, ut narrat Federicus Naulea, accidit in ortu Caroli, filij ultimi Maximiliani nunc Imperatoris, prodigijs antiquis adnumerandum. Quo enim die natus eſt infans, regia de cœlo tacta eſt, ubi ſacro fonte leuandus fuit, iterum tacta, dum in templo ſacris initiaretur infans, intus templum tactum eſt, demum etiam regia iterum, dum domum relatus eſſet. Et quidē nihil ſimpliciter pronuntiari debet, etiamſi uelimus fidem adhibere prodigio, quod certè miraculo proximum eſt, niſi adhibitis diſtinctionibus, de quibus ſupra actū eſt. Sed ſi ſereno tempore tonuerit, id multifariam accidere poteſt, omnia ad naturę maieſtatem retrahere conducit, ſed prudenter aliter ſilere, niſi manifeſtam uim numinis ſentiamus. Ergo primum id contingere poterit, ſpecu aliquo terræ aperto, ut plerunq; in terræmotibus contingere ſolet, aut ſi qui in radice montis habitent, uelut Bononię addita poſt montem nube: uel ſi ſtrepitus aliquis procul exaudiatur grauis, & incendiatur, quod maximè contingere poteſt noſtra ætate ob machinas, ut humana nunc fulmina plus cœleſtibus uerenda ſint. Sed & fulmina, aut fulgura uidere ſereno cœlo contingit, uelut & tonitrua audire, ob montem qui interiaceat, uel ſi procul ſit nubes, ut uideri præ tenuitate non queat, ut in fulgetris dictum eſt alia ratione præſtantiore, qua uiſæ ſunt faces deferri cœlo ſereno & lapides ardentes qui poſtmodum cecidere. Et ut ſtellę illę quę è cœlo deſcendere uidentur, fieri enim poteſt antipariſtaſis illa à ſolo frigore uentorum & regionis, nō coacta nube ui uentorum, uicem nubis explente, neceſſarium eſt tantos adeſſe uentos, aut etiam quatuor, duos infernos qui uaporem ſuperius uelut torculari exprimant, & ipſos ſuperiores, qui cōcurrentes cogant illū, & refrigerant, & in ſuperiorem partem, uelut ex fiſtula & imbribus

maximo eñ cum uapore admodũ exuſto ſint quinq;, & ob id raro euentu contingunt, cum quinq; hæc non ſolum in unum concurrere ſit neceſſarium, ſed appoſitè diſpoſita. Manifeſtum eſt autem, quod inter hæc duo extrema, nubem ſcilicet, nigram nubem & nullam prorſus, multa ſunt media, uelut nubes tenuis, uel exigua, cum cœlum tamen dicamus eſſe ſerenum, & alba: atque in omnibus fulmen & fulgur emitti poteſt tanto ſæpius, quàm cum nulla, quanto rarius, quam cũ denſa, ampla, & nigra. Contingit tamen emitti, ut etiam tres ſoles uideri, & coronam, atq; iridem ſimul, ac talia multa, in quibus cum plura conuenire neceſſe ſit, conueniunt tamen quaſi neceſſariò, ſeu ob uices rerum, ſeu repetitis ſæpius ac multipliciter caſibus. Sed & fulmina contingere poſſunt, facilius q; fulgura: poſtquàm & dũ terra tremit, magna cum admiratione, & attonitis hominibus, & poſt diuturnas ſiccitates atq; ardores immenſos, quaſi conflagrante orbe, ut referũt quandoque, uiſum mare diuulſum, & ad multam horam conflagraſſe: eſt enim ſalſum & ob id pingue. Hæc omnia affinia fulminum & fulgurum generationi, uelut caſibus lapides, qui in arboribus inueniuntur, quorum meminit Plinius: nec ſunt rari exempli, cum quotidie inueniatur arena in arboris foramine incluſa: inde circumtenſo cortice, & arbore creſcente, uelut in oleaſtro de Megaris, de quo Theophraſtus refert inuenta eſſe & alia quædam Attici ritus. Sed non ita ſimpliciter accipere oportet hæc, quinimò lapillus, aut modicum arenæ ardentis incluſum arbori primum exurit interiora, & excauat arborem, nullo relicto etiam ſigno in cortice, inde extinguitur. Quod uero inaruit eius fauillę reliquijs adijcitur, et humorẽ arboris concretum, auxilio ſpacij intus relicti ac temporis tamdiu augetur, donec totum impleuerit & adhæſerit patentibus cauitatibus interioris arboris, demum ubi attigerit etiã lapis augetur ijſdem cauſis ulcere perarefacto, & ſanie arboris concurrente, ut ſemper ei affixus uideatur, ut hunc lapidem & fulmineum & arboreum, meritò poſsimus appellare: quandoq; etiam in ingreſſu diuiditur, & conſtrictus iterum coaleſcit. Referunt ad continendos fœtus geſtanti plurimum prodeſſe.

Lib. 16. cap. 39.

1. de Plant. hiſt. cap. 3.

HIERO-

HIERONYMVS CARDANVS MEDICVS LAVRENTIO TEHENO MEDICO S.

ACcepi literas tuas, & cum his quatuor Vngaricos aureos numos, ut in rem consulerem Theologi illius de quo scribis: id uerò per occupationes difficile fuisset, nisi quibusdam adiutus fuissem laboribus meis, quibus in compendium quæq; redegi optima diligentia tamen summa annorum octo. Videtur morbus hic ex cerebro omnino pendere primò: an autem per se, ita ut non uitio inferiorum, dubium est: assentior autem de iecore: an uerò uentriculi functio uitiata. fieri potest ut non sit uitiata, sed impedita, uelut destillatione cerebri: postquàm enim difficultatem spirãdi efficit delata per asperam arteriam, uix fieri potest, postquàm illa tot præsidijs munita est atq; contecta, ut per gulam maximè hora somni non irruat portio. Sed & id fecibus poterit dignosci. Considerandum etiam quibus interuallis, & si uideantur non æqualia, rediguntur ad causas cœlestes, quas considerare oportebit, aut ad errores aut circuitus: de quibus secundo de Differentijs febrium Galenus luculenter agit. hi euariant tamen ratione temporum ac uictus. Vnde illud Hippocratis, causæ quidem ex se notæ, nobis autem ignotæ. Dicebat etiam Celsus, studiosi debilem habent uentriculum. quapropter cum eruditus sit & iuuenis, laborioſum fuisse necesse est, qui si plurimo usus est cibo quomodo uentriculum non debilitauit? Si pauco, quomodo non reliqua quorum calore adiutus uentriculus concoquit. Illud etiam præstitisset scire quanam uictus ratione utatur, & circa potum & uenerea, exercitationem, quæ mediocriter tamen se habere ueri simile est. At postquàm destillationibus, & spirandi difficultate, & uertigine, tum raucedinibus tentatur, difficultas spirandi grauior est ac uertigo, nisi destillatio falsa esset, quòd esse prætermissum iusta ratione existimo, quia non adsit, neq; salsedo, neq; acris aut fœtidus sapor, at uelle adijcere quæ non sunt, operosum esset, superfluum, atq; inane. infinitum enim est quod non est. Ratio igitur curationis breuiter ab Hippocrate præscripta est generali ratione. Cum dixit morbi comitiales mutatione maximè curantur temporum, & ætatis, & locorum, & uictus. Sed ætatis mutationem expectare hic & longum esset & for

Cap. ult.

2. Aphoris. 45.

ſan inutile: ut etiam in quinta innuit: quare nec locorum ſpem quærere debemus, ſed quid ſimile, uelut aeris. Tum uerò rationis uictus ac medicamentorum, eorumq; magnorum ac præcipuorum. Manifeſtum eſt autem quòd, quicquid ſuperfluum eſt, oporteret euitare, uelut crapulam, potum copioſum, exercitationem, & ſtudium, & ſcribendi operam, & ſomnum à cibo aſſumpto, eoq; minus à cœna. Præterea uenerem, cibos lentos, craſſos, uarios, intempeſtiuos, odoratos quoſcunq;, & omnes acres. ſed ut breuiter dicam, ordine recenſebo.

Primùm ut à lecto ſurgit beneficium uentris procuret, ſi non ſponte cedat, capiat butyri recentis libram unam, ſalis tenuiter triti ſextantem, ſeu uncias binas: miſce bene, inde canalis è plumbo albo impleatur, forma, & magnitudine penè qua uides aut paulo craſsiore, tereti & tubo ligneo immiſſus exprimat, quòd continetur haud fallaci expectatione, & quòd



nõ opera miniſtri egeat. Inde ſurgat & ſe exerceat, lõga, ſed leuiter maximè ab initio, exercitatione. hora tertia diei ſumat prandium, ante prandium paululum ſtudijs incumbere poterit, hora quoq; decima diei, uel uſq; ad primam noctis, reliquis quieſcat: ſi poteſt abſtineat a uino prorſus, utaturq; aqua ex ſaccharo & cinamomo cum modico meliſſæ, aut radicis dulcis. ab hoc enim ſolo præſidio, quòd tutiſsimum eſt, lõgo uſu poſſet ab omnibus ſimul affectibus ſanari. Si plus eſt aſſuetus ſumere in cœna, cœnet ſub occaſu ſolis, ſi in prandio, hora noctis tertia. Eo quo utitur cibo, ut leuiore, contentus ſit pane leuiſsimo, & hoc ſemper aqua ſua, uua Cretica paſſa, amygdalis cõtuſis cum ſaccharo in torta coctis, uocant Itali marciapanum, tum uerò & pineas ex ſaccharo, ſed recentes & coriandrum et cinamomum: ſi hoc non fert, iure panis intingatur. Si nec hoc, ſumat iecur gallinæ, oua dimittat, ſed & tum à reliquis quæ dicta ſunt abſtineat. Si nec hoc ſufficit, alam gallinæ in ueru aſſatæ ſumat cum pane, tum uerò prope conſuetudinem in quantitate, reliqua omittat. Ea autem uice qua plus ſumere ſolet cibi, contentus ſit ferculo, carne auium ſed aſſata, & tragematibus huiuſmodi quæ dicta ſunt. nil omnino præter uuas aut ficus paſſas crudum edat. poſt cibum omnino quieſcat. Si ſiti urgetur, ſumat mala punica, dulcia aut arancia, aut ceraſa acida

condita,

condita, acetario nullo utatur, ſapa tamen licet uti, ſi modo uti uelit capparibus ſale iam olim conditis, & cum uuis paſsis, utatur ſæpe ſphondylij radice ſub cineribus cocta, aut demum, ſed rarius, multi cichorij. Si uinum relinquere non poteſt, longè difficilius negocium reddetur. Piſcibus uti poterit, ex iure noſtro, conſtat aqua, oleo, roremarino, uuis paſsis, cinnamomo, aceto, ſed in fine. à lacte, & quæ ex his, abſtineat omnino, & itrijs omnibus & piſcibus omnibus, iam diu captis, aut fœminis, aut ſquamma carentibus, aut qui corpore non ſunt tenuiore ac latibre, uel non ex fluminibus claris. ſtultum eſt cum peccauerit in generalibus, ſperare ſalutem ex uſu alicuius herbæ, ſed uel ex medicamentis. Somni tempus horarum ix decubitus in lecto xi, caueat tamen à meridiano, quod ſi breuiori ſit aſſuetus ſenſim efficiat longiorem, à prandio horis ſeptem nulli incumbat rei, neque difficili neq; ſtudioſæ.

Pro medicamentis etiam quæ non profuere conuenient & etiam leuiora. Ergo ſumat per plures dies ſyrupum hunc, ℞ ſaluiæ, roriſmarini, meliſſæ, betonicę, ſingulorum ʒ vi ſi non poteſt haberi ſuccus, ſumãtur ſiccarum herbarum m ij aquæ lb iiij buliant per xij horas in duplici uaſe, inde exprimantur, & cum pari pondere ſacchari ex medera, fiat ſyrupus, & in fine addantur ſanthalorum alborum odoratorum, cinnamomi optimi ſing. optimè contritorum pro libra ʒ i ſ. Et de hoc capiat ʒ ij abſq; aquis in mane per hor. iiij ante cibum, ueſperi autem ʒ i ante cibum per horas iij, & poſt octo dies purgetur cum catapotijs ex lapide lazuli, ſed orientalis, pondere ʒ i cum aqua uitæ, ſeu ardenti formatis. Hocq; ter aut quater repetatur, dum uictus ratio non ſinit amplius quicquam morbo adijci. Dicebat Galenus. uis uidere quod ratio uictus mala, ſit cauſa omnium rediuiuorum morborum, quia interim non laborant. Et hoc innuit etiam in Arte medica. poſt deueniat ad decoctũ ligni guaiaci, menſe Maij, & per xl dies integros cum uictu exquiſitiſsimo. Et poſt per annũ caueat à uino, & moderatè uiuat. tum enim perfectè ſanari poterit. poterit & ſecus ſed imperfectè. Suffitibus interim utatur ex ſanthalis, roſis & myrti, & ſicculis, tum addito thure aut ladano aut belzoi modico. Vtatur & floribus boraginis, nigra enim bilis multam gignit pituitam. Ad tempus autem mirabolani chebuli & emblici conditi proderunt. Decoctum radicis dulcis calidum potatum per ſe ita ut efficax tamen ſit, ſiccata uiridi radice in furno, tum primũ inde potatis ʒ vi ſingulo mane ad dies quadraginta, & deam-

bulando donec mingatur, multum proderit. Et si uentriculus offenditur, adde cinnamomū. Eclegma utile ad hos morbos ℞ mellis despumati lb. i. resinæ piceæ quæ est candida & mollis ʒ ij, misce: & in accessione utilis est. Hæc si non sufficiant rescribas. Vale xviij Calend. Ian. M. D. LXIX.

CONSILIVM PRO ILLVSTRISSIMO D. FABRICIO AVSTRIACO Principi Corregij.

IN præsenti dispositione sananda, primum quidem omissa temperie naturali illa exquisita, quam difficile est inuenire. Primum cum iam sit euersa totmodis. Signa autem à Galeno proposita præsupponunt corpus exquisitè sanum: & quomodo cognoscam ego temperiem, gratia exempli, lecoris naturalem, si nūc habeat signa calidæ & siccæ qualitatis externæ superabundantis atq; dominantis? Et si quis dicat (ad id enim refugiunt medici) quod per signa præterita: dico quod illa signa fuerunt percepta, uel ab ipso laborante qui nō potuit habere perfectum iudicium, cum non fuerit medicus: & si ab alio medico, ille non potuit habere, eosdem sensus quos ego habeo. imò uidemus in re clarissima quòd aliquādo præsentes, & in eadem hora tres medici aut quatuor egregij erant (& ô quotiens id accidit) quod unus dicebat non febricitare prorsus, alius quod febricitabat manifestè, alius dicebat quod febricitabat sed parum, & alius dicebat se esse ambiguum, & non audere proferre iudicium. Et hoc sentit Hippocrates in libro de Arte, cum dixit, quod morbi interiores sunt occulti, exteriores autem manifesti. Cum enim tria sint quæ medico subijciuntur. quædam omnino sensui, ut morbi exteriores, & hi sunt manifesti. & quædam soli rationi, ut regulæ generales, puta quòd abundantia caloris naturalis facit ad bonam coctionem, paucitas ad imperfectam: abundantia caloris præternaturalis ad uitiosam & corruptam. Et ista sunt semper certa, saltem medicis eruditis & expertis. Tertium genus est in quo etiam prȩclari medici certant & hallucinantur, & est mistum ex sensu & ratione imperfectis utrisque, ratione quidem, quia ratio cum sit de generalibus, hic est de hoc ipso uno & fit uitiosa, sensus, cum fit de manifestis, hic cogitur iudicare de occultis, & ideò talis cognitio dicitur coniecturalis, & si est adeò incerta dè his qui comprehenduntur in eodem tempore, & in eadem hora. quid ego potero iudicare su-

Pag. 4.

per

per dictis alterius medici, qui uidit corpus non solum in alio anni tempore, utpote cum sit nunc uer, in æstate, uel hyeme, imo in alia ætate, scilicet adolescentiæ, cum nunc sit iuuenis. Certum est enim quod aliq; sunt operationes, & alia temperatura ueris, & q̃statis, & autumni, in ipsis corporibus & iuuentutis & adolescentiq;, et eius qui tunc uiuebat temperatius, & nunc intemperatè, aut contrario modo, & qui erat Coregij, & nunc est Bononiæ. Sed fac ut medicus in sensu cõcordet mecũ, & habeamus exquisitissimã q̃litatẽ in iudicando ambo, q̃d uix fieri potest, quin ego habeã uel meliorem uel deteriorẽ illo. Fac ut oĩa essent paria, locus, ætas, tẽpus anni, ratio uitæ: quis mihi persuadebit, q̃d medicus aliquis possit recordari, de magnitudine signorũ, & ordine, seu gradu caliditatis, frigiditatis, siccitatis, duritiei, mollitiei, asperitatis, lenitatis, plenitudinis, uacuitatis, prq̃cordiorũ, et partiũ circa caput post duos menses, nedũ post sex, aut duos annos? Deinde illa signa nõ sunt nisi de calido, frigido, sicco & humido, & tamen illud est minimũ in cõparatione ad reliqua, utpote densitatis substãtiq;, & raritatis, subtilitatis eius aut crassitiei, magnitudinis & paruitatis, bonq; mistionis & ad minimq;, ut dici solet, aut malæ refractorũ elementorũ, ac, ut ita dicã, benè subactorũ, aut rudiũ & inelaboratorũ: prqterea cauitatũ & meatuũ in debita quãtitate & forma & figura & multitudine, deinde qualitatis & quãtitatis, sanguinis delegati, tã à corde quã ab ipso iecore. Quq oĩa sunt longè maioris momenti quã sint primq; qualitates, cũ illa pertineant ad principale agẽs, & primq; q̃litates solũ sint instrumenta actionis. Et q̃d sit uerũ istud, licet cernere in igne accenso in palea, & in lignis salicis, & in quercu, et in lapidibus bituminosis. Ignis em̃ paleq; nõ dissoluit plumbũ, etiamsi adhibeatis currũ palea, ignis salicis liquefacit plumbũ sed non ferrũ: ignis quercus liquefacit ferrũ, sed difficulter & tardè, & in magna quantitate. Ignis aũt lapidis bituminis liquefacit ferrum in parua quãtitate, facilè, perfecte & breui: & ꝓpter hoc fabri Lugdunenses curant, ut habeant̃ lapides bituminosi ex Scotia, quamuis non minore itinere quam De. M passuum. Ideò cum istud plurimũ referat ad curationem, ut uidebimus, magnq; amentiq; esset, illa adeò diligenter perscrutari, quq tũ incerta sunt, tũ parũ faciunt ad sanationem, hęc adeò utilia & necessaria relinquere. Nam si peccet in calido, frigido, sicco & humido, oportebit contrarijs qualitatib. succurere. Si exilitate mẽbri, oportebit implere, magnifacere, carnẽ restaurare, & si non licet saltẽ pinguedinem: si raritate substãtiq;, oportebit cõdensare, quomodo aũt, infra dicet̃.

Si

Si ſanguis malus ex iecore deleget, aut paucus ex corde. In primo caſu oportebit mittere ſanguinẽ & non ſemel: in ſecundo, alimentis uti generantibus, plurimũ ſanguinis tenuis; & ſimiliter in primo caſu oportebit uti bonis alimentis, plurimo ſomno, aqua potius quã uino, in ſecũdo, uino potius quã aqua. Pręterea illa ſigna poſita à Galeno, ſeu ſint ob prędictã cauſam, ſeu ob aliã, aut alias inuenta ſunt omnino non uera: & maximè illud de pectore, id eſt, hiſpido & amplo, q̃d debet ſignificare audaces & fortes, cũ aliqui inueniant ualdè timidi: & contra uidi anguſto pectore & glabro fortes & audaces: & aliquos, imò multos, habentes reſpirationes mediocres, & pulſus tardos & raros, animoſos: aliſ magnos & frequentes, non magis animo præſtare quã mulieres, & talia multa.

Cap. 1. Et ſi quis dicat quod Galen. primo ad Glauc. utit hac ratione, ſanatio eſt traductio ad propriũ temperamentum, ſeu corporis ſeu partis, aut membri, & hęc debet fieri per cõtraria, ergo oportet ut ſciam quale medicamentũ, aut qualis cibus conueniat qui tantun

Cap. 86. dem declinet ad partẽ contrariam, ſicut expreſſè dixit in lib. Artis medicę. Ergo quo potero ſcire quid ſit detrahendũ, & quantitatẽ ſeu gradũ qualitatis medicamentorũ, niſi nouero quantum diſtet ſtatus mẽbri à ſua naturali diſpoſitione? ſed quomodo potero ſcire hoc, niſi ſciam naturã propriã & qualitatem illius mẽbri in eo homine? Dico q̃ illa uerba ſunt ſimilia uerbis cauponum: ſcilicet ſpecioſa & ueriſimilia, ſed poſtmodum nihil reſpondet ex his pręter uerba: nã neq; uina ſunt bona, neq; cibi, lectus cimicib. plenus, ſordida culcitra, feneſtrę cũ rimis, fœnũ malũ p̃ equis: ita dico me poſſe ſanctè iurare, nunq; curaſſe aliquẽ ęgrũ, neq; uidiſſe aliũ medicũ qui curauerit ea ratione, ita ut ſani euaſerint. imò ſi qui eã uiã tentauerint malè eis ceſsit. Quare curã hãc ſic inibimus, ut docet

Par. 2. Tex. 27. Hip. in ſexto Epid. quęrentes primũ duo principalia, ut habeat primo de Locis, quib. adiiciemus & tertiã. Cõſiderabimus ergo primũ excremẽta alui, ſi fluant debita quantitate, ſubſtãtia, colore, &

Cap. 5. numero, nã iſta ſignificãt ſuper primã coctionẽ, & ſuper uentriculũ: & ſi ſint pura, nã ſi fuerint plura, quã oporteat, & regimẽ fuerit bonũ, ſignũ eſt corpus nõ nutriri, & ideò tabeſcere, ſi numeroſiora quã oportet, tũc uel minus colorata, & ſignãt imbecillitatẽ uentriculi, coniunctã cũ humido ſuperfluo. Si colorata nimiũ, bilis generationẽ, & ideò ſupercalefactũ iecur, unde etiã ſitim, paruã appetentiam cibi. Si aũt aſtricta ſit aluus & ſicca, et fęces pallidę, obſtructus eſt meatus qui deuenit ad inteſtina: & ideò uenæ replebunt bile, & fiet morbus regius, & corpus tabeſcet. & ita dico de aliis, & de operatione & loco.

Propo-

Proponuntur ergo tres affectus præter naturã, de quibus non indigemus, ut sciamus, an sint calidi uel frigidi, ad hoc ut cognoscamus illos esse præter naturam. Et primus est descensus pituitę plurimæ ad os, & alienæ qualitatis, scilicet salsæ, circa quem primùm immorabimur, nam tum præcipuè est magis salsa, cum est pauca quàm cum est multa: cuius ostendemus rationem. Dico ergo quod iste affectus per se non est morbus, neq; signum morbi, sed prauæ dispositionis tantum. Primum ratione qualitatis cum sit salsa uel subsalsa, cũ deberet esse subdulcis uel insipida. Secundo, ratione quantitatis unde dicebat Auerroes, quod saliua est facta ad hoc, ut cibi dissoluãtur, percipiatur gustus illorum. Et Xenophon recitat, quod Persę nunquam spuebant. Verum dicebat Hippocrates in libro de Flatibus, quod cum pituita descendit ad os copiosa, & acris, quòd erodit fauces, & inde descendit ad pulmonem, aut ad uentriculum, & ita infert graues morbos. Cum ergo ipse iam tabescat manifeste, demacerato corpore, iuxta comparationẽ habitus prioris, & hoc est quod oportebat scire, ut dixi, de naturali statu, utpote, si erat boni habitus aut gracilis, pinguis aut macilentus, boni coloris aut mali, & qualis, quia bonus color multiplex est, malus etiam multiplicior. Præterea si benè dormiebat aut non? & non solum de quãtitate, sed an quietus an interruptus cum somnijs & uisis, aut sine, quomodo appeteret, quãtum esset assuetus bibere, & an sitiret, & an fame magna solitus esset affici, an parum famesceret, an pateretur eructationes aut non, & ita de peditibus uentris inferioris, an esset robustus an imbecillis, an lætus an tristis, an iracundus an patiens, an libenter exerceret aut non, an sentiret se leuem in ambulando an grauẽ, an assuetus multæ ueneri aut paucæ? an eam facilè ferret aut læderetur multũ aut parũ? an esset assuetus alicui dolori uentris, uentriculi, capitis, articulorum, an esset assuetus pati febres frequenter an non, an excretionibus aliquibus per circuitum aut continuis uelut fistulis, hęmorrhoidibus, sanguini narium, uomitui, fluxui uentris, scabiei, grauedinibus, raucedinibus: & quantum est mutatus in singulis horum. Hæc faciunt ad medicinam, & ad sanationẽ ægrorum. Et si quis non est iniquus iudex, cum consideret quãtum interst inter hæc scire & nugari in calido, frigido, sicco & humido semper circũuoluendo se uelut anguillę in canistris quę multũ uolutant: & nullum faciũt iter. Ratio ergo salsuginis, ut à nobis declaratum est in Cõmentarijs de Aere & Aquis, est quotiens terreũ aduritur in aqueo, ut colligit à Galeno. nã si terreũ solum aduritˉ fit amarũ, aqueum

2. de Animal. Com. 102.

In 1. Pedia Cyri.

Pag. 3.

Lib. 8. cap. 1. & 14. 4. de Simp. med. cap. 2.

De Diff. lib. 2. cap. 6.

aqueū ſolū nō poteſt aduri, quoniā euaneſcit ſolū. Cum ergo terreū ita aduriť in aqueo, ut tenue fiat, & benè miſceať, & remaneat in ea pars aerea, tūc fit ſalſum, adeò ut ad ſalſuginē requiranť hæc quinq;, calor adurens partem terream & in aqueo & attenuans ipſum, & benè permiſcens, & pars aerea in ipſo terreo relicta. Ex quo patet quod hæc contēplatio non eſt inanis ſtudij cauſa, neq; ad oſtentationē, ſed ad opus ipſum, & ad curationem pertinēs, et quantum utilitatis habeat ad curationem, quia ſi utatur cibis terreis, ut ſunt animalia quadrupedia magna, aut ſenilia, aut piſcibus magnis, aut auibus ſenilibus, confeſtim incurret ſalſuginem, & magis cum uigilia quam cum ſomno, & poſt multā uenerem, & à potu uini potentis & aromatibus, quàm cum contrarijs horum, & à cibis ſolidis deterius ſe habebit quàm à ferculis, adeò ut ſi uelit uti ferculis tantum, illud ſufficiat ſolum ad tollendum ſputum ſalſum abſq; alio auxilio. Et ex hac patet ratio problematis propoſiti, ſcilicet, cur cum ſputum copioſum, nō ſit adeò ſalſum, ſicut quando eſt paucum, quia materia illa terrea exuſta, quanto eſt minor, comparatione humidi, tanto minus ſalſum efficit: ſicut uncia una ſacchari, ſi diſſoluatur in quatuor uncijs aquæ, efficiet multo illam dulciorem quam ſi in una libra. Ex quo patet quod data paritate ſputum quanto copioſius fuerit, neceſſe eſt, ut tanto minus ſit ſalſum. Ex quo ſequitur aliud maioris momenti, & eſt, quod cum fuerit ſputum plurimum & ſalſum, tūc debet multum timere & cauere, non ſolum quia ſignificat plurimam eſſe materiam exuſtam, ſed etiam quia deſcendens multa materia ſalſa plus nocebit quam pauca. Duo præterea circa hoc relicta ſunt neceſſaria ſcitu, primum quod tale ſputum ſalſum nō tam erodit pulmonem, aut pectus, propter materiam quæ deſcendit, quamuis & in hoc noceat erodendo, quantum nocet & periculum affert ruptura uenæ, primum irritando tuſsim ualidam, & maximè ſi ſit ualdè tenue, & ualdè ſalſum, ſi uerò ſit craſſum plus erodit quia terreum, ut Portio de Simplicibus medicamentis habetur, & etiam quia magis hæret: & in auellendo periculum eſt, tum propter impetum, tum quia trahit ſubſtantiā pulmonis, cui infixū eſt ne frangat uas, ſicut funis dum diſtrahitur pluſquàm ferat natura eius, & maximè repentè, & ideò maius periculum eſt in tuſsi celeri, & repentina quamuis parua quam in maiore, ſed lenta & continua. Nihilominus continua nimis longa, eſt etiam periculoſa. Tertia cauſa eſt potentior longè aliijs duabus, quam alij medici parum animaduertunt, ut etiam reliqua ualdè utilia, cum non ſunt adeò

Cap. 21 & 22.

trita

trita & manifesta sensibus, & est quod tale sputum salsum fit ex ichore in uenis salso, & hic ichor fit ex sanguine salso. Et si dicas quod sputum aduritur extra uenas, dico quod si aduritur, aduritur ex calore membri: ergo pari ratione & tantundem, aut paulo plus aduritur aut minus quod est in uenis, non solum ichor sed etiam sanguis, & ideò erodit ipsam uenam: & etiam quia propter partem aeream, quæ, ut dictum est, continetur in sale, seu salsugi-nosa materia crepat: sicut uidemus de sale posito in ignem qui exi lit & disrumpitur, & strepitum facit ita etiã in uenis. Aliud quod erat propositum, & consideratione dignũ est, quoniam illud spu-tum, dubium est an ueniat à capite, an à uentriculo, an à pulmone: & licet dicant, quod à pectoris partibus nihil uenit nisi cum tussi, neq; à uentriculo nisi cum uomitu. istæ sunt nugæ meræ, nisi ad-damus confertim. & hoc fateor. Sed de sputo copioso dico, quod persæpè potest uenire à uentriculo, quia uidemus quod saliua quæ continetur in glandulis, quæ sunt sub lingua, uenit à uentri-culo: ergo non est uerum, quod omnia quę ueniunt à uentriculo, ueniant per uomitum. Aliud argumentum est maius, quia in his in quibus abundat sputum, si procumbant super lectum, compri-mendo uentriculi regionem, & exerto capite atque ore emittunt multam aquam: ergo illa materia uenit ex uentriculo & non ex ca pite. Aliud est indicium, quod huiusmodi patientes neque fame-scunt neque sitiunt, & ideò istud est indicium quòd materia sit in uentriculo. Plurimum autem refert scire quo in loco sit eiusmodi materia, tũ quia sciemus quo in loco generet, & quomodo mem-brum sit affectum: & similiter quòd periculum immineat, et quo-modo occurrendum sit: demum qua uictus ratione debeat uti. nam si ex capite proueniat, nutriri poterit tutò, sin à uentriculo, certum est quod nõ debet nutriri nisi prius educatur illa materia, & quòd à uentriculo debet educi per uomitum, aut per leuem e-uacuationem, uelut per mel rosaceum. & si à capite per errhina uel apophlegmatismata. Dico ergo, quod etiam quod flueret à capite, quod pars eius continetur in uentriculo: quia hora somni cum defluat perpetuò, necesse est ut aliqua pars, imò magna de-fluat ad uentriculum, non tamen idem est necesse de pulmone, quia aspera arteria habet operculum, id est, epiglotim, gula au-tem non habet.

Secunda dispositio præter naturam, est tumor flatuosus in par tibus præcordiorum, qui fit necessario à calore naturali diminu-to, & præternaturali aucto, nam ab uno horum solum fieri nõ po

teſt,quia ſi fieret à ſola paucitate caloris,eſſet ſemper in ſenibus, ſed non eſt,imò in decrepitis uix aduenit. ſi uerò à calore præter naturali ſolo,omnes febricitantes, & maximè hectici paterentur flatum.Id autem manifeſtè eſt falſum,ideò dico quod calor naturalis eſt diminutus,& præter naturam eſt auctus, & ad hoc facit copia materiæ aquoſæ,& præſertim ſalſæ,quæ, ut dictum eſt,per ſe plurimum continet aeris ſeu flatus & locus,qui eſt ſub tertio indicio oſtendit regionem uentriculi maximi & meſaraei & coli. Vrinę etiam declarāt (& ſunt in primo ſigno ſcilicet in excrementis) cum ſint liuidę,fæces,ut audiui ab ipſo,& ut uidi aliàs, neque erant multum alienæ à communi uſu, neque à ſua propria natura,quæ duo ſunt propriè conſideranda in quibuslibet propoſitis. Dico ergo antequam egrediar hoc,primùm,quòd ex tribus excrementis unum eſt mutatum in quantitate & qualitate: & eſt ſputum ſalſum,multum,intempeſtiuum:aliud in qualitate,ſed nō in quantitate,& eſt urina. Tertium nō eſt mutatum,neq; in quantitate neq; in qualitate,& ſunt fæces,& cum dico mutatum intelligo ualdè mutatum:quia de parua mutatione fieri poteſt, ut etiam fæces ſint aliqualiter mutatæ: ſed parum & nihil apud medicum æquiparentur.Dico etiam eſſe manifeſtum,quòd ego inueni intemperiem calidam auctam abſq; cognitione temperiei naturalis,utpote ex flatu: Ergo non eſt neceſſarium, ut ſciam temperiem naturalem ad cognoſcēdum intemperiem præternaturalem aquiſitam.& ſi dicas quod non cognoſcam gradum per hoc: dico quod etiam cognoſcam illum:quia ſi aderit multus flatus, aderit etiam magna intemperies, & ſi dicas quòd non ſciam ad unguem gradum intemperiei aquiſitæ? ego reſpondebo quòd multo minus tu ſcies cum illis lōgis diſſertationibus Galenicis de calido,frigido,ſicco & humido,adeò minutatim diuiſis,et per membra,& per gradus,et per conſenſum,ut uideantur grana tritici numeranda.homo autem debet docere in his quæ ſenſu percipienda ſunt,duntaxat eousq; quo ſenſus humanus poteſt commodè pertingere.Non uitupero Galenū,ſed malos Galeni interpretes. Dico ergo quod & ex excrementis & ex operatione læſa & ſymptomatibus per qualitatem habemus qualitatem aquiſitā & aduentitiam:& per quantitatem,qua recedunt à communi uſu, uel propria natura quantitatē ſuperauctæ qualitatis abſq; cōditione ulla proprij temperamenti totius aut partis,quæ tamen ſi poterit haberi,nō eſt negligenda,his tamen obſeruatis ne primū proponamus illam tanquam principalem cauſam morborum,niſi raro

uelut

uelut in hectica: secundo ut non queramus eam nisi quando se offert: tertio ut non adeò subtiliter trituremus illam quasi uelimus componere farcimen, scienda duo necessaria ualdè: primũ quod morbi & causæ eorum qui sunt magni aut periculosi maxima ex parte constant ex mala compositione, uelut flatu, materia cõtenta in cauitate, uel uenis obstructione, scirrho, raritate substantię, paucitate aut prauitate sanguinis ad membrũ aduenientis, ulcere, tuberculo, ædemate, contortione. Sicut narrat Hippocrates de iecore, uerruca, erysipelate, asperitate, luxatione, attenuatione, calculo, arena, uermibus & uermiculis qui sunt quasi ex alio genere, corrugatione, atq; similibus. De temperie nõ scio fermè aliud præter hecticam, & etiam quæ processerit multũ & intemperiem humidam in humoribus, quæ periculum magnum adducant. Sed hæc nil pertinent ad naturalem temperiem. Aliud dico quod præter alias causas omnes superius adductas, ꝑ difficultate cognitionis temperiei naturalis est tẽperies aquisita seu ex habitu, in qua plurima sunt cõsideratione digna, primùm quia impedit coctionem, naturalis, cum nõ lædat operationes saltẽ manifestè licet eas quoquo modo uariet & permutet, quidam enim ex habitu præter naturam melius cõcoquunt quam ex naturali. Secundum est, an talis habitus sit immutandus, de quo dubium nõ est, q̃ si bonus sit non debet mutari, si malus, debet mutari, solũ si tuto facere liceat: utpote ab initio, et in iuuenta, et ualidis uiribus & tempore ueris.

Pro tertio symptomate, & est extenuatio corporis, dico quòd oportet inuenire propriã causam: et illa semper est iecur, quia fieri non potest ut totum corpus sit affectum, adeò ut tabescãt omnia membra nisi iecur sit affectum. Et si dicas de hectica uel phthisi, dico q̃ in utrisq; iecur etiam est affectũ: & ideò esset simile miraculo inuenire corpus, quod totũ tabesceret iecore prorsus incolumi. si uerò iecur malè afficiatur, aut parũ generet sanguinis aut malũ, necesse est ut totum corpus contabescat. Et si dicas quod poterit istud accidere uitio uentriculi, ut in scyrrho eius? dico quod non est uerum: quia si iecur posset generare sanguinẽ in debita quantitate & qualitate homo nõ tabesceret: & ideò concludo q̃ omnis tabes fit uitiata functione iecoris & semper: plerunq; etiam, & rarissimè secus, uitio ipsius iecoris, hoc tamen non semper, ut in his qui tabescunt propter esum leguminum crudorum & herbarum agrestium. Sed quia in hoc casu uidemus urinã cum colore subliuido & hypostasi puluerulenta, ideò sumus extra has difficultates, quia nemini dubiũ esse potest, quin iecur sit læsum & manife-

ſte, ſcilicet imbecillum ratione caloris naturalis: de præternaturali dubium nõ eſt quin ſit exſiccatum plus iuſto, quia hoc ſignãt puluerulentum ſedimen: de calida aũt & frigida intemperie præter naturam, dico, ueriſimilius eſſe quod ſit calida, tum quia ſiccitas non fit à frigore niſi uehementi, & hic nõ eſt adeò frigus uehemens ut poſsit efficere ſiccitatem. Præterea quia omnes cauſæ faciunt ad caliditatem & nulla ad frigiditatem. Venus plus iuſto exercita, uigilia, uina potẽtia, obſtructiones, iuuentus, habitus naturalis calidus, ruber, carnoſus, labor ſuperfluus iecoris in ſupplendo, quod eſt diminutũ in coctione prima & eiuſmodi. Et hęc ſunt impedimenta operationum principalia, iecoris primum, deinde uentriculi, deinde cerebri. Deuenio modo ad cauſas.

Et ſuppono quod morbus habuit initium ex duobus, à febre diuturna, ut audiui, & á malo regimine, præcipuè circa uenerea & uigilias, & arma quæ geſtauit, thoracem & caſsidem, demũ ex conuiuijs in quibus plus editur quã natura ferat, & cibarijs multi alimenti & uarij generis, & calidioribus, utpote conditis aromatibus & uinis potentioribus. Hæc aũt maximè affligũt potius iecur quam uentriculum, & præcipuè calidum. uẽtriculus autem maximè affligit ex plurimo potu & ex uenere, ut uult Princeps. cerebrũ uero ex aere nocturno, & galea. ergo ueriſimile eſt quòd ſimul laborare cœperint hæc tria membra, & non ſit ſolus cõſenſus, & ideò etiam indigebit triplici curatione ſeorſum: non negauerim imò neceſſe eſt, ut unum alteri per conſenſum noceat, uelut deſtillatio a capite ipſi uentriculo ad concoctionem, ut habetur à Galeno ſexto de Tuenda ſanitate, & ita uentriculus debilitatus faceſsit negocium ipſi iecori. uentriculus autem per uapores, & iecur per alimentum prauum nocẽt manifeſtè ipſi cerebro. Clarum eſt autem, quod omnes tales intemperies, ratione primitiuę originis, concordant in hoc, quod ſint frigidę & ſiccę, in cõparatione ad calorem naturalẽ: quia ſi calor naturalis eſt fundatus in humído naturali, ut colligitur a Galeno prima Aphoriſ. & hæ affectiones cum cauſis ſuis externis diminuunt calorem naturalem, ideò refrigerant et exſiccant. Verùm quia uentriculus, ut oſtenſum eſt, ab immodica aquea ſubſtantia perpetuò affligitur, & ſimiliter cerebrum, & ambo etiam ſunt membra exanguia. Ideò cum frigidum, ut dixi, non exſiccet niſi ſit immoderatum, et iam non poſsit eſſe tãtum ob ætatem & naturalem temperiem: ideò intemperies aquiſita pręter naturam, ab initio fuit calida & ſicca, ob cauſas externas dictas, quæ omnes eò tendunt. Sed poſtmodum ex materia

13. tertij Trac. 1. cap. 36.

Cap. 10.

Com. 19.

ria genita in uentriculo & cerebro facta est intemperies frigida & humida, & prior calida & sicca extincta est magna ex parte, & forsan est aliquid residui, quia dantur intemperies mistæ ex contrarijs, ut habetur à Galeno tertio de Simplicibus medicamentis. Cap. 16. De iecore autem remansit calida & sicca, quia est membrum calidum & sanguineum, & manent adhuc causę calefacientes, utpote obstructiones, alimentum non elaboratum in prima coctione, & etiam utitur uino potenti, quod maximè calefacit iecur, quia cito transit ad illud. Credendum est etiam quod uenæ quæ sunt inter uentriculum & iecur sint astrictæ propter siccitatem.

Circa prognosticum tria necessarium est scire, an possit curari, est enim præceptum Galeni, nam si quis conetur curare insanabilem morbum, tria mala facit, primum incurrit infamiam, quia si dicis quòd existimabas sanabilem, dicunt ergo deceptus es. si dicis, erat insanabilis ab initio. Dicunt quare curasti ergo & pollicitus es multa. Secundo, quia infamantur remedia. Tertio, quòd magis refert, quia mors acceleratur, quæcunq; enim non possunt proficere adhibita, magis irritant morbum, & excitant symptomata, & debilitant uires. Dico ergo quod morbus est sanabilis, & ratio est supra dicta, id est, quia morbi insanabiles si sunt ex intemperie, oportet ut sint ualdè magni, hic nõ est eiusmodi, aut ut sint ex mala compositione, & hoc non apparet nisi in tribus in extenuatione corporis, hypocondrijs flatuosis, & coarctatione uenarum, de qua adhuc non possumus esse certi, adeò ut nulla sit aut admodum exigua. Secundum dubium est, an facile curari possit? & ad hoc respondeo, quòd non, imò exigetur multum temporis, primùm quia laborant plura membra, & difficilius est curare plura quam pauca. Secundo, quia laborant intemperiebus contrarijs, quæ semper sunt difficilis curationis, ut docet Galenus sexto de Tuenda sanitate. Tertio, quia iecur transijt ad oppositam temperiem, quoniam uidetur naturaliter fuisse calidũ & humidum. nam ut refert egregius suus medicus dominus Ioannes Peregrinus, & ipse etiam testatur, fuit pinguis à pueritia, & à prima adolescentia, & etiam boni habitus, qui status non potest esse nisi cum humido iecore, ex authoritate Galeni in lib. Artis medicæ. Nam dicit quod corpus non potest esse humidum propter cor, ubi iecur sit siccum, ergo ipse fuit humidi iecoris: cum ergo transierit ad oppositam intemperiem & prauam, quia liuidus ille color tam substantiæ urinæ, quam etiam contentorum & splendor hebes, declarant omnino imbecillitatem caloris in toto genere ue-

3. Methodi cap. 1.

Cap. 2. & 9

Cap. 41.

noſo. Sed hypoſtaſis puluerulenta oſtendit ſecundum Hippocratem, ſi fuerit cum difficultate ſpirandi, hydropem: uel ſi ſine ea, exemplo Nicolai, lienoſum, cum ſpirandi difficultate, tale excrementum enim terreum eſt & exuſtum. Et ſimiliter morbus confirmatus diu auget difficultatem. Siccitas præterea omnis, ut habetur in ſeptimo Artis curandi, difficilis eſt ſanationis. Demum deſtillatio fermè à toto genere materiæ crudæ eſt inſanabilis, & experimentum illud docet, nam qui ſanantur, ſanantur à deſtillatione craſſa aut lenta aut pituitæ: ſed ab humore crudo aquoſo uix ullus ſanatur, & hoc eſt quia in tali deſtillatione coniunguntur duo, locus decliuis, & imbecillitas caloris naturalis. At ex aduerſo adeſt iuuentus quæ eſt plena ſpei, ut dicebat Hippocrates. Et tempus anni uernum, & commoda omnia ob nobilitatem & prudentiã propria, & bona temperies naturalis, & diſpoſitio ſatis benè intellecta, ut reor, & ideò concludo, quod ſanabitur in longo tempore, ſi uoluerit ſanari perfectè, ſin autem ſolum ut reſtituatur habitus bonus & pinguedo, & tollatur ſalſus ſapor ac tuto tunc hoc poterit fieri plenè Deo dante per totum menſem Maij, ubi ipſe in nulla parte deliquerit. Tertium quæſitum de prognoſtico eſt, ubi non curaretur, in quam diſpoſitionem eſſet maximè pronus? & reſpondeo quod in hydropem ſiccam ſeu tympanitem: atq; hic magis ubi ſuperueniret febris acuta, & ubi incideret in illam omnino moreretur iuxta præceptum Hippocratis in ſecundo Prognoſticorum, & ideò oportet ut quàm diligentiſsimè caueat, & ut medicus ſit ualde oculatus: & cauſa huius eſt quia adeſt flatus contentus in præcordijs, qui perpetuò impedit coctiones, & uentriculi imbecillitas & iecur calidum & ſiccum: & aucta iſta radice peruenire in hydropem ſiccam, abſq; ullo auxilio: & maximè quia medici ſolent uti medicamentis purgantibus ut rhebarbaro, agarico, aloe, quæ nocent. alia quoq; ſunt deteriora, poſtmodum ſolent uti aquis deſtillatis in febribus, et contuſis, tam in febribus quàm in hydrope, quibus nihil poteſt eſſe deterius. Secundus morbus in quem pronus eſt, ſed per accidens eſt phthiſis, nõ quidem per ſe ſed per rupturam uenæ, & eſt morbus ætati cõgruens. ut etiam Hippocrates in Aphoriſmo, Thabes maximè fiunt ætatibus à decimo octauo uſq; ad trigeſimũ quintum annum. De uera aũt thabe ſcilicet quæ fit per eroſionem, multi dicerent quod ſit ualdè obnoxius, tum quia habet ſpatulas allatas, & eſt anguſti pectoris & coloris ex albo & rubro, & macilentus & bilioſi habitus, & tenuis colli, licet non admodũ longi, & quia

Cap. 5.

In precep. pag. 4.

5. Aph. 60. 9

adeſt

adest destillatio perpetuo humoris salsi, nihilominus huic dispositioni potest melius resistere quam rupturæ inopinatæ uenæ, in quam facillimè incideret ex potu multi uini, aut potentis & maximè crassi uel nigri, aut ex uiolenta uenere, uel intempestiua aut refrigeratione post magnum calorem & exercitationem, & similibus, sed hæc sunt præcipua.

Ex quibus colligo unũ corollarium, & est, quod ipse debet cauere diligenter usq; ad annum trigesimumquintum: quia si potuerit euadere usq; ad illam ętatẽ, etiam quod non curaret se, postmodũ impinguabitur & fiet melioris habitus, & reddetur tutus fermè ab omni periculo. Tertius morbus cui est obnoxius, causis tamen accedentibus præter naturam, est melancholia ex consensu inferiorum membrorum: imò mirum est, quòd usq; nunc non sit passus tristitiam & timorem & cogitationes melancholicas. Et ideò oportet etiam adhibere mentem diligenter huic negocio, si sunt tres morbi quibus specialiter est obnoxius, nam de communibus non est hic sermo utpote febribus, & maximè quartanis & hæmorrhoides: sed de his, ut dixi, non est propositũ considerare.

Circa curationem, illa est duplex, una quidem quę dirigitur ad morbum, causas, symptomata, naturalem statum: alia quæ dirigit ad hominis conditionem. Cum enim sit illustris uir, nõ debemus uti remedijs potentibus, iuxta præceptum Galeni in lib. de Prędi- Cap. 11.
ctione ad Posthumũ, & similiter quia est delicatę naturę, & educatus in delitijs, non oportet uti medicamentis asperis, neq; horribilibus, uelut amaris aut mali odoris: neq; cibos corrũpere aut reddere iniucundos. Tertio, quia est iuuenis oportet etiã aliquid indulgere, & non rem (ut dici solet) ad uiuũ resecare, neq; inchoare curationem, qnę si postmodum remaneret imperfecta plus afferret detrimenti quam utilitatis: in quo genere multi aberrant in curandis nobilibus, & maximè iuuenibus, nã persæpè desistunt inchoata cura, uel quia res in deterius labãt, uel quoniam ualdè sint aleuiati. Cum eñ benè se habent statim desistũt, uel ob aliqua ingruentia negocia. Et hęc est etiam una ex causis quare cura redditˉ difficilis. Quanto eñ cauemus magis tanto minus etiam proficimus. Et ideò laruati isti medici sub hoc titulo rectè curandi, nemi nem curant: una actione prospicientes simul & ignorantię suę, & fauori ægrorum, cum iucunda solum offerãt, & ut habeant ipsos ægros perpetuò sibi obnoxios, dum eos detinẽt semper in manibus. Propterea in omnibus opus est fide, moderatione et iudicio, ne in periculum agatˉ ęger, sed tamen curetˉ: & ut blandiamur illis et iucũda exhibeamus, sed hac lege tamẽ ne quicq; noceamus, aut

in periculū ipsos deducamus,uel ut morbū efficiamus lōgiorem.

Quæ autem relinquuntur considerandasunt maxime in uentriculo,de concoctione imbecilli,cum possit contingere,aut propter malam temperiem,aut propter raritatem substantię eius,aut propter calorem qui ei prouenit à corde,aut propter sanguinem uenientem à iecore,aut propter circumiacentia membra,uelut omentum & lienem,aut propter materiam quæ fluit ibi à cerebro: fient igitur modi simplices sex,geminati quindecim ex tribus xxi, quadruplices xv, quincuplices rursus sex ex omnibus unus,ut sint lxiiij.Secunda dubitatio est,an substantia uentriculi sit imminuta aut rarefacta (& continetur in præcedente, sed est alterius modi)an uerò uentriculus pariatur solum malam intemperiem. Hæc em̄ dubitatio est de morbo uētriculi præcedēs defunctione.

Pro curatione ergo illa duplex est una quidem quę docet prę seruare ab omnibus noxijs,& extenditur usque ad xxxv annum, etiam quod perfectè sanaretur, quoniam corpora restituta ex praua dispositione,facilè decidunt in eundem statum, uel alium difficilem,& in hoc oportet ampliorem relinquere libertatem uiuendi,& plura concedere quam in alio,et oportet procedere tam prohibendo quàm concedendo. Sed in curatione sufficit meminisse de his quæ utilia sunt,labor enim esset superfluus uelle adijcere ea quibus uti minimè expedit:loquemur ergo solum de curatione,relinquendo custodiam ad aliud tempus.Dico ergo primùm,quod curatio,ut reliquæ, diuiditur in tres partes,in rationem uictus,medicamenta, & manuum operationem. dicam autem de operatione manuum primùm, tum quia una sola uertitur in dubium,sectio uenæ scilicet,tum quia ipsa deberet præcedere, ubi esset necessaria. Dico ergo quod ipsa non est utilis ratione habitus,quia sectio uenæ refrigerat & exsiccat, ipse autem peccat per utranque qualitatem. Si ergo esset necessaria, esset ob unum è tribus,uel ob magnitudinem morbi,uel magnam plenitudinem sanguinis,uel ob periculum fracturæ uenæ,cum non adsit ullum istorum per se non est necessaria:per accidens posset, quia est tempus uernum,in quo maximè conuenit,& est tuta,& hoc ubi nollet parere mandatis. Qui enim nolunt abstinere à carnibus & ouis & uino,& sunt in periculo fracturæ uenæ talibus hominibus conuenit sectio uenæ ad uitandum maius malum.

Pro ratione uictus,aer neq; nimis frigidus, neq; sub alterutro crepusculorū,neq; cum sæuit calor, nec cum uenti flant,maximè auster,qui omnib.est inimicus, & nocet capiti, neq; Borreas qui facit rupturam uenarū,neq; pluuiosus,neq; nebulosus est bonus,

neq;

neque sub sole, sed in tribus horis inæqualibus matutinis à media hora post ortum Solis, uel sub diuo si sit nubilosus, uel in umbra si sit serenus conuenit. Et similiter uestes sint leues, & tamen corpus tueantur à frigore. Et lauentur pedes sæpe, & diu contineat crura in aqua tepida uentriculo uacuo. & quod longè melius est balneum aquę tepidæ totius corporis, & maximè ante lactis assumptionem. Somnus sit quã prolixus in loco frigido & obscuro ac sicco, in cubiculo exposito orienti, & nõ iuxta terram, sed loco altiore & contegatur multis pannis, & sit super stuppa sericea in æstate, in hyeme uerò super gossipio, nunquam super lana. teneat etiam contectum caput cum dormit in hyeme & æstate, & si bene dormit, melius est quiescere paulisper antequam à cœna se conferat ad lectum. Motus eductis fęcibus, manè fricetur corpus benè, & oleo amygdalino dulci recenti inungatur spina dorsi & pectus & articuli, postmodum surgat & inambulet leuiter, &, ut dixi, in aere libero, & frictio sit lenis cum linteis candidis & mollibus & molliter fricando & diu, id est, per unam horã donec rubescat corpus & intumescat, & fricẽtur primo crura deinde brachia, inde lumbi, & iterum redeat ad crura, ita repetendo, ut sciat in hoc consistere maximam salutis suæ spem, & fermè totam, quoniam ex frictione commodè administrata primum impinguabitur corpus, deinde calor internus extinguetur, aluus emollietur, anima exhilarabitur, membra fient robusta & agilia, uentriculus melius concoquet, materia deriuabitur à capite. Motus autem de loco fit ambulando. Et est nostrum exercitium poli re chartam cum uitro, ita & agitetur totum corpus, lusus & sphærularum in tabula longa, uel in humo per circulos ferreos & tubos ligneos, alius autem paruæ sphęræ, & cæteri grauiores sunt, èregione contrarij eius temperaturæ ac morbo. Quo ad ea quæ leniant uentrem, ut manè possit habere semper beneficium uentris, oportet multa tentare, & in eo quiescere quod inueniet opportunum. Primum est ut comedat ante cœnam duo magna cochlearia uuæ passæ infusæ in aqua, donec intumescat, & sit prius bene mundata & abluta. Secundũ est, ut comedat betas uel maluam, uel matrem uiolarum coctas in iure pulli, addito oleo amygdalino recenti dulci & hoc in initio cœnæ. Tertium est, ut assumat ante cœnã dimidiũ unius uncię mannę electę Calabrensis. Quartũ est, ut accipiat drachmas decẽ mellis rosacei ante cœnã, quod etiã iuuabit ad purgandũ uentriculũ. Quintũ est ut imponat loco suppositorij granũ unũ coriandri magni cũ saccharo cõditi,

diti. Sextũ est q̃d expertus est ipse uua passa in sapa cocta, quod est optimũ, ut fiat canalis è plũbo albo, & nigro mixto, qui possit imponi ano, deinde impleatur butyro cũ sale, & ita paucis in diebus ars transibit in cõsuetudinem. Circa uenerea quia iuuenibus quasi necessarium est uti, ut fiat quam commodissimè, non sit nimis, sit impellente natura, sit sumpto pauco cibo & pauciore potu, & subsequatur somnus. Circa animi qualitates, caueat omnino ab ira, quia ex illa sola posset incidere in fracturam uenę, uel in febrem, & omnino mala est: lætitia, delitiæ, musica, ioci, spectacula, omnia bona: tristitia mala, pòst, odium, timor etiã est malus, & quia ista sunt per se nota, ideò non loquar de eis. Cibus sit ptisana hordeacea cũ saccharo & cinnamomo & iure pulli, & si placeret sapa esset melior cũ supradictis: utatur igitur ea assiduè manè & uesperi: panis contritus, lotus prius cum aqua calida, & infusus atq; expressus in iure, reliqua fercula non sunt istis comparanda. Ex carnibus optima est castrati agni, prouectioris ętate, post sunt pulli & phasiani & galli, paui. Et ex partibus caro glandosa quadrupedium & iecora auium & piscium, reliquę carnes sunt malę, suilla, uitulina, auicularum & bouina, & agrestium animalium, ex piscibus gobij, passeres, auratæ arbores ex aqua dulci, perdices et sturiones minores: alij sunt inutiles. iura etiam cochlearum & iecur testudinis sunt bona, si habeatur modus in coctione. caro tamen limatiarum est mala, ranæ & astaci inutiles. Ex oleribus bugłosa, borago, beta & lactuca coctæ. Sed lactucæ addatur cinnamomum non ligneum sed odoratum, tametsi non sit cinnamomum antiquorum. non oua, non cibi ex lacte, non radices ullæ, neq; legumina probãtur. Ex potibus uinum mediocre imò leue, album, clarum, odoratum, subdulce optimum est, & quod proximum est ei.

Curatio per medicamenta fit, primo, præparando materiam & educendo eam cum lenientibus ab initio hoc modo.

℞ Mellis rosacei solutiui optimi ʒ ij, capiat cum unciis duabus iecoris pulli in mane, & tardet cibum per quatuor horas, deinde fiat præparatio cum infra scriptis syrupis.

℞ Syrupi de cichorea simplicis ʒ i, mellis rosati & syrupi de menta aã ʒ.ʒ. cum ʒ iij iuris infrascripti, fiat syrupus.

℞ Endiuiæ, cichoreæ, lupulorum, bugłosæ, uuæ passę mundatæ aã ʒ.ʒ. coquantur in ʒ xij iuris pulli ad consumptionem medietatis coletur pro duobus syrupis, ut supra.

Deinde purgetur cum his catapotijs.

℞ Rhebar-

℞ Rhebarbari electi bene mundati & maturi ℥.5.infundatur in syrupo uiolaceo,donec fiat ut pasta, & siccetur in sole, uel in caldario,id est,in stufa, deinde iterum teratur & infundatur in succo endiuiæ,ita ut fiat ut pasta,& iterum siccetur eodem modo, & teratur, deinde infundatur in syrupo de pomis simplici eodem modo,& siccetur ut supra,& teratur. Vltimo infundatur denuo in syrupo de pomis simplici, & siccetur & teratur, & de hoc capiat ʒ i,redactam in formam boli cum syrupo de fumo terræ solutiuo,aut cum syrupo de cichorea completo, aut cum melle rosaceo solutiuo,& tardet cibum quatuor horis.

Inunctio pro uentriculo.

℞ Olei de cinnamomo ʒ ij, olei de nuce miristica ʒ i &. 5. olei masticini facti secundum artem ʒ ij,olei de gariophilis ℈ iiij, ceræ nouæ & laudani liquefacti & purgati añ ʒ ij, misce & fiat linimentum pro uentriculo à furcula usque ad umbilicum, & in casa aliquando sufficeret oleum de nuce miristica solùm,aliquando de cinnamomo, aliquando de gariophilis, quod esset ualdè odoratum.

Post purgationem repetitam bis aut ter,dubium non est, quin tota sanitas consistat in exhibitione lactis asinini,& de hoc quando erit tempus dabo modum & regulam. Restat solum dubitatio,an ante exhibitionem lactis conueniret decoctum cinæ,hoc mense Maij,& certè est mirabile in hoc casu & modus exhibendi habetur impressus in libris meis, seu opusculis, ideò non me diffundam,solùm quæro illud, an conueniat uel non? & dico quod ratione phthisis & periculi ruptura uenæ nihil posset esse melius,& ad corrigendam intemperiem iecoris,& etiam cerebri, ad exiccandam illius substantiam madefactam & refrigerandum calorem, quo trahit seorsum humidum, quod postmodum demittit ad uentriculum,in hoc etiam est optimum: sed quia debilitat uentriculum, dico quòd oporteret exhibere aromaticum nardinum,aut diarhodon Abbatis, & maximè quia potus talis decocti conuenit huiusmodi conditis ex saccharo. Concludo tandem quod oporteret tentare,& si sudor copiosus emanauerit, erit optimum auxilium, & etiam tutum, si autem non emanaret, tunc relinqueretur dubitatio, quia & si esset optimum,non tamen tutum. Similiter de aqua thermarum uillæ, illæ sanè refrigerant iecur, & exiccant uentriculum, & forsan non essent inutiles: credo tamen quod semel acceperit, nec scio quid obstiterit, audiui.

Reliquum

Reliquum est ut dicamus de intemperie cerebri & materia deriuanda per alium locum: & manifestum est quòd pluribus de causis apophlegmatismata non conueniunt, sed errhina quæ debent fieri cum aquis conuenientibus, uelut rosacea & plantaginis, addendo mannam, uel cum aqua lactis, & grano uno, aut duobus elacterij: uel loco aquæ lactis, lac asininum quod mihi multum placeret. Pro corrigenda autem intemperie sufficeret stilla aquæ caldarinæ Veronensis aut Lucensis de uilla. Et forsan esset melius ut fieret cum oleo omfacino rosaceo. Et in omnibus præsuppono, ut dixi, illud unicum præsidium potus lactis asinini.

Relinquebantur post hæc quædam non animaduersa à me, uelut illud de quo mirabar, & est quòd iam decem mensibus utitur præscripta, & quasi nimis exquisita ratione uictus & maximè ptisana: quam non laudo multum in hoc casu: primùm quòd parum nimis nutriat, & si exhibeatur magna quantitas, adhuc non restauratur corpus & uentriculus debilitabitur. Secundo, quia nimis refrigerat uentriculum. Tertium, quia nutrimentum est minus solidum, dicebat Galenus, ptisana utimur cum uolumus seruare uires in suo statu, aut aliquando imbecilliores efficere, & etiam solùm est utilis per paucos dies, ut in acutis: & non bene sotietur alijs cibis: ideò melior longè est panis lotus & coctus, & etiam non lotus sed admodum leuis, & bene præparatus.

1. Aphoris. com. 4.

Et quia detinetur nimia uoluntate rerum uenerearum, de qua dicebat Galenus, quod periclitantur utroque modo tales, seu excernunt seu non. est auxilium Galeni ibi. Aliud nostrum: ℞ olei de nymphea, de menta myrtini añ ʒʃ, camphoræ ʒʃ, unguenti populeonis ʒiij m℞, & fiat unguentum in mortario plumbeo cum ʒiʃ seminis lactucæ, ungantur renes & uirga à radice ad summitatem ex frigido.

6. de Tuend. san. cap. 14.

HIERO-

HIERONYMI CARDANI MEDICI MEDIOLANENSIS, CONSILIVM pro Illustrissimo Cardinali S.Clementis.

QVamuis in narratione non uideatur peti nisi simplex auxilium dispositionis præter naturam & opinio circa causam eius, quia tamen ista non possunt absolui perfectè, nisi ostendamus naturam ipsorum symptomatum, & ut fides habeatur dictis, & ex fide pareat consilijs quibus recuperet sanitatem. Breuiter primùm recitabo quæ scripserit, namque super bis inuentio symptomatum habetur, & ex illis morbi, ex morbis autem & rebus naturalibus causæ, & ex causis curandi methodus: neque sufficit scire speciem horum, sed singulorum magnitudinem. Igitur offertur uir natus quinquaginta octo annos, cerebri calidi & sicci atque robusti secundum naturam, ut enim audiui, est egregius Iurisconsultus, quæ peritia non solùm constat ingenio & iudicio, ut philosophia & medicina, sed indiget magna memoria: habere autem tres operationes principales cerebri ualidas ostendit illius membri robur non leue, & bonum temperamentum, & præcipuè compositionem bonam, siquidem operatio facit cognoscere formam. Quia autem talia studia calefaciunt cerebrum, tum ob uigilias, tum ob motus spirituum, tum etiam quia trahunt copiam illorum ad cerebrum ipsum, ideò uentriculus destituitur coctione propria. & ob hoc dicebat Celsus, quòd studiosi laborant imbecillitate uentriculi. Cerebrum autem interim, tum ob calorem innatum, tum aduentitium trahit, & sanguinem & uapores plurimos ad se, ut testatur Galenus in libro Artis medicæ. Vnde redditur imbecillius in dies & plenum excrementis, & maximè in constitutionibus austrinis: & tamen si amplæ sint uiæ (hoc autem de excrementis narium est quod uoluissem scire) per ætatem robustam natura commode fert, sin autem nasus astrictus sit, deterius afficiuntur. In uniuersum ætate inclinante, & maximè in aere Romano, lauta mensa, multitudine curarum, exercitio immoderato, uel magnitudine, uel paucitate, uel insueto, uel inordinato, uelut à cibo assumpto, uel post inædiam, uel uigilias, non potest deriuari tota materia ad loca aperta, quia neque cerebrum potest benè se constringere, sed remanent sordities quibus initia neruorum & sensuum uitiantur, inde hebetudines audiendi uel uidendi, aut tinnitus in

auribus, aut imagines in oculis, uel torpores in tactu, priuatio olfactus & similia. unde concludo ex his duo, quæ sunt necessaria ad curationem, primum, quod adest duplex intemperies, calida & sicca naturalis, & calida & humida præter naturam: secundum, quod si non fuisset institutio rationis uictus melioris quæ secuta est, iam cecidisset in deteriorẽ dispositionẽ. Proponit inde cor calidũ satis, & leuiter siccum, deinde hepar calidũ, cuius indicio est, ut bene dicit, uenarum latitudo et copia bilis, sed diuersimodè: nã latitudo uenarum est semper & solum signũ calidi iecoris secundum naturã, uerùm abundantia bilis flauę præsertim est signũ calidi iecoris, & secundum naturam, & secundum habitum acquisitum, & secundũ intemperiem præter naturam. sed illa quæ est facta à iecore calido præter naturã est, semper bilis præter naturam. Solùm restat dubitatio de caliditate per habitum acquisita, & dico quod uerisimile est ob alui astrictionem quæ successit, & etiam quia naturales intemperies nisi eis obuiam eamus solent præternaturales generare. Præterea quia uentriculus erat imbecillis, non enim recepisset ea excrementa quæ postmodum reijciebat per uomitum: secus cum membra ualida, ut inquit Galenus & Princeps, soleant transmittere excrementa sua ad membra debilia, & ideò cogitur iecur coquere alimentum crudum, & ita bisariam incalescit ratione laboris seu pugnæ & antipariſtasis, & obstructionis. tales etiam utuntur cibis delicatis, qui omnes fermè calidi sunt, ex odoratis enim quamuis aliqua sint frigida, nullum tamen ex his iucundum est gustui, ut rosæ, santhali, uiolę, myrtus: sed etiam dulcia & pinguia omnia calida sunt.

Constituta temperatura, & tempore quod est æstatis initium maximè Romæ, si Galeno credere uolumus, adsunt duo symptomata pro quibus petit auxilium, nam de tinnitu nil quærit nec queritur. Primum est imbecillitas motus in utroque genu, sed maior in sinistro, & cum ambulauit, & cum conatur ambulare, perseuerando in ea scilicet ambulatione, adeò ut sequatur tremor illorum & consistendi impotentia, absque dolore tamen. Secundum est, stupor in pedibus tantum & in sinistro magis, ut pars ea manifestè magis læsa sit, & erat prius in planta pedum, nunc autem occupat totos pedes sed magis sinistrum, & stupor hic est etiam cum grauitate eorum. Est autem stupor eiusmodi in quo sentiat stuporem ipsum, non quòd sensus sit stupidus, nam si tangatur sentit exquisitè & tangentem, & qualitatem manus,

manus,& est de genere eius quem patimur sedentes, aliquando ita ut musculi coxarum ualde comprimantur,ut in astricto etiam uinculo,de quo dicebat Princeps. Cumque effunditur ad membrum sanguis aut humor alius plurimus, quare oppilant transitus,& huius plurimum est à sanguine. Et propter hoc cum permutatur situs eius,& remouetur,& recedit ab eo quod ad ipsum est effusum,redit sensus. Et dico quòd læsio est in sensu,& motu est quintuplex, attonitus morbus, resolutio, paraplexia, stupor & stuporis sensus.Licet Princeps confundat stuporem cum stuporis sensu. nam attonitus morbus, est totius corporis priuatio sensus atque motus: resolutio dimidij corporis priuatio sensus & motus. paraplexia uerò unius membri priuatio sensus & motus.adeò ut sint differentiæ subiecti: stupor autem est diminuta paraplexia,aut resolutio,aut attonitus morbus. Sed rarissimè potest esse diminuta paraplexia eo quòd si dimidium afficiatur totius corporis stupore, fieri non potest quin sit paraplexia, eo quod illius medietatis aliquod membrum magis remotum à cerebro,& à membris calidioribus, utpote tibia, aut pes priuabuntur motu & sensu,ergo erit paraplexia cum stupore, & non stupor solus.Erunt igitur duo morbi,subiecto, & qualitate differentes. paraplexia, perfecta priuatio in uno membro solo, stupor in medietate,quamuis etiam hoc rarò accidat. stupor autem in toto corpore,sine paraplexia aut etiam paralysi, nunquam accidit,quoniam,ut dixi,partes aliquæ necessario destituentur sensu & motu,quoniam seu sit causa stuporis obstructio, seu imbecillitas,seu quæuis alia causa, si alia esse possit, omnino decumbet affectus & uitiabit aliquam particulam, & in omnibus his sensus imminuitur. At uerò cum percipit stuporem oportet ut primum sentiens,seu uehiculum quod est neruus non sit impeditum,& etiam quia non sentiret pondus: ergo impedimentum est in eo quod mouet,& non in neruo, mouet autem musculus: mouetur autem membrum,puta crus & pes: uehiculum est neruus qui est illæsus,& hoc est principium curationis, quoniam si neruus esset læsus participaret cum cerebro, & ita oporteret curare cerebrum aut saltem maximè, nunc autem oportebit curare membrum fermè solùm,quoniam læsio est in musculo,& est etiam uerisimile,quoniam,ut dixi,est eiusdem generis cum stupore, qui fit ex incommoda sessione, ille autem statim curatur & perfectè,quia causa non est in uehiculo,hic neque perfectè,neque

ſtatim & tamen non eſt in uehiculo: ergo differentia eſt in materia, cum in illa ſit ſanguinea & plena ſpiritibus, ideò diſſolui poteſt in momento, hic non poteſt cum ſit craſſa, & cum paucis ſpiritibus: unde ſequitur etiam quod ex medicamentis calidis diffundetur hic morbus & dilatabitur, non tamen angebitur ſtupor, niſi corpus fuerit plenum & immundum. Hoc igitur eſt diſcrimen inter ſtuporem, & ſenſum ſtuporis: quoniam in uero ſtupore eſt etiam ſenſus grauitatis, ſed ratione imminuti ſenſus, non aliorum neruorum, quia neruus qui non mouet non poteſt ſentire graue & leue, ex eo quod hi ſunt affectus potentiæ & impotentiæ: & propter hoc in uerò ſtupore erunt partes magis difficiles ad motum & uerè grauiores, ſed ſenſus grauitatis erit minor quam in ſenſu ſtuporis, qui eſt quinta ſpecies, ubi erit motus robuſtior. Erunt igitur tres ordines ſtuporis ſenſus, ex ſanguinea materia, qui eſt leuiſsimus ſtuporis ſenſus, à materia pituitoſa craſſa qui eſt difficilior & ſtupor, qui eſt difficillimus. Quomodo autem neruus ſentiat pondus, quod eſt ex muſculo, ſi eſſet perfecti ſenſus, & moueret, igitur perfectè moueret, ſi autem non mouet, non poteſt percipere pondus. Dicendum igitur tandem, quod læſi ſunt nerui motus, qui ſunt in muſculis, & illi ſentiunt pondus, ſed nerui qui ſunt in cute non ſunt læſi, ſed in uero ſtupore ſunt etiam læſi ipſi: & hæc eſt differentia exquiſita ſtuporis ſui à uero ſtupore, & eſt ut dicamus quòd materia eſt infuſa per carnes muſculorum, non autem ſub cute, nerui autem profundi ſunt craſsiores, & propter ætatem calor eſt imminutus: ideò non poteſt tranſire in uaporem, neque aſcendere ex centro ad circumferentiam, neque attenuari, & ideo in attenuatione periculum eſt maioris ſtuporis: & non eſſet mirum, quod in ſanatione partis inferioris, & recuperatione motus, pars exterior incideret in ſtuporem. Ideo in hoc conſiderare oportet, primum robur motus, quia iſtud eſt principale, inde leuitatem membri, demum ſenſum, ultimo ſenſum ſtuporis, nam ubi hic adeſſet, & reliqua tria benè ſe haberẽt, ſcilicet ut moueret facilè membrum, & ſentiret ipſum leue, & non ſentiret ſtuporem, quod fermè neceſſe eſſet, quia ſi ſentiret membrum leue, ergo uis mouens eſſet ualida, igitur non perciperet ſtuporem. Rurſus ſenſus hic ponderis eſt, quoniam & læthale omnino, ſicut carcinoma & attonitus: huius autem ſunt duæ ſpecies, læthale quòd citò perimit, non tamen citò ſaneſcere poteſt, uelut morbus attonitus dictus: & læthale

quoniã quod mouetur, difficile mouetur, & ideò uidetur graue, in eo uero quod mouet, parum mouet, & in eo quod sentit, multum sentit, quia graue ualde ei uidetur: igitur hoc contingit, quoniam in eodẽ neruo hæ duæ operationes diuersis modis fiunt, scilicet sensus per solam illuminationẽ, sicut dicit Galenus primo de Locis: uirtus autem motrix non perficitur nisi per spiritus, unde in æstate eædem uestes, non solum calidiores, uerumetiam si calor molestia nos nõ afficiat, grauiores uidentur quam in hyeme, ideò non sat perspicuè Galenus, ibi eam differentiam declarauit propter id coactus sum cum non parum in rem faceret. *Cap. ult.*

Quibus intellectis dicendum est de causis, sed illas inuenire facilius erit si modum quo morbus inuasit docuerimus, quãquam in hoc secundo loco desiderarem tempus, quod pro initio morbi censetur, uerisimile est autem fuisse, uel finem autumni præcedentis, uel hyemem, autumni quidem propter prauitatem, autumnus enim est occidens & hora à meridie usque ad occasum, & ætas a quadragesimo anno ad sexagesimum, & atrabilis, & morbi ex genere attoniti, conueniunt secundum Hippocratem. At uerò si ad caloris imbecillitatem ad pituitamq; respicimus pertinebit ad hyemem, præterea quia non uidentur facta magna auxilia, ut si æstas intercessisset uerisimile sit multo plura peracta fuisse, incœpit autem præcedente alui duritie per aliquod tempus & motu nimio, unde debilitata sunt genua & læsio contracta est, quo facto dum uellet descendere ex rheda impegit, et ob imbecillitatem cecidit, & post duos aut tres dies crus intumuit, quo tumore resoluto calidis fomentis, erat autem œdematosus, aucta est imbecillitas, tumor apparuit in pedibus. Postmodum rursus cum curaretur imbecillitas crurium cum fumo panis feruentis, imbecillitas quidem euidenter minor facta est, sed tumor superauctus. Hic ergo causam nõ arbitratur esse materiam, sed potius resolutionem spirituum. Vt ergo hanc propiorem uenemur, tres alias remotiores referamus, primam quod iam penè triginta annis contraxerit luem Indicam, secundam quod pateretur uomitum fermè alternis mensibus, quam præcedebat morsus uentriculi, atq; hic cessauit, sed neque de hoc (idq; tertium est quod scire optarem) tempus noui, id uerò ex bono regimine, nihilo minus dicebat Galenus quarto de Tuenda sanitate, quòd id indicium est corruptionis humorum in corpore cacochymio, suppressam esse aliquam euacuationem diuturnam, quod etiam attinet ad tertiam causam, scilicet suppressionem hæmorrhoidarum iam quadrienio ante *2. Epidem. & li. de Aere, aquis & locis, & 6. Aphoris.*

factam: nam licet uictus ratio multum prosit ad differendum noxas, tum etiam ut non adeò acres euadant, nihilominus fieri nullo modo potest, ut si lõga fuerit solita euacuatio, & præsertim materię corruptę, quale uerisimile est per uomitum similem excerni, quin in grauem incidant dispositionẽ: atq; id est diligentissimè animaduertendum, cum forsan ex hoc magna curationis pars pendere possit: id uerò sic demonstratur, quoniam licet sublata sit ob uictus temperantiam materia quæ morbum efficit, cum tamẽ intemperies illa non prorsus sublata sit paulatim, ac paulatim coaceruatur, & ideo deterior fit longe quam antea, quoniam per longam moram magis corrumpitur, & deteriores efficit morbos, & colligitur pars prima sententiæ huius à Galeno quinto de Tuenda sanitate, altera parte ex sexto Epidemiorum, quare talia corpora purgare necessariũ est, tum maximè quòd præcesserit uestigium luis Indicæ: istud tamen de hæmorrhoidibus non est semper uerum, tametsi Hippocrates de illis dixerit. A` diuturnis sanato hæmorrhoidibus periculum est aquam inter cutem, aut talem aduenire: sed est uerum solum in materiebus corruptis, & uelut in fistulis ac uomitibus periodicis, quando sunt cum morsu, & ratio est, quia dato quod fierent solùm ob multitudinem cibi & potus, si materia esset bona posset dirigi per diarrhæam, quia materia quę non est corrupta, nõ potest dirigi ad uentriculum, posset benè ibi generari ex prauitate alimentorum citra omnem iniuriam ipsius
Cap. 6. uentriculi, ut habetur secundo de Temperamẽtis, de illa bile porracea, de qua dubium nõ est, quod generatur in uentriculo, & ejicitur per uomitũ: sed cum transfunditur a iecore tunc uix fieri potest, ut non sit mala intemperies in eo, ad quam corrigendam non sufficit ratio uictus ratione quantitatis, ratione qualitatis forsan posset sufficere, quia talis ratio uictus pertinet ad curationem perfectam, non solum ad custodiam. His intellectis, dubium est, an causa prima, id est proxima, sit imbecillitas ex paucitate spirituum? an obstructio? an utrunq;? & pro opinione sua, sunt duę rationes quas adducit bonæ: prima, quod initium morbi fuit à nimio motu, & ideò ex resolutione, & etiam quia uidetur imbecillis ad rem Veneream, cum temperatura non esset alienus ab ea operatione: possumus etiam id coniectari ex ætate. uerùm tamẽ ex resolutione sola non potest accidere talis morbus, quamuis Princeps uideatur uelle hoc de stupore in morituris: alia est causa, quia morituri habent corruptionem temperiei: præterea quid profuisset fumus panis feruentis in resolutione spirituum? credo

bene

bene quòd imbecillitas sit cum causa, quia, ut ego aliâs declaraui, operationum animalium uitium nunquam fit, neque à sola imbecillitate, neque à sola multitudine humorum, quia uidemus athletas multo plenioris habitus, nihil tale pati & morientes ex resolutione uera, uelut ex fame & senio, quamuis hoc secundum raro accidat, non pati eiusmodi morbos, qui pertinent ad animalem functionem cum nullo spiritu aut ualde exiguo, uelut uertigo, stupor sensus, defectus rationis, amissio etiam memoriæ notorum. Concludo ergo quod talis stupor fit ex imbecillitate ob resolutionem spirituum, coniuncta cum intemperie, uel mala compositione, uel utroque: & hoc est ueri simile magis, quia postquàm cecidit è rheda intumuerunt partes, ergo materia eò delata est, & fuit resoluta à calidis, ergo pars tenuior & exterior. Si ergo succesit stupor, non ob aliud, nisi, quia pars terrea intus remansit, & ob id in prima curatione succesit maior imbecillitas & stupor: in secunda autem exsiccatis neruis, & sublata parte materiæ, imbecillitas sublata est magna ex parte, sed materia attenuata ad intima penetrauit, & magis dilatata est, unde stupor auctus est, circa quam morbi originem instituemus auxilia.

Circa curationem factã cum ritè omnia excogitata sint, illud de China quod non profuerit non est admiratione dignum: nam ut erat maximè opportuna ad exsiccandum humorem citra calefactionem, ita exiguntur tria, ut corpus sit benè præpurgatum à materiebus crasis, & hoc quia ipsa purgat per sudorem, & sudor nõ purgat materias crassas, præsertim terreas, dicebat Galenus ter- Com 27.
tio Prognosticorum. Secundo, quia indiget uel humore ualde tenui & bilioso, uel ualentibus uiribus cum tempore ualde calido. aliter natura nimis fatigatur & corpus exsiccatur, & uigiliæ subeunt. Tertium est, quod oportet ut sudor facilis & multus proueniat, ideò difficilè est ut ista omnia concurrant, & indiget magna præparatione corporis. Ideò deuenio ad ea quæ mihi succurrunt, præmittendo prædictionem quæ est necessaria, & est huiusmodi.

Prædictio ergo est præmittenda ob duo. Primum, quia ubi non posset sanari, omnia auxilia potentia deteriorem efficiunt conditionem, quod multi medici nescientes, quamuis egregij, perdunt amicos suos. Secundum, quoniam ubi curatio longa sit, æger nisi ei prædictum fuerit, putat medicum errare, & afficitur tristitia, nec eidem ad unguem obsequitur, & ita in posterum

ſuperueniente debito tempore, nec tum potitur uoto ſuo: atque utinam iſtud non eſſet nimis frequens, plurimi enim qui ſanarentur in quadraginta diebus, medicis neſcientibus eum terminum, aut morbi difficultatem non intelligentibus aut adulantibus, cum uiderint priorem terminum ſuperueniſſe, & magis ſæuire morbum quam antea, non parent medicis, & ita non ſanantur, neque in quadraginta diebus, nec multo pòſt, cum plerique etiam pereant, & calumniam ſubit medicina. Accedit his commodis, alia neceſsitas prædicendi, quoniam oportet ut medicus præcognoſcat ſi debet prædicere: præcognitio autem habebit eaſdem utilitates, & unam per ſe, ſcilicet inſtitutionem rationis uictus, cuius meminit Galenus. Propterea dico, quod morbus eſt natura ſua longus, duo enim ſunt genera morborum longorum imò uerius tria, ſanabile, ut quartana, ſanabile atque læthale, ut lienis ſcirrhus & regius morbus, & abſceſſus in præcordijs (dico autem ſpecie non numero ſolum, nam hoc mihi ſufficit ad declarationem mentis meæ) & læthale omnino, ſicut carcinoma & attonitus: huius autem ſunt duæ ſpecies, læthale quòd citò perimit, non tamen citò ſaneſcere poteſt, uelut morbus attonitus dictus: & læthale quòd tardè perimit, & ſi ſanari poſſet adhuc eſſet diuturnum, ut carcinoma: & ſimiliter ſecundum genus bifariam diuiditur, aliud quod ex tranſmutatione ſolùm interimit, uelut ſtupor & reſolutio: aliud quod ſine trãſmutatione, ut aſcites & febris lenta: dico ergo breuiter, quod hic morbus eſt ex prima ſpecie ſecundi generis, quoniam eſt neceſſariò, ut declaratũ eſt ex prima ſpecie tertij generis, ſecundum morbi ſubſtantiam, ut declaratũ eſt, quia eſt ex genere attoniti. Sed eſt ex prima ſpecie ſecũdi generis, imò forſan primi uerius, ſi illud diuidatur, quoad diuiſionem generis læthalium & non læthalium, quia non eſt læthalis: & ita concludo quod eſt ex genere ſanabilium per ſe, & prolixorum ac diuturnorum: ſed per tranſmutationem ex genere læthalium. Ex quibus colligitur uera prædictio tota, & primum quod cum dicat Hippocrates, quòd dolores renum & ueſicæ in ſenibus non ſanantur. Et Galenus ibidem: & etiam ſuper eo grauedines & raucedines, quod morbi longi non ſanantur in ſenibus, aut ualde ſenibus etiam alij. non intelligit niſi de his qui genere ſecundo, id eſt, quo diſtinguuntur morbi læthales, & non læthales ſecundum magnitudinem, & non ſubſtantiam comprehenduntur: ſequitur ſecundò, quod cura erit longa ualde & difficilis. Tertiò ſequitur ex his quod oportebit ægrum prorſus parere, &

1. Aphoriſ. 1. Prognoſt.

in nullo

in nullo delinquere, & medicum uti ſumma diligentia quę ambo ex ſcriptis conijcio futura, modo uelit credere his quæ a nobis iam demonſtrata ſunt.

Secundum genus prædictionis eſt, ad quem morbum tenderet, ubi ſiniſtrè curatio procederet, & dico, quod ad alterum duorum, ſcilicet uel ad reſolutionem, quia eſt ex eo genere, & hoc eſt ſecundum minus, uel ad albam pituitam ſeu nigram, et hoc ut plurimum propter familiaritatem ætatis & rationis uictus, & conditionis hominis, & membri patientis, quæ omnia ſimul concurrunt in hoc genere, ſeu ad hanc morbi tranſmutationem, & etiam plurimum refert id quod prima tranſmutatio non etiam eſt ad id quod per ſe interimit, nam reſolutio non numeratur inter morbos læthales, niſi poſtmodum tranſeat in attonitum. Ex quibus colligo tandem quod oportet habere oculum dextrum ad morbum in curando, & ſiniſtrum ad morbum, in quem pronus eſſet decidere, maximè, ut dictum eſt, leucophlegmatiam, concludendo curam generalem his quatuor regulis.

Prima quod oportet, ut dixi, curare ita morbum præſentem, ut ſemper habeas rationem eius, in quem pronus eſſet cadere ubi aberraretur. Secunda, & eſt Hippocratis in ſexto Epidemiorum, ut ne quid erres, & hoc propter tres cauſas, prima quia ut dicebat Galenus decimo Artis curandi, minimus error in difficillimis morbis mortem afferre ſolet, ſi ſit ex eo genere, aliter noxas affert inſanabiles. *iuxta finem.* Secunda, quia plus damni affert unum auxilium perperam adhibitum, quam ſex rectè adhibita: quoniam æger amittit fidem in medico cum uidet illum errare, & ita fit ei inobediens, unde omnia in poſterum inuoluuntur atque turbantur. Eſt etiam præceptum Galeni in libro de Prædictione ad Poſthumum, quod debemus cauere in potentibus uiris ab omni auxilio quod ſuſpectum ſit, uel quia anceps, uel quia potens, & etiam quia medicus debet curare tutò, ut dicebat Galenus iuxta finem methodi, & etiam propter decus. Tertia regula eſt ex his quæ dicta ſunt nota, ſcilicet quod debemus curare paulatim, quia non ſolum, quæ longo tempore extenuantur corpora tardè reficere oportet, ut dicebat Hippocrates, & quia Aphoriſmus tenet in alijs cauſis ab extenuatione, ſed etiam quoniam illud quod diximus de curatione morbi læthalis cum auxilio potenti: quod deducat morbum ad deterius, uerum eſt, ſed etiam & illud quod qui uelit ſanare morbum celerius, quàm natura eius ferat & conditio ægrotantis, aut retardat curationem, aut alium *2. Aphoriſ.*

morbum parit non minus malum eo quem curat. Quarta est ex
Cap. 1. Galeno libro de Attenuante uictu, quod in morbis longis oportet semper adhibere rationem uictus, quia uel non sine illa sanari possunt. uel si possunt tamen cum illa celerius sanantur, uel quod si possunt sanari sine illa, non tamen adeo perfectè, neque facilè: aut enim coguntur uti medicamentis ualidis, aut alijs auxilijs, quæ naturæ humanæ sunt infensa: adsunt molestiæ, uigiliæ, dolores, tædia & aliquando febriculæ: inædia nihil habet molesti, nisi hominis luxui dediti impatientiam, & etiam qui talis inædia est facilis, cum sit magis ratione qualis quàm quanti, & demum quia multi morbi & multi ægri, ut testis est Galenus, ea sola sanantur. Hæc uolui dixisse generaliter, quia, ut dicit Auerroes, optimè, scientia Dei est perfectissima, quia comprehendit propria per intellectum generalium.

Incipiendo autem à potu, ego abstinerem à uino si fieri posset, & uterer aqua decocta huiusmodi. ℞ aquæ libras quatuor, buliat ad consumptionem quartæ partis, inde addantur sacchari de medera uel mellis ʒ ij, bulliant parum, & post addantur floris rorismarini recentis, & siccati in furno ʒ ij, & ferueat parum, post remoueatur ab igne, & statim immittantur cinnamomi electi ʒ i. s. & imponatur cooperculum, finito refrigerari: hæc habet plura commoda, & est utilior uentriculo quàm uinum, & non acescit in uentriculo, & etiam quia uina Romana sunt potentia, ut audio, & aquæ sunt prauæ, in quibus non sufficit quod sint coctæ nisi etiLib. 5. am aliquid addatur ad correctionem, ut censet Oribasius, & si misceantur uina cum aquis, in quibus coctum sit aliquid, corrumpuntur. Et si non, utatur uino pauco, albo, leui, claro, quòd puto erit difficile inuenire: et sit potus pro ratione cibi solidi, quia diluto cibo, qualis est sorbitio, nullus potus debetur. Panis sit leuissimus, fermentatus, bene coctus, & ualde recens, modo non calidus, nihil glutiat nisi mansum diligenter, & ideò lentè edat. Carnium nulla bona, præter hœdinam & auium grana comedentiũ: meliores sunt paruę, & ex magnis perdices, pulli, phasiani, galli, pauí, quos uocamus pauones Indos: ex his tria tantum commoda sunt, musculi alarum, & est caro candida earum, iecora, cerebrum. Ex piscibus, marini solum molles, in quibus comprehenduntur saxatiles, gobius & passer. Ex oleribus, cichorium & rosmarinus, & lupus salictarius, quamuis non sit tempus, quia exigitur tenellus, & borago uel buglossum, quamuis Galenus refragetur, radicum nulla prorsus, folia melissæ edi possunt, radi-

ces

ces cichorij & bugloſsi, coctę ſub cineribus, admittuntur (non aliter:) præparantur cum ſapa, aceto, paſſo, ſale, oleoque: præparationes reliquorum ciborum ſunt, ueru, patina, cratis, elixa improbantur, nam in patina iurulenta bona ſunt, ſed, ut dixi, pauca caro aut auicularum: fugiat oua, caſeum, tanquam propríos inimícos, ſed & quæ fiunt ex lacte uel ex farina, & omnes cíbos ualde permixtos & embammata, quæ uocant, ſapores, ſed & mel & ſaccharum, ſi potu uini utatur, malè enim conuenit inter ea, ſecus, poteſt: ſercula panis iurulentus, aut panis lotus, oriza bene cocta, ex fructibus uuæ paſſæ Creticæ & Græcæ paruæ, ficus etiam poſſunt admitti, atque hi ſoli ex recentibus appenſi tamen per unam diem & cortice detracto, piſtacia & pineæ, ſed recentes, candídæ, & in roſacea aqua diu infuſæ. Bellaría quoque marcíapaní ſeu tortæ, amygdalinæ dulces, & flores citri conditi, & ſimilium, & roriſmárini probantur, & maximè ipſo utente potu aquæ. Prętera aſparagi cocti, & cardui tam qui cynerę uocantur quam candidi, cocti admittuntur, crudi nequaquam: fugiat oliuas & dactylos prorſus, etiam in uniuerſum ratio uictus ſit attenuans, pauci alimenti, paucorum excrementorum, facilis coctionis: thyrſi ſeu cauliculi fœniculi ante cibum boni ſunt: non edat niſi fame præcedente, & uacuo uentriculo, & purgata aluo, antequam induat ueſtes: deijciat aluum more noſtro, quo utuntur príncípes multi & proceres, canalis craſsitudíne digiti medíj longitudine palmi maioris ex plumbo albo, quòd ſtannum uocant, eo modo conflati, ut in lancibus menſarum ſolet, æqualis undique, ſed in apice paulo anguſtior, in rotunditatemque quandam deſinens, leuis admodum, foramine páulo anguſtiore (propter inclinationem) quàm ab altera parte, conflatur plaſtica arte ſeu ſtatuaría tubuluſque adaptatur ab imo ad ſummum, inde in libram, butyri uncia ſalis tenuiſsimè triti, benè miſcetur, licet autem augere uſque ad duas, ita ut non ſit proportio ſexta, nec minor duodecima, impleturque canalis, & immittitur, tubuloque compreſſo butyrum exprimitur, intra quartam partem horæ fæces prolicit abſque moleſtia, & in poſterum etiam uſus ad aluum molliendam commodus eſt: ubi deiecerit, fiant frictiones maxime imbracchijs, paucæ admodum inferiore parte, niſi præpurgato corpore, corpus autem præparetur cum melle roſaceo & ſyrupo de betonica, & de ſtœchade, aut de hyſopo, nonnihil adderem aliquando ſcillítici oxymellítis, purgaremque in ſingulos quinque dies, aut ſeptem huiuſmodi purgatione, aut

consimili, ita ut esset una purgatio in plures partes diuisa. ℞ rhebarbari maturi optimi ʒ ij, agarici electi ut nil ad perfectionem deficiat ʒ iij, nuci betonicæ, succi roriſmarini, succi ſaluiæ añ ʒ i, repurgentur & infundantur rhebarbarum & agaricus, lignis diligenter detractis parte meliore in puluerem redacta, & siccentur in Sole aut caldario, quod uocant æſtuarium aut ſtuffam, poſtmodum tantudem ſucci ſuperponatur, ac denuò siccetur, demum ſuperponatur ſucci ſcillæ decoctæ ʒ i, & denuo siccetur, inde addantur cardamomi ſubtilis, ſpicæ inde añ ℈.i. maſtichis noui, albi, mollis ℈ iij, & cum melle roſaceo fiat paſta pro catapotijs quæ ſeruetur in membrana inuncta oleo ex glande unguentaria, ſeu de ben ut uocant, & membrana in uaſe uitreo contecto ritè alia membrana: uſus eſt ex ʒ i. uſque ad ʒ i.ſ. in catapotus tribus, quæ reformentur cum ſyrupo de cichorea completo. A' frictione & ueſtibus indutis exerceat ſe quantum natura fert, & pedes & uoluptas in aere libero, ſi liceat: cubiculum ſit orienti expoſitum, aer apricus, ſomnus prolixus: neque audiendi ſunt qui metam in illo ponunt, ut cauſa enim bonus eſt modo continuus & horis debitis, extendi enim poteſt ad tertiam diei partem. Hippocrates: Somnus atque uigilia utroque modo magis facta malum. Viuat lætus & quantum licet ſine curis.

2. Aphoriſ.

De topicis auxilijs palàm eſt, quod non debent adhiberi niſi exquiſitè purgato corpore, dicebat Galenus: ijſdem auxilijs ſanaui homines eodem modo purgatos diligenter, quibus illi iam antea læſi uidebantur: ergo in his adhibere conuenit, quæ auocẽt ad ſummam cutem, quæ quoque attenuent, quæque molliant, generis, nam palàm eſt Galenum duo genera emollientium docuiſſe iuxta ea quæ concreuerunt, quæ enim à ſicco humida, quæ à frigido ſicca omnia calida: in hoc igitur calidis & ſiccis uelut thure ammoniaco, therebentina atque ſimilibus, calida uerò & humida, olea, pinguedines, medullæ, fomenta humida, uelut oleum uulpinum, oleum ex catulis, conferre poſſet ob ſiccitatem temperaturæ illorum, & ob proprietatem quandam: nihilominus calidis & ſiccis, ac tenuibus inſiſterem, ſiccare enim neruos moderate crudo humore imbutos, deinde expurgatos utile futurum puto, in eo genere ſunt fomenta ex uino potenti, minimè acido, cum odoratis ſaluia, roremarino, betonica, matre ſylua, caſtoreo, cinnamomo, atque huiuſmodi: in eodem genere eſt oleum cinnamomi deſtillatione exceptum, item fotus ex luto, & ex fumo aquarum

6. de Tuen. ſanit.

calidarum,

calidarum,fonte naſcentium,in quibus alumen & ſulphur,& ſal, & nitrum dominantur.Sal enim perutile eſt articulis & neruis, aſtringit,ſiccat,auocat ad cutim,roborat, itaque ut ex pluribus unum conficiamus auxilium.℞ therebentinæ orientalis,lachrymæ ammoniaci, ſarcocollæ añ ʒ i.ſ.thuris ʒ iij, belzoi & gummi elemi,& ſtoracis calamitæ añ ʒ.x.cinnamomi ʒ ij,pyretri ʒ.x. ligni aloes,botri ʒ vi,caſtorei ʒ i,ligni roriſmarini, foliorum lauri, corticum arantij exteriorum,ſcobis ligni cupreſsi,añ ʒ ij, ſalis ʒ iij, uini maluatici ℔ vi,ſepeliantur in fimo per octo dies,in uaſe uitreo bene concluſo, inde detractum bulliant in eodem uaſe in balneo Mariæ per tres dies,poſt deſtillentur,& ſeparentur partes prima aqua,ſecunda aqua,inde oleum rubrum, poſtea oleum nigrum, demum fex ex fæce accenſa ſeu calefacta uehementer foueatur locus,ſcilicet à fumo,& ſi fieri poteſt ut citra læſionem exſudet, hoc erit optimum.Deinde leniatur locus aqua ardente prima,aut ſecunda,ſi prima minus proſit, & ſi nec hæc ſuffecerit,oleo rubro, hoc enim quamuis ſit oleum,exſiccat non parum: locum autem foueat lupina pelle ex catulo lupi,nihil enim melius,purpura etiam iuuat ſed non adeò. Interdum cum morbus erit leuior, ſufficiet fouere locum ex ſalis quarta parte,& furfuris triticei quadruplo.Illud uero ſaluberrimum ſit conſilium ita neceſſarium, quam etiam tutum & utile,& quibus uis modis urina prouocetur, fœniculi uſu & cretani marini, & capparibus ſale conditis in cibis, quotidiano autem uſu etiam cum ſanus fuerit ſyrupo, & hyſopo Italico,& ſi non ſufficiat, ex Cretenſi,aut etiam Ægyptio: hoc enim non ſolum ad ſecuritatem morbi ut ſanetur, uerumetiam ad roborandum caput,& neruos ac ſenſus:tum ad ſecuritatem ne in ullum genus hydropis unquam incidere poſsit: tum uerò ne in obſtructiones aliquas,& ut pectus quòd in ſenibus grauari ſolet nullo incommodo uexetur,utiliſsimum erit.Neque uereri oportet illius caliditatem,cum ſi ritè peragatur negocium, plus educturus ſit flauæ bilis atque atræ exuſtæ,quàm quòd excalefacere poſsit: & ſi omnino uel tantillum excalefaceret uſus ſeminum melonum,quæ & ipſa urinam proliciunt,temperare liceat, quin etiam cichorij decocti in patella & in furno, aut ſi radices ſint liceat ſic, uel ſub cineribus madefactas præparare atque edere cum uuis paſsis rubris, quæ ex Placentia deferri ſolent: illæ enim meo iudicio ad temperandum calorem iecoris optimæ ſunt: ubi uelit uti ſyrupo eo. Secus nigris utendū eſt, quia ſunt magis

temperatæ

temperatæ, magisq; prosunt naturæ proprietate. Si uinum bibat bibinellam infundere utile est: rosmarinus cibis quibuslibet & iuribus addatur: iura quoq; cochlearum & testudinum nemorearum naturæ proprietate sunt utilissima: de copia autem cibi matutini aut uespertini omnino sequatur usum: quodcunque enim ex his melius proponatur, mutatione longæ consuetudinis, deterius fiet. Hæc sunt quæ mihi utiliora uisa sunt, nec secus efficere poteram, si uel incolumitati suæ consulere uellem: nam potius fuisset non scribere, quam ita scribere ut in diuersum sensum trahi posset, unde & ei iactura pro beneficio & mihi uituperatio pro laude subsequeretur: omnia autem & iudicio peritissimi sui medici subiecta sunt, & executioni quod & si quicquam quod tamen non spero, aut dubium in interpretando relinquatur, aut in opere imperfectum, rescribat, nam iuxta uires nostras illius saluti ac iusto uoto non deerimus.

FINIS.

BASILEÆ,
EX OFFICINA HENRICPETRINA,
ANNO SALVTIS M. D. LXX.
MENSE AVGVSTO.